14
15-I
6

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
16 D
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14.-15. I. 6.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

MORALITATIS ARCANA EX PYTAGORÆ SYMBOLIS

AD SANCTISSIMVM

CLEMENTEM NONVM PONTIFICEM

Optimum, Maximum.

CO: FRANCISCO BERNIO

FERRARIENSI AVTORE.

FERRARIÆ, M. DC. LXIX.

Typis Iulij Bulzoni Gilij Impreſſoris Epiſcopalis.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

SANCTISSIMO CLEMENTI NONO PONTIFICI
Optimo, Maximo,
FRANCISCVS BERNIVS
poſt ſanctiſs. ped. oſc. proſper. æter.

SVB fauſtiſsimo Romani Pontificis imperio natus, Beatiſsime Pater, ne iners omnino ſubditus viderer, quale tributum meo Principi offerre poſſem, diu perpendi. Pythagorica mihi occurrêre ſymbola, è quibus præcipua morum, & religionis eruditio: Ad hæc, tanquam votis congrua, ma-

Digitized by Google

nus, & vigilias admovi. At cum probè ſcirem, Tibi me totum jam pridem, ac mea cuncta deberi, opus vix inchoatum haud levis retardavit hæſitatio; Nam illud, quod loco vectigalis meo deſtinaveram Cæſari, amoris obſequentiſſimi pondere ad meum Mæcenatem ferebatur. Tantam denique dubitationem evaſit animus; Quoniam hodie ſumptum in hac parte laborem compleo, dum Orbis beneficium meditata, meritiſsimò ad ſacrum Pontificatus faſtigium Divina Te jam evexit providentia. In Te uno igitur utrunque lætus veneror; utrique ſuum reddo,

ac

ac Tibi & Patrono, & Principi has, qualeſcunque ſint, paginas conſecro. In his & Samij dictorum, & mei atramenti obſcuritas à tuo jubare lucem quærit, à tuo Nomine gloriam: His non comparandum, ſed expertum adeo Patrocinium; Non ut gratias petam, ſed ut grates rependam. Tu, adorate CLEMENS, ad inſtar Altiſsimi, cujus geris vicem, pro fructibus flores, pro opere voluntatem, minima pro maximis ne renuas. Extremæ ſublimitati concede, ut extrema reſpondeat humilitas; Permitte, ut ad patens tuę ſapientiæ lumen aquilas

æmu-

Digitized by Google

æmulatus advolet papilio. Quid precor ſupplex ? Inopes, ac ignobiles fateor ingenioli mei partus; Ideo nec ſpretos paveo. Eat in ſæcula, non ſola populorum levamina, Regum concordiam, fidei propagationem, totius univerſi commoda eſſe tuis oculis exhibenda; Verùm nec deſpici à Te humiliora, cujus modeſtiam, & comitatem ſic auxit Dignitas, ut tua veſtigia crebrò etiam cum pauperibus confundat Charitas. Vive diu felix, ac cœpta perge; Faxìtq; Deus tandem, ut è Scytico cælo, Gentilitio tuo liceat magìs, quàm

Mart. l. 9; 81. *Theſſalico, Lunam deducere Rhombo.*

Digitized by Google

Lectori Candido.

BRevì te, mi Lector, detinebo. Hujus libri *materies Pythagoræ Symbolla* hinc indè collecta: *Ordo* eorum, prout ad manus pervenere; In his *varia lectio*, *aliorum interpretationes*, *mea conjectura*: *Studium* ex omnibus in vitij opprobrium, laudèmque virtutis *Arcana moralitatis recludere*. Vnicus *finis* eſt *morum inſtitutio*. De me pauca. Quem alibi Hetruſcum vidiſti, materies hìc Latinum ſuaſit; Forſan imbecillitas utrobique barbarum fecit; Hæc libens tu accipe, humanns excuſa, ſique fas eſt, ſapiens corrige: Vtinam id mereantur. Hoc potiſſimum, ut habeas, rogo: Si quid meis in paginis *Religioni contrarium*, quod abſit, reperies, totum *dele*. Samij Philoſophi documenta nunc recenſet calamus; Fidem ſemper animus profitetur Catholicam: Ea conjecto, hanc credo. Sua exhibent *Symbola*, & *Pythagorici*, & *Appoſtoli*: Atramento illa ſcri-

pſi,

pſi, hæc ſanguine firmarem. Præter mea demum plura ex typis errata: Ijs relictis, vel quæ oculus præterijt, vel à quibus omnino ſenſus non inficitur,

hæc tantum ſic emendo.

pag. 18.	lin. 5.	cæteri	cæteris
28.	24.	cælandum	celandum
55.	1.	edis	êdis
60.	23.	Quis hominem	Quis non hominem
130.	1.	in	Zygos
139.	20.	conſiliarius,	conſiliarius
168.	ult.	increpa?	increpas?
196.	9.	Dic, ſi	Dic. Si
245.	ult.	obſtrepente	obſtrepentes
258.	10.	diſſident	diſſidet
264.	5.	formam	fortunam
280.	6.	Lacedæmonij	Lacedęmonijs
404.	11.	fuit	fuit,
405.	27.	quia ne	quia me
417.	1.	maris	maria
440.	11.	ſtum	ſum
459.	23.	pendeat;	pendent;

Cæterorum correctio à tua pendeat humanitate. Diu vale.

Adde

pag. 324.	lin. 2.	maledictus	maledictis
458.	14.	ipſum	ipſi

AD

AD ILLVSTRISSIMVM D. COMITEM
FRANCISCVM BERNIVM
COMITIS HECTORIS
BARTOLOMÆI MIROLII
GRATVLATIO.

INGENII fœtus primas vix prodit in auras,
Olli cum quadruplex illico Cenſor adeſt:
Inſipiens, ſibi qui ſapere, & ſcire alta videtur;
Vir gnarus, doctæ Palladis arte potens:
Inuidus, alterius tabeſcens rebus opimis,
Denique qui Cynico more, vel ore latrat.
Gratulor ergo tuum, BERNI doctiſſime, Partum hunc,
Quem fovet armato Pallas amica ſinu.
ROSPILIOSÆIS ſi muniat ipſa lacertos
RHOMBIS, inde ſalus certa parata Libro eſt.
Nempe quatergemino dum tela umbone repellet,
Ecce quatergemino tutus ab Hoſte lates.

Cur PONTIFICIVM ſtemma, ſtellæ infixum,
IDEM AD EVMDEM.

DVm ſtellis RHOMBOS ſociali fœdere iungis,
Sidereus, BERNI, crederis eſſe faber.
Nec tantum, ut Sapiens, dominaris in aſtra, ſed ipſis
Das ſplendorem aſtris, congemináſq; jubar.

IN EODEM ARGVMENTO.

QVid ſtellas inter geminata cuſpide RHOMBI?
Nunquid ſideribus ſidera juncta micant?
Num cœlos armant, ceu tela minacia Terris;
Suntq; ea ROMVLEO tela parata IOVI?
ROMVLEO hæc data tela IOVI, non fallimur. ergo
Saùcia quadruplici hoc fulmine LVNA ruet.

MORA-

*M*ORALITATIS ARCANA *ex Pythagoræ Symbolis , Authore Illuſtriſsimo Co:* FRANCISCO BERNIO , *vidi pro Eminentiſsimo , ac Reverendiſsimo Cardinali Donghio Ferrariæ Epiſcopo : opus Authore ſuo , atque adeo prælo dignum . Quod cùm recondita eruditione , tum morum pleniore doctrina refertum calamum tuum [Comes Optime , ac amiciſsime] felici traduxit conatu ab Italo Cælo , & carmine , quo iam pleniſsimo calculo commendabaris Muſis , ad ſeueriora morum præcepta Orbi Latino proponenda : quapropter [ni mihi tua modeſtia ſuccenſeat] dixerim, te Patriæ noſtræ, eiuſque ſtudijs neſcio quo fato , vel ſitu iam propè obductis , nitorem priſcum reddidiſſe , ac omne tuliſſe punctum , cum adeo belle miſcueris vtile dulci .*

Iacobus Cremonius Societatis Ieſu .

Giacinthus Maria Granariæ Inquiſitor Ferrariæ .

Ioannes Ciauarnella Vic. Gen.

SYM-

SYMBOLA,

Quæ in hoc volumine continentur.

I. *Cum veneris in templum, adora.* pag. 9.
II *Perfunctoriè templum ne ingrediaris.* 16
III *Nudis pedibus ſacrifica.* 23
IV *Populares vias fuge.* 31
V *A nigram caudam habentibus abſtine.* 44
VI *Linguam cœrce.* 58
VII *Cum ſtant venti, Echo adora.* 66
VIII *Ignem gladio ne fodias.* 75
IX *Gladium acutum averte.* 87
X *Tollenti onus auxiliare, deponenti nequaquam.* 93
XI *Dexter pes in calceo, ſiniſter in pelvi.* 103
XII *De Divinis ne ſinè lumine loquaris.* 115
XIII *Stateram ne tranſilias.* 125
XIV *Peregrè abiens, ad terminos ne revertaris.* 140
XV *Adverſus Solem ne mingas.* 153
XVI *Contra Solem ne loquaris.* 161
XVII *Oleo ſedem ne abſtergas.* 171
XVIII *A gallo candido abſtine.* 184
XIX *Chœnici ne inſideas.* 200
XX *Ea, quæ uncos habent ungues, ne alas.* 217

XXI

Digitized by Google

XXI *In viâ ne ſeces.* 226
XXII *Hirundines in domum ne accipias.* 238
XXIII *Annulum anguſtum ne feras.* 254
XXIV *In annullo ne Dei geſtes imaginem.* 265
XXV *Lucernæ ſpeculum ne inſpicias.* 267
XXVI *Ne cuique facile dexteram porrigas.* 289
XXVII *Surgens è lecto ſtragula convolve, ac veſtigium confunde.* 299
XXVIII *Cor ne edito.* 308
XXIX *Cerebrum ne comedas.* 326
XXX *In reciſis unguibus, & capillis ne mingito, nec inſiſtito.* 337
XXXI. *Ab Erythino abſtine.* 349
XXXII *Ollæ veſtigium confunde.* 356
XXXIII *A fabis abſtineto.* 368
XXXIV *Malvam fere, non ede.* 385
XXXV *Ab animalibus abſtinendum.* 397
XXXVI *A piſcibus abſtine.* 411
XXXVII *Primò triobolum cole.* 424
XXXVIII *Nihil de Divinis admirabile non credendum.* 432
XXXIX *A nimio riſu abſtine.* 438
XXXX *Ne ungues incidito in ſacrifitijs.* 446
XXXXI *Propter aurum ne uxorem ducas.* 454

MORA-

MORALITATIS ARCANA EX PYTHAGORÆ SYMBOLIS.

CVM VENERIS IN TEMPLVM, ADORA.

Symb. I.

Variæ Lectiones.

Prodiens in templum. Arcer. in Iambl: *Quum veneris.* Cæl: Rhod: *Nec interim aliud facias.* Gyrald. *Nec aliquid, quod ad victum, aut dicas, aut agas.* Ficin. *Non convertere oportet.* Gyral. ex Olympiod. in Plat. Phædr. *Abiens procide.* Scutell. in Iambl.

Interprætationes Variæ.

DE ADORATIONE: RELIGIONE: VITA RELIGIOSA.

ADORATIO. Sacraria qui adit, adoret. *ap: Gyrald.*

ITA præceptum, non ſymbolum. Interim tu diſce, qui primo intuitu quęris, an ſtructuræ ordo ſit corinthius, aut doricus. Dic: Ad quid prodis in fanum? Ad omnia, præter adorationem. Sacrarum ædium antiquitus tecta perforata, ut Cæli faciem inſpicerent adorantes: Tu in templo Var. de lin. lat. 4.

quos contemplaris vultus? Omnes præter Cæli.
Si ad terrena inclinatæ,

Perſ.ſat. 2. *Oh curvæ in terris animæ, & cæleſtium inanes!*
Matth. 21. *Vendentes, ac ementes* eicientem Dominum time.
Iſai. 56. Nimirum *domus mea domus orationis*, jam dixe-
rat. Proh quàm neceſſarium hiſce temporibus il-
Plut. in Coriol. lud *hoc age*, quo apud ethnicos accedentibus ad
rem divinam clamabat præco. Nos pudeat, quos
ethnicorum pietas corripit. Vtinam & corrigat.

Nec interim de victu cogitet. *Ficin.*

c. 6. Eadem innuit Matthæus. Qui Deum adit,
jam providum habet œconomum. Verùm nón-
ne victus neceſſarius? Quid de vanis, de iniquis?

Adoraturus, templum ineat. *Georg: Ven: to: 5: ſec. 5. prob.* 422. Neque adoret in via. *Scutel: in ſeq. ſymb.*

Sanè ſi ubique Deus, adorandus ubique. Sed
principem rogaturus, nónne ſupplex intrat au-
lam? Id per vicos haud majeſtati congruum.
Pſal. 28. *Adorate Dominum in atrio ſancto*. Vbi Deus, ibi
Cælum, inquis: At *præcipua Numinis regia tem-*
hom. 36. *plum*, ait Chryſoſtomus: Quod propriè ad id
Matt. 21. erectum, *tanquam orationis domum* frequentan-
Pſal. 5. dum prædicant oratores. Hinc *adorabo ad tem-*
& 18. *plum*: Ac *exaudivit de templo*. Intellige: Hoc
ad Dei cultum: Non ad colloquia: Non ad
amores.

Templum pro corde. Se ipſum debet ingredi adorans. *Xyſt: pyth: ap: Farr: in ſept. de ſymb. Pyth.*

Sci-

Scilicet non genu, at corde adorandum. Felix ille, in quo

Templum corde reponit
Candens Religio, & Fides. Philomuſ. mul. n. 52.

Verum Dei ſacrarium, *non lapides, aut lutum, ſed homo;* In quo Dei figura: Non à Polycleto, ſed à Divinitate. Se in templo ità non adorare, percipiat, qui è ſe ipſo per os, per aures, per oculos exit. Lact. l. 5. c. 8.

Neque aliud externum, aut materiale cogitet. *Farr. ibid.*

Externa petit animus? A templo recedit. Materialia cogitat? Negligit Deum. Qui mortalia ſpectat, neſcit adorationem.

Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores, Perſ. ſat. 2.
Et bona Dijs ex hâc ſceleratâ ducere pulpâ?

RELIGIO. In eam nihil alienum aſciſcendum: Sed purus Deo debetur cultus. *Iambl.*

Non purè ſacellum adit, qui Numen adorat, ut ſit longior ætas: Qui

Poſcit opem nervis, corpúſq; fidele ſenectæ: Perſ. ſat. 2.
Divitiæ ut creſcant, ut opes, ut maxima toto Iuvenal. ſat. 10.
Noſtra ſit arca foro.

In Deo ſegetes, aurum, vires, annóſque impendere juſtum: In his Deum, nefas. Hic ſolùm adorandus, quia ſolus adorabilis. Philomatum audi; Muſ. in n. 92.

Cordi mea ſola voluptas
Es tu; Nil aliud, quod meditetur, habet:
Hinc tua templa peto.

Sed *in eam* dixit. Deo quidquid alienum, contrarium. Sic non colis, lædis. Amplius ubi de Altiſſimo, adorationi acquieſcendum. Stultus extranea religioni aſciſcit, qui humanâ ſcientiâ fidei myſteria ſectatur. Non inveniet: Nimiùm diſtant. Si inveniret, deſtrueret. Per cauſam velle ſcire, ac per fidem nolle credere, parùm diſtant.

VITA RELIGIOSA. Quam ingreſſus profanis non debes miſceri; *Seu, cum Philolao, cui ſymbolum refert Olimpiodorus,* In Plat. Phædr. quum templum ingrederis, non convertere oportet. *Gyrald:* Nec quid ſæculare, aut dicere, aut agere. *Scut: ex Iamb.*

Erubeſcant, qui religionis profeſſi vota ſæculi adhuc ſectantur ineptias: Quibus muros, non mores componit clauſtrum: Quorum corpus ſacra tegit tunica, ſacrilegos induit habitus anima. Quid verò? Naſcens fermè nullus aliquam non intrat religionem. Nos felices, qui veram. Infeliciſſimi autem, ſi templum fide infantes ingredimur, perfidiâ egredimur adulti.

Meæ Coniecturæ.

DE LOCO, AC MVNERE: AVLA: GYMNASIO: CÆLO. HOMINE.

LOCVS, AC MVNVS. Ille inſpiciendus, hoc obeundum intentè. Incongruum idem, ac inſipiens. Romæ romano vivito more; In gymnaſio philoſophandum, in circo ludendum; Vbique agendum rectè, nam honor, nam Deus ubique;

ubique; Ideo *adorandum*, ait. Inſuper age, quod agis. Ne *ultra crepidam ſutor*; Diſcipulus diſcipulum, medicus medicum, homo hominem, non magiſtrum, non amaſium, non belluam gerat. Qui ſagum induis, ad quid cum Morpheo torpes, cum Venere luſitas? Milita. Qui religioſum cucullum, cur negotijs te miſces? Cur aulam frequentas? Ora. Qui templum ad animarum curam ingreſſus, corporeis tantùm hæres cur gregem tuum vel deſeris, vel glubis, vel inter oves lupos admittis? Paſce, tutare, ſecerne. Qui Aſtreæ fano judex deſtinatus, cur mutatâ lance, cum Mercurio mercaturam, & ſæpe furtum exerces? Iudica. Sícque de alijs, ut cogites de te etiam judicandum. Plin. l. 35 c.10.

AVLA. *Templum aula regis*; Principes enim tot *Dij*. Qui ad regiam te confers, templum adis. Annulum ſaltem cum Iſmeniâ procidens, adora. Et ſtantem, & circumactum voluit Pythagoras adorantem. Stet aulicus ad mandata promptus, neſcius quietis, à progreſſu alienus. Quis talis? Deinde inſtabilis fortunę Proteus perpetuò ſe ad cuncta vertat; Nec ſui quid cogitet. Sui quid habet, qui nec ſe ipſum? Adoret verò. Non idola, non *talpas*, *& veſpertiliones* colat: Iuſtum, ac prudentem ſeligat principem; In hoc veri Numinis imaginem veneretur. Ità eiuſdem Pythagoræ, niſi potius Philolai, ſervabit carmen, *Et terrenos cole dæmones, legitima faciens*. Chryſ. hom. 15. ad hebr. Pſal. 81. Plut. in Aniaxe. In ſymb. Iſai. 3. Gyral. de poet 3. & Hierocl. in Pyth.

GY-

GYMNASIVM; Ad virtutis ſacrarium qui
accedit, adoret; Hoc eſt ſileat. Sic Deum
Rhod. l. 15. c. 23 Ægiptij: Oſque obſignatum, & ſilentij, & ado-
Plin. l. 28. c. 2 Pieri. rationis nota. Quatuor aures in Apolline Lace-
l. 35. 37. & 38. dæmonio; Sapientia enim auſcultatione com-
Pieri. l. 33. paranda. Solus Iupiter abſque auribus in Cretâ:
Nihil diſcere poterat is, quem cuncta jam noſce-
L. 11. c. 45. re, par erat. Plinium audi: *Eſt in aure imâ me-*
Gyral. de Dijs synt. 9. *moriæ locus:* Et hæc Muſarum mater: Quarum
metrica, & præcipua virtus ab auribus. Tu verò
quomodo cuncta dicis, qui nihil audiſti? Amens
in gymnaſio loqueris, antequam à gymnaſio lo-
Rhod. l. 15. c. 23. qui, diſcas. Ingredere, ac ſile. Nullâ horâ in
limine loqui, fas erat. Prô demens arrogantiæ
miraculum; Palladem vix à longe vides, ac in
Lucian. de Vulc. & Iov. uxorem cum Vulcano ſperas. Quid mirum, ſi
Calim. hymn. de pall. cum Tireſiâ cæcuties? Ad grammaticæ oſtium,
Cyllenio verboſior, te oratorem jactas, poetam
canis; Diſputationes aggrederis, ſententias pro-
mis, opiniones enuntias, autoritatem tibi arro-
Manut. apoph. l. 8. gas. Quid? Sic loquere: Te video. Iam ob-
Gell. l. 10. c. 17. cæcato Democrito inſanum te oſtendis: Iam lu-
Iuvenal. ſat. 10. 201 genti Heraclito ridiculum potius, quàm riſibi-
lem te præbes.

Amplius, in gymnaſio adora. Quid hoc?
Diſciplinis, ac virtutibus Deo congruentibus in-
cumbe. Non adorat, qui futilia, nefaria, ſacri-
lega tractat. Nec impiæ deſunt ætati, qui falla-
cijs ſtudent, qui ad vitia ſudant, qui propriæ
men-

mentis divinitatem cogunt ad mali dæmonis cultum.

CÆLVM. Cujus ea pars templum, quâ lituo notabant augures. Qui Cælum ſpectat, Divinitatem veneretur. Vana eorum diſciplina, qui cuncta prȩter Deum in Cælo perpendunt. Lȩvum intonet, in dexteram fulguret; Sit cum Venere Iupiter, cum Luna Saturnus. Quid indè? Aſtra, & fulmina conſideras, nec de autore cogitas? Templum ſi ingrederis, adora.

Var. de li. lat. l3.

HOMO. Hic propriè Lactantio templum. Ideò Paulus *templum Dei eſtis*. Qui ad hominem accedit, corporea non curet. Homo platonicus, animus; In hoc ſola divinitas colenda. Ità illud *in primis venerare Deos*, & de claris Heroibus, & de hominum animis. Audi tu, qui ſemper mala in proximo cernis. Odis, detrhais, vituperas: Bona verò, quæ adoranda, negligis. Præterea templi origo ſepulcrum; Clementem Alexandrinum lege. Hominis terra; Probat exitus. Templum ergo ingredi humanitatis idem, ac mortalitatem perpendere. Tunc Deus præcipuè adorandus, qui verè *Vita*.

l. 5. c. 8. Ad Corinth. 1. c. 3. Plat. in Alcib. 1. In aur. car. Pyt. Hierocl. in protr. Iohan. 14.

PER-

PERFVNCTORIE TEMPLVM NE INGREDIARIS: Symb. II.

Var. Lect.

Ex itinere præter propoſitum. Ficin: *Neque in viâ adorandum*. Scutell. ex Iambl. *Neq; adorato Deum*: Arcer: in Iambl. *Neq; ipſiſſimas fores prætergreſſus*. ibid.

Int. Var.

DE PRÆSTANTIORIBVS: SACRIS: ADORATIONE: PRÆCATIONE.

PRÆSTANTIORA. Loco acceſſionis non habenda. *Iambl. in protr. c. 21.*

ACceſſorium à principali non diſtinguere, fatuum crimen, criminoſa fatuitas. Hinc, Princeps, intellige: Qui citharædum prius, quàm philoſophum, admittis: Qui circum libentius, quàm tribunal petis: Cui ſumptuoſius theatrum, quàm templum. Intellige, pater. Filium ad quid educas? Iam univerſam exercet gymnaſticam. Rhetorem, geometram, juriſperitum, medicum, aſtrologum audit. Verùm de religione nihil cogitas? De hac, & nonnulla diebus feriatis libat. Sic perfunctoriè templum adis.

His, quæ mortalibus utilia, pretioſa non poſtponenda. *Iambl.*

Hæc ſeculi culpa.

Ra-

Rarò vivit, qui Philom. Mul n. 7.

Solers honeſtum præferat utili.

Dummodo ad braſicæ beneficium hauriat Cleanthes aquas, nihil refert, ſi cum Criſyppo, aut Zenone philoſophetur. Ad piſtrinam trudatur cum Plauto ſapiens: In piſtores degenerati magnates pinſare, non ſapere, ſpectant. Stultus profectò, qui miniſterium virtute ſic antiquius habet; Stultior, cui principale corpus, acceſſorium anima; Qui ſacris quæſtuoſa, divinis terrena præponit. Laert. de Cleant. & Val. Max. de ſtud. Gell. l. 3. c. 3.

SACRA. Profanis haud miſcenda, ex vitæ communis itinere contemplando, & adorando. *Gyrald. de ſymb. Pyth.*

Horatium audi: In Poet.

Fuit hæc ſapientia quondam,

Publica privatis ſecernere, ſacra profanis.

Doctè dixit *quondam*. Tunc fortè initiato cedebat immundus, aræ ſolium, Dijs homo: Numini tantum dabantur victimæ: Famulatum neſciebat ſacerdos: In templo major, quàm in aulâ, ſecuritas. Contraria noſtri ſeculi praxis. Hodie profanis nedum miſcentur ſacra; Commutantur, poſt habentur, inſerviunt, obruuntur.

ADORATIO. Simile ſi amicum ſimili, atque ità gratum, ut mereat ſalutationem, Deus inter omnia primus, primo cultu venerandus. *Iambl.*

Deo ſanè nos ſimiles: Ipſo noſtri nullus amantior: Ille nulli ſecundus. At prô cæcitatem! Quibus primus à multis honor? Vltimis; Et for-

 taſſe

taſſe peſſimis: Ideò ſubdam & ſimilibus. Quot Deum ſecundum faciunt? Quot hominis amorem, ac jumenti ſimilitudinem malunt, quàm Dei?

Qui divina cæteris non præfert, univerſum evertit cultus, & cognitionis ordinem. *Iambl.*

Quis enim ordo, ubi antecedunt ſecunda primis? Quis cultus, dignioribus inferiora præponens? Quæ cognitio, ſi à caducis non dignoſcuntur æterna?

Cùm iter inſtabilitatem indicet, non adorandum ex itinere. *Parr. in ſepten.*

Deo quid ſtabilius? Immutabilis ergo ſit adorans. Immo cum Pythagorâ, ſeu Numâ, *ſedeat*, Síque *circumactus*, non inſtabilis. Ad inſtar peripheriæ conſtans Divinitatem, quaſi firmum, & unicum centrum inſpiciat. Ex itinere adorat ille, qui corde, oculis, ac pede vagus per delubra modò huc, modò illuc diſcurrens mortale, niſi potius mortiferum, quærit Numen; Apud quem vultus inſtabiles, caduci, mendaces, in ipſo templi veſtibulo, centri vicem Altiſſimo rapiunt.

Symb. 43. & 42. Plutarc. in Num.

Deus præter propoſitum non colendus. *Gyrald.*

Inanis à fortuna religio. Erubeſcant, qui humana, & ſæpè iniqua deligunt, in divina tantùm incidunt. Sacraria ingredi, ac per vias ambulare non idem. Quot verò in templis id agunt, à quo per ſemitam ſe abſtinerent? Ad fanum accedentis

tis animum à ſe ipſo diverſum voluit Pythagoras: Videlicet in melius mutatum; Nec deſunt, qui deteriores fiunt. Qui oſcitanter incedit, non aram, ſed fulcrum, non adorationem, ſed accubitum petit. Deum purâ veſte, *in quâ nullus indormierit*, aliàs adorandum juſſit. Nunc in templis dormitare, levior eſt culpa. Delubra inſuper extra propoſitum intrant, qui non, ut adorent, ſed ut loquantur, ut audiant, ut videantur, ut videant: De quibus illud repeteret Philomathus, Seneс. Epiſt. 94. Iambl. de Pyth. 28. Muſ. Iuve. n. 13.

Accedunt, ſi quando vocat veſana cupido,
Furtivis oculis dominam libare precantem,
Seu trahit alloquium, ſeu mos, ſeu muſicus illex.

Omnia præter Deum.

Nec ad templi portam adorandus: Hæc, enim allegoricè Phantaſia, quæ fallax. *Farr. in ſept.*

Fallacia, & ſumma Veritas nimiùm diſcrepant. Ioban. 14. n. 6. Senſibilis potentia, ubi de Divinitate, impotens. Auditu religionis dogmata percepi, ais, miracula intuitu; Phantaſiæ igitur non diſſona. Hæc mentis janua. Si tuam ſiſtis fidem in auribus, in oculis, hoc eſt in limine, quamprimum, aut eliminabitur, aut cedet latronibus. Ingrediatur. Qui ad portam adorat, *poſt oſtium, & retro poſtem ponit memoriale ſuum: Pòſtque januam ſanctificatur.* Iſai. c. 57. n. 8 & 66. n. 17.

PRÆCATIO. Ex deſtinato Deum præcari, debemus. *Cael. Rhod. l. 11. c. 23.*

Raró impetrat, qui caſu rogat. Sola deſtina-

ta fiducia verum eloquium. At qui Deum fortuitò adit, ante Deum quid aliud habere, videtur, quod adiret ex electione. Sanè. Quid? Aurum, teſſeram, opſonia, fœminam, ſimilia. Prô ſtultum ſcelus!

Meæ Conieʗt.

DE MYSTERIIS DIVINIS: CVLTV OPEROSO: VERBIS, ET PRÆCATIONIBVS AD DEVM: CONSILIO.

Pſal. 17. n. 12. DEI MYSTERIA. Qui *poſuit tenebras latibulum ſuum*, obiter non ſectandus. Ex itinere in cælos penetrare, ingenio viatori non datur. Scientiæ humanæ tranſijſſe limina, quid juvat? Qui perfunctoriè agit, ſinè voluntate agit; Ac ſola voluntas ad ſublimiora fertur. Mortalium intellectus à Divinitate nimium diſtat. Suam hinc agnoſcant dementiam, qui vanis, ne dicam impijs, applicuit feriò, perfunctoriè, ne dicam jocosè, divinis.

CVLTVS OPEROSVS. Non ex itinere Divinitas colenda; Scilicet non eundo, ſed agendo. Pier. l. 35. Manus apud Ægyptios, & operis, & adorationis nota. *Dij citra ignaviam invocandi:* Ac *virtutis* De ſuperſ. *ſpes, non ignaviæ prætextus eſt Deus*, ajebat Plutarchus. *Quid, ſine operibus fides, niſi cadauer exanime?* In Geneſ. 4. Sic Bernardus. At ſi abſque opere mortua fides,

fides, quis eam occîdit? Nónne otium? Profectò. Secus agis tu, ſceleſte; Opere ipſo fidem vel perimis, vel ſaltem ſaucias. Peremptâ, quæ veneratio? *Deum honoras munere fætido*. Sauciata Id. reum in adoratione te facit magìs, te magìs accuſat. Deum probis operibus venerare. Sic viva, ſic inuulnerata erit fides, nec fœtet, nec culpabitur cultus.

VERBA, ET PRECATIONES. Idem adorare aliquando, ac fari. *Vno congreſsu populum ſic adorat:* Apulejus. Interdum eſt orare; Metam. l. 2.

Vos Turnus adorat. Æn. 10.

Vergilius. *Ab oro* enim, *quod eſt ore precor:* Valla: Thuil. in Embl. Alc. 7 ac Vall. l. 5. c. 18. eleg. Tranſitoriè templum adit, qui de ſacris non congruè loquitur: Qui cunctis nomen divinum admiſcet: Qui pro cunctis Dei Numen exorat. Vanum, quod nihil, quid ad Deum, qui omnia? Síque Dei nomen proferre nequit vaniloquens, quid de blaſphematore? A Deo Pedalij ſolam poſtulabant juſtitiam. Alex. ab Alex. l. 4. c. 17 Tu quid? Vbique immortale reſonat illud Socratis votum. Plat. in Phædr. *Date mihi, ut intus pulcher efficiar*. Tu quam curas pulchritudinem?

Orandum eſt, vt ſit mens ſana in corpore ſano. Iuvenal. ſat. 10.

Quoties tua vota ſanum petunt corpus, ut inſaniat mens?

Annuere his ſuperos vetuere, Iovémque morantur. Perſ. ſat. 2.

Te pudeat, ſi cum his, de quibus Plato, verè templi fores prætergreſſus, Dei ſcilicet ratione poſthabi-

...OTECA NAZ...

Digitized by Google

habitâ, ſtultè, ac ſæpè à ſummo Bono mala poſcis.

In aur. car. CONSILIVM. *Conſulta ante opus*, alibi dixit Pythagoras; *Conſilia primò, inde acta, poſtea eventus*: Cicero. Epiſt. 161. Caſu vivere belluæ potius, quàm viri. Bonum ità ſortiris? Non tibi, ſed fortunæ laus. Prius ad quid agas, mente contrectandum. In hoc Mundo ſuis cuncta miſcentur incommodis. Patent fores ad aulam? Antequam intres, bene cogita; Pretioſa libertas, difficile ſervitium, rara gratitudo, ſors periculoſa. Te allicit monaſtica quies? Obiter ne templum adeas; Ad vigilias, neceſſitates, diſſidia eſto paratus. Amicus te quærit, capit vxor? Perfunctoriè ne ſacris te obſtringas vinculis; Fides rara, ſpecioſa moleſtia, domeſticum periculum.

NV-

NVDIS PEDIBVS SACRIFICA.

Symb. III.

Var. Lect.

Diſcalceatus. Arcer. in Iambl. *Nudis pedibus*. Gyrald. *Sacrifica, & adora*. Ficin.

Int. Var.

DE PEDIBVS: ANIMA SENSITIVA: HVMILITATE: LIBERTATE: INNOCENTIA.

PEDES. Nudi ſint accedentis ad ſacra: Quod Hebræi, Lacedæmones, Mauri, & Saraceni ſervarunt. *Gyrald: de Symb: Pyth.*

SAnè id etiam Moyſi præceptum à Deo. Verùm in hoc quid ſymbolicum? Diſcamus nos interim: Dei mandata ſervant infideles, & barbari; Quid à nobis præſtandum? Illi ad ſacra diſcalceati, nos *calceis* ornati *ſicyoniijs?* Calceatos vult pedes Apoſtolus, *ut audenter ambulemus* in fide: Non ut hanc iniquo ſeculi more proteramus, lunatis, ac laſciuientibus cothurnis, quaſi ad fabulam, accedentes ad Deum.

Exod. 3. n. 5.

Cic. 1. de orat.

Paul. ad Eph. 6. n. 15. & ibi Sedul. Scot. & cant. 7. n. 1 & ibi Ruper.

ANIMA SENSITIVA. Corporalibus, ac mundanis relictis curis, accedendum ad ſacra. *Iambl. protr. c. 21.*

Pedibus animæ affectiones tum à philoſophis antiquioribus, quum à ſacris autoribus, notabantur. Non æquè ad Altiſſimum extollitur

Pier. l. 35. & Bernar. in Iohan. 13.

mens,

mens, quæ terreſtri deprimitur pondere: Neque adorationis probè ſcit metam, qui corporea tantùm ſpectat. Senſibilia diſtrahunt, affectiones diripiunt. Deo ſe nequit tradere, qui non ſuus, ſed alterius. Homo, qui nihil, integer ſaltem ad eum accedat, qui omnia.

HVMILITAS. Colere Deum nefas, extra ordinem terrenum efferendo nos ipſos, quorum & ortus, & nativitas extrinſeca. *Iambl.*

In viâ perfectionis, nudo, id eſt tacito, ac humili pede, ambulandum; Sandalia ne crepitent. Qui ſe jactat, verius jactator, quàm juſtus, quàm ſapiens. Deinceps adorans, vel ortum, ac nativitatem non inſpiciat, vel nudis extremitatibus terram tangens, humile, ac nudum ſuæ naturæ meditetur primordium. Non de lectiſternijs, non de pulvinaribus certandum. *In-*
Eraſ. chil. 3. cen. 6. *fanti aptat Herculis cothurnos*, qui & Divinitatem colens, de gradu litigat. Cœlo tellus collata punctum: Puncto igitur minores homunculi. Puncta in quo differre poſſunt? De quo ideò contendere? Coram Deo nihil nobilitas, nihil dignitas, nihil potentia. Extra ordinem ſe effert, nudíſque pedibus non adorat, qui nobilitate, Arcadum in-
Tucid. l. 1. Martial. l. 2. ep. 50. ſtar, *lunatâ pelle*, quaſi ad lunam extollitur; Qui
Ci. in phil. 13. dignitate, *calceis mutatis*, cum Deioce inviſibilem
Herodo. l. 1. ſe facit; Qui potentiâ, velut *extenſo in Idumæam*
Pſalm. 59. n. 10. vb. Lutern. *calceamento*, fulmina cum Salmoneo tractat. Is
Hygin. fab. 61. Deum

Deum non adorat; Aemulatur: Eáque cuncta extrinſeca; Extra enim adorationem, in quâ ſola inſpicitur mens; Extra hominem, qui verè animus. Plat. in Alcib. 1.

LIBERTAS. Nudo pede: Nam liberè, ac ſinè vinculis. *Iambl.*

Ità pedem pro mentis arbitrio interpretatur Caſſiodorus: Et diſcalceati Angeli, quoniam liberi apud Dionyſium. Dic tu: Sacraria, & ſacramenta cur adis? Cur adoras? Nam ſic jubent leges? En calceus, & vincula. Ità legibus, non religioni litas. Magìs times, quàm credas: Hòminibus, non Deo pâres. In te nihil, voluntatis libertate, dignius. Quibus hanc impendis? Terrenis, ac impijs. Erubeſce. Lubens diabulò te vltro exhibes, vt eum in pravis adores: Coactus ad Deum traheris, vt Deum adorare videaris. In Pſalm. 72. Cœl. Hier. 15.

Votum
Cælo ſolve libens. Philom. Muſ. n. 196

INNOCENTIA. Mundi, & à ſcelerum inquinamentis expiati debemus, divinis incumbere. *Gyrald.*

Id mihi, eruditiſſimi viri pace, pedum ablutio potius, quàm nudatio, indicaret: Illa quidem tollit inquinamenta; Hæc admittit, addítque potius. Hîc verò non de ablutione, ſed de nuditate. Nisì fortè dicamus, paucos nudi-pedes incedere, præterquam prius ablutos.

Tuæ interim te pudeat impietatis, qui tem-

plum adiens, têrgis, non animum, ut Deo, ſed faciem, ut mulieri placeas: Non voluntatem, quæ in pedibus notatur, ſed oculos, in quibus periclitatur voluntas. Ideò adorantes templum mundâ veſte ingredi oportere, voluit Pythagoras. En idem ferè in voto Philomathi.

Caſſiod. & Dionyſ. v. b. ſup.

Iambl. de Pyth. 28.

Philom. muſ. n. 92.

O utinam liceat noſtras abſtergere culpas,
Et niveâ Domini veſte ſubire domum.

Meæ Coniect.

DE ADORATIONE, AC SACRIFICIO: PURITATE: RELIGIONE: CONFESSIONE: SACRIS ORATORIBUS: MENSURA: LAUDE.

ADORATIO, ET SACRIFICIVM. Nudos volunt pedes. Qui calceum, & calcar habet, jam viam capit; Ex itinere adorat. Hæc à ſecundo ſymbolo repete. Id tantum adde: In mundi carcere cum Apoſtolo, ut Deum ſequaris, *calcea te caligas tuas*. Vbi adoratione, ac ſacrificio ad Deum perveneris, quale iter ſupereſt? Siſte greſſum: Depone calceum. Qui extra Deum quid aliud ſcrutatur, nihil, niſì malum, quærit.

Act. apoſt. 12. n. 8.

PVRITAS. Pedes pro Veneris affectionibus. Id ſpectavit Orpheus. Ad id Achillis figmentum. Pedis porrò tanta eſt cum libidine affinitas, & ſympathia, ut pede affecto inguina confeſtim afficiantur. Pedíſque pars quædam colu dicitur à Græ-

Piet. l. 35. Rhodig. l. 1. c. 8.

Græcis, quod Venus interpretatur: Ex quo Veneris Coliæ templum à quodam compedibus exſoluto: Hæc Rhodiginus, & Pollux. Nudus pede ſit ſacrificans; Hoc eſt purus. Ità libidini contraria eſt pedum nuditas, vt hebetiorem Veneris uſum reddat; Rationēm ab ipſo Cælio habes. Hîc nequit, ſilere calamus. Vtinam mendax. Quot calceati accedunt ad ſacra? Quibus nihil aliud innocentiæ, quàm manus lotio? Puritatis, quàm veſtis candor? Qui manè, ac veſperì Morpheo, meridie Bacco, noctu Veneri litant? Quotidie tamen, ſeu gentium ratione, ſeu muneris neceſſitate, ſeu parvulo ducti aere ſacra faciunt. Nova Dei proditio. Talis utinam ſit nemo. Sabinianum genus longè abſit à nobis.

Rhod. l. 5. c. 8. & l. 4. c. 11. et 12. Poll. l. 2. c. 60.

Rhod. 15. c. 6.

D. Hieron. in Sabin.

RELIGIO. Pes hominis, fides religionis fundamentum; Fideíque ſtabilitas pede ſignatur. Hæc ſit nuda, ut apud Flaccum; Hoc eſt vera, unica, viſibilis. Vera: Si veritatis filia, ne hyſtrionum more habitu ſolùm externo, mentitóque incedat cothurno. Vnica: Ipſa enim ſufficit; Quæ à ſenſu calopodia ſummit, quæ ſcientiarum induit talaria præceps crebrò incidit in hæreſim; Denique ſit, quanquam de inviſibili, viſibilis. Fidem erga homines manibus operiat Numa: Erga Deum denudetur in pedibus. Videlicet, nec ab hæſitationibus retardata, nec à ſordibus detenta proprio appareat in progreſſu.

Pier. 55.

Argon. 5.

Alciat. emb. 9.

Liu. 1. dec. 1. 1.

In religionis itinere impedimentis nos ipſos ne involvamus. Nudi-pedem ſpartanum juvenem voluit Lycurgus: *Vt accliuia facilius aſcenderet, decliuia peragraret.* Nudo quiſque noſtrûm naſcitur pede: Hoc eſt libero mentis arbitrio, ſi Caſſiodoro credimus; Cur calceis, ad quid retinaculis implicamur? Ad probitatem quæ difficultates? Majores ad impia: Quibus raro non comitantur vigiliæ, curæ, pericula, ægritudines, mortes. Continentiam ſuadeat prudentia, pudor, ſanitas. Obſtacula nos ipſi addimus; Curioſè in pulchritudinis vincula ruimus. Nobis peregrinis alimentis compedes imponimus. Otioſi retia Cupidini paramus. En calcei.

Plutar. in Lycurg. & Xenoph. de rep. Laced.

In pſ. 72.

CONFESSIO. Hujus quędam ſpecies, & apud Ethnicos. Iam nôtus expiationis uſus. Rem divinam facturus ad ſuam levandam culpam, ſe in primis reum, noxámque fatebatur.

Alex. ab Alex. l. 4. c. 17.

Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Horat. l. 1. Epi. 16.

Pedes pro animi ſordibus apud Valerianum. Sint nudi, ubi calceamentum inane. Tu avarus prudentiæ, tu iracundus honoris, tu impudicus fragilitatis calceum induis: Exue velamina, denuda pedes. Nihil ei cælandum, cui cuncta patent.

Pier. l. 35.

SACRI ORATORES. Doctrinæ jungant exemplum. Pedes, quibus pergit religio, hi ſunt, qui divinam prædicant ſapientiam. Nudi ſacrificent; Hoc eſt eorum iter dignæ pateat imitationi.

Iſai. 52. & ib. Ambr.

Aliud

Aliud prædicare, aliud agere nimis incongruum. Pacem, humilitatem, continentiam ſectandas, quis tibi crederet, ò chreſtologe, qui odium, ſuperbiam, luxuriem amplecteris? Ad cælum vocas, ducis ad barathrum. Pietatem,

Quam verbis petimus, rebus poſcamus eamdem.

Philom. Muſ. n. 75.

MENSVRA. Cujus ſpecies quædam pes. Nuda ſit, ac innocens. Coram enim Deo, quì ubique, apertè, ac intra modum ſemper agendum. Audiat mercator, qui venalibus adulterat modulum, minuítque menſuram, tegítque cum Eſſæo modium; Convitiator, qui proximum occulto, ac falſo pede conſiderat; Prodigus, & ignarus audiat, qui per plateas, & Accademias fucato greſſu proprium excedit pedem; Iactator, qui ſuo cum ſtatuarijs non ſe metitur, ſed ultra ſeptenarium, nimiùm ſupra ſe glorioſus, extollitur. Hi ſenſu calceati lucrum, invidiam, luxum, ambitionem, non Deum, adorant.

Amoſ. 8. n. 5.
Alciat. embl. 81. & ibi thuil.
Eraſ. chil. 1. cen. 6. ad 89.
Horat. l. 1. Epiſt. 7.

LAVS. Quæ apud Triſmegiſtum ſacrificij ſpecies, apud alios adorationis. Pedes, ac lingua Mercurio ſacri. Verùm & ipſa lingua ſuos habet pedes, quorum ratio in oratione, quàm in verſu difficilior. Pede igitur nudo laudandus & Deus, & Princeps; Hoc eſt non carmine, cujus peculiaris fictio: Sed nudo ſermone, quod à multis pro ſolutâ oratione, quæ veritatis propria, interpretatur. Non adorat, qui mendax laudando lædit;

Rhod. l. 22. c. 4. l. 29. c. 9. Fulg. Myt. l. 3. & Apollon. argon. 1.
Calcagn. de Rhet.
In Poet. Ariſt. c. 1. Robort. Beni. & alij.

Vera

Vera laus, quâ os non diſſidet à corde. Dic tu, qui ad aram Dei canis præconium: Quid cogitas interim? Aemuli profectum, familiæ lucrum, ſcorti perfidiam. Cuncta præter Deum. Quid tu, qui principem laudibus effers? Ejus fortunam, utile proprium, proximi pernitiem: Omnia præter principem: Ità non pede nudo, at obtortis Demonidæ crepidis, adoras.

Plutarc. de aud. poe. & Rhodig. l. 7. c. 3.

PO-

POPVLARES VIAS FVGE.

Symb. IV.

Var. Lect.

Per publicam viam ne ingrediaris. Gelen: in Philo: *Ne ambules*: D. Hjeron: *Ne vadas*: Gyrald. *Publicas vias fuge*: Idem ex Olympiod. *Declinans, per ſemitas ingreditor*: Arcer. in Iambl. *Perge*: Scutel. ibi. *Per diverticula vadito*: Ficin. *Populari viâ non ingredere*: Nat. de Com. in Athen. *Publicâ non ambulandum*: Dalecamp. ibi. *Extra publicam non eundum*: Amb. in Laert. *Ne ambules*: Volf. & Port. in Suid. *Regiam declinato, per ſemitas ingreditor*: Politi. *Regiâ ingredere* Clem. Alex. Heruet.

Int. Var.

DE VITA: MVLTORVM ERRORE: ABVSV: PHILOSOPHIA: RELIGIONE: VOLVPTATIBVS: OPINIONIBVS: INSTITVTIS PVBLICIS: VVLGO.

VITA. Publica via deſerenda, quæ vitam indicat humanam: Semita ſectanda, quæ divinam. *Iambl. protr. c.21.*

HÆc vita Baſilio via, Platoni peregrinatio. Nempe quid aliud vivere, quàm diſcedere ab ortu, quàm verſus occaſum moveri? Quid noſtrum in terris, niſi longè à cæleſti patriâ peregrinari? A vitâ igitur humanâ declinemus, ac divinam, quæ occaſûs neſcia, quæ nobis patria, ſequamur. Si homo ad Dei ſimilitudinem, qui Deum pro viribus non imitatur, non homo: Non vivit. Vt viuas,

Baſ. in cōc. de reb. tēp. Plat. in Axioc.

Di-

Philomat. Muſ.n.17. *Diſce vias Domini ſignandas paſsibus æquis.*

Vivendum animæ, non corpori. *Herm. Scot. in colloq.*

Qui corpori potius, quàm animæ vivit, ſe beluam magis, quàm hominem fateatur. Audiat qui ſpeculum prius pro conſilio, quàm librum adit: Qui obſoniorum, ac veſtium luxu patrimonium impendit, mentémque jejunam, & nudam deſtituit.

Ratione, non ſenſu: *ibid.*

Via quidem ſpatioſa, quæ per ſenſus evagatur, anguſta, quæ ratione coercetur: Illa verò publica *multos ducit ad perditionem*; Hæc ſemita *paucos ad vitam*. Quà igitur pergendum? Iam tempus curſores nos facit; Exordium ergo à carceribus, id eſt ab anguſtijs, capiendum. Eas conſule, metam conſidera, indè ſtadium ſelige.

Matt.7.n. 13.&14.

Non vitio, ſed virtute: *ibid.* Quod & in literá Y deſignatum *apud Gyrald.*

De ver. cul. l.6. c. 3. & 4. De vitiorum, ac virtutum vijs, déque Pythagore literâ Lactantium lége. Interim eò ſæuitiæ proceſſit homo, vt literæ documenta perverteret. Vergil. in carm. Iam via virtutis requiem præbuit feſſis in dextero vertice: In ſiniſtro vitiorum apice nunc etiam demens requieſcit iniquitas. Hinc Iuvenalis illud,

Sat. 3. *Somnum rixa facit*;

C.4. n.25. Ieremiæ, *dormiemus in confuſione noſtrâ*. Salomonis, *non dormiunt, niſi male fecerint*. Prou. 4. n. 16.

ERROR MVLTORVM: Quem non debemus ſequi *D. Ambr.*

D. Ambr. ad Iren; ac *D. Hjeron. adv. Ruf.*

Turbam vitandam præcepit Seneca. Ità in Exodo: *Non ſequeris turbam, ad faciendum malum, nec in judicio, plurimorum acquieſces ſententiæ.* Non id agendum, quod multi, ſed quod probi, quod ſapientes. Fatuus ille pictor, qui ſibi potius è pluribus tyronum imaginibus, quàm è paucioribus magiſtri tabulis deligeret exemplar. Epiſt. 7. C. 23. n. 2.

ABVSVS. Fugiendus. *Herm. Schot.*

Hic bonum ipſum vertit in malum. Sed quo pacto fugiendus abuſus, nisì prius dignoſcatur ab vſu. Proh mundi cæcitatem! Hæc vocabula non amplius diſtinguuntur. Iam pro lege fuit vſus, nunc legis-latrix abuſio. Contumax ille in ætatis foro, qui hodie ridiculas veſtitu non ſequitur formas. Vera abradatur coma, ut locum det fictæ; Ollæ potius, quam capitis tegmen ex turri pileus in boletum, in cæpam tranſeat; Subucula tota in manicam exeat; Pallium thorace minus non humeris, at cubito inſerviat; In latam mulieris pallam femoralia vertantur; Calceus bipedalis pro gradu ſit magìs, quàm indumento. Hæc ſeculi ſanctio. Quis ab Heracliti cachino ſe contineret? Ac potius quis Democritum non renovaret? Eo, qui lucubratum edit libellum, ingenioſior ille, qui horum quid novi exponit. Verùm quid novi? Humanæ inſtabilitati conſuetudo pene orta obſoleſcit; Iam obſoleta repubeſcit denuo. Iuven. Sat. 10.

PHILOSOPHIA. Hæc debet à materiali multitudine ad intellectualem unitatem refugiens, unico hærere Deo: *Farr. in ſept.*

Pſeudophiloſophus ergo, qui à Deo philoſophando recedit. Sanè. Philoſophus veritatem quærit; Hæc unica; In terrâ nullibi; In Deo igitur, qui de ſe protulit, *ego veritas*. Eam aliunde ſcrutari, non philoſophia; Stultitia.

Ficin. in Plat. Prot. Rhodig. l. 33. c. 4. Mercur. in Pim. c. 15. Iob. 14. n. 6.

Philoſopho deflectendum à gregarijs, aperiendáque ſibi nova, & propria via. *Philo. de lib. prob.*

Audiat, qui cum pluribus accedit ad ſtadium. Quæ laus principi, ubi eadem agaſoni meta? Inglorius ille ſudor, quo alios potius in elaboratis futilitatibus imitamur, quàm ità nos geramus in arduis, vt imitentur nos alij.

RELIGIO. Humanis conſuetudinibus præferenda. *Iambl. protr. c. 21.*

Væ illis, apud quos non diſtinguitur à conſuetudine religio. Illis autem magìs, à quibus poſt habetur. Illud aliquando inſcitiæ, hoc ſemper iniquitatis argumentum.

Ac ſeparatè ab hominum conſortio in eâ vivendum. *Iambl. ibid.* Quod à nonnullis de vitâ monaſticâ intelligitur. *ap. Gyrald.*

Hinc ediſcant monaci. Ab hominum conſortio verè non ſejunguntur, qui per plateas curſitant, qui obtrectatorum conventiculis aſſident, qui de regnis cum factioſis novatoribus diſceptant,

ptant, qui theatra petunt, qui ſecularium ſtudijs, moribus, convivijs, cubilibus immiſcentur.

VOLTVPTATES. Deſpiciendæ, quæ ab homine: Sola felicitas amplectenda, quæ cum divinâ voluntate. *Iambl.*

Voluptas, quæ à divinis legibus diſcrepat, ſi contumax, quomodo felix? Deus eſt ſummum bonum; Quod illi adverſatur, ſummum erit malum: At

Nemo malus felix. Iuven. Sat. 4.

Quæ verò ab homine voluptas? A Deo quid non felix?

OPINIONES. Non ſequendum judicium populi. *Euſt. ap. Steph. in th. gr. to. 2.* Qui approbat, quod ſibi videtur *Athen. Dalech. l.* 10.

Non eſt conſilium in vulgo, ajebat Cicero. Pro Planc. Exeunte populo ingrediebatur Diogenes: In omnibus enim à multitudine diffidendum putauit, qui unicum in virtute ſe cenſuit. Eadem Phocionis ſententia. Oh quot non ratione, ſed oculis, non lege, ſed opinionibus judicando, excæcant juſtitiam! Non quod alijs videri, at quod tibi eſſe conſtat, inſpiciendum. In aliorum judicijs periclitari, turpius, quàm in proprio. Quid verò? Si ut nitaris alieno, debilius eligis, & alieno, & proprio cadis.

Manut. apoph. l. 3. Idem l. 4.

Communes, ac protritæ actiones, & opiniones contemnendæ: Arcana ſolùm quærenda: *Iambl.* Ità & *Philo.*

Eorum irridet Fama credulitatem, qui populi

dicta, ceu Apollinis oracula, referunt: Facta, vt Herculis labores, imitantur. Nunquam ſententijs, ac operationibus, quæ communes, acquieſcendum, ſed veritati, ac æquitati, quæ inter arcana. Proprium illud vulgi, hoc ſapientis.

Extra publicam viam non eundum. *Interp. lib. de præc. Pyth. miſt. interpr. a Plut. ap. Gyral. tom. 2. Xyland. in Plutar. Volſ. & Poſt. in Svid. Ambr. in Laert. de Pyth. & alij.*

Hoc ſanè ſuperioribus contrarium; Ac ſic interpretatum.

INSTITVTA PVBLICA. Ab omnibus ſervanda. *Plutar. in lib. de præc Pyth. ap. Gyral.*

Cum Plutarcho via æquitatis publica? Intellige, curialis legum interpres: Quoties, ut hinc, & indè opes augeas, graſſatorum more à viâ publicâ juſtitiam trahens ad diverticula, trucidas? Via æquitatis publica. Intellige, homo: Ergo juſtitia cuíque propria.

VVLGVS. Publicam viam ingredere; Nam in aliquibus cum vulgo conuenire, dexteritatis eſt: Fuge; Nam in alijs à vulgo diſſidere ſumma prudentia. *Eraſ. chil. 1. cent. 1.*

Ità ſymbolum diſtinguens, contrarietates componere, conatur ille. Sagax quidem propoſitio; Sed ingenioſa mihi magìs, quàm vera conciliatio. Hinc diſcamus interim, nec viliores contemnendos. Dic Antiſtenes; Cur laudatus à populo, *quid mali feci*, ais? In plebe irritatam potius, quàm mitem, illam cupis multorum capitum

Manut. apoph. l 7. idem l. 4.

bel-

beluam, de quâ Demoſtenes? Alijs placere, curandum: Sapientibus bonum, ignaris utile, omnibus difficile quidem, ſed præclarum. Polycletus egregiè: Duas edidit ſtatuas, alteram ad vulgi, ad artis judicium alteram. Idem l. 6.

Negationem apud Diogenem delendam, ſuſpicatur Brodæus. Idem putare, videtur in Alexandrino Sylburgius, vbi Laertij locum ex Philone correctum cenſet. Quid de Plutarcho, & Suida? Miſcel. l. 2. c. 20. Strom. l. 5.

Meæ Coniect.

DE REBVS AGENDIS: IACTANTIA: SOLITVDINE: AMICITIA: DIGNITATIBVS: LITIBVS.

Per publicam viam ne ambules, extra publicam viam non eundum? Quæ contrarietas? Quidquid verò de hoc ſit apud ſcriptores, ego ſanè Iamblico, ejúſque ſectatoribus hærerẽ, apud quos à publicâ viâ cum Pythagorâ declinandum. Repugnantiæ tollerentur forſan, dupliciter inſpectâ illius, quod *regium*, ſignificatione. Id eſt ſi regia via ſumitur pro eâ, per quam reges numeroſo gentium cœtu ambulant, fugienda quidem: Si pro perfectiori, ac dignâ, quam teneant reges, extra eam non eundum.

An potius apud Laertium, Plutarchum, & alios legendum, non *publicam viam*, ſed *regiam*?

Hanc

Steph. th. gr. tom. 2. Hanc foverent ſententiam illi, qui græcam dictionem *Leophoros* in utranque viam, & publicam, & regiam valere, putant. Aſſerat, quod ſibi libet, In Lami. malignus Pythagoræ irriſor Politianus, qui eodem forſan æquivoco ductus regiam pro vulgari, & latâ poſuit. Hîc non de plauſtrorum viâ Chil. 4. cē, 2, ad. 2. cum Eraſmo; Sed de hominis cum Samio. Apud quoſdam eandem fuiſſe viam publicam, & regiam, nam publico populorum comitatu incedunt principes, referat Stephanus. Thes. gr. to. 2. Hîc Pythagoras, ut ait Philo, De lib. prob. *non pedibus laborem imperat*, ſed animis. Profectò ſi regia vulgaris, rex non diſtingueretur à vulgo. Strom. lib. 2. Accedit Clementis Alexandrini autoritas, qui regiam viam pro arctâ, & à plebe ſejunctâ ſumpſit. Hæc ejus verba Herveto interprete. *Pythagoras jubens, ingredi viâ regiâ, non veretur, prohibere, ſequi vulgi ſententiam.* Eadem lectio apud Heinſium; Vbi ille, qui ſua ex varijs ſcriptoribus collectanea deprompſit, neſcio quo ſpiritu, mutatâ interpunctione ità Clementem legit; *Pythagoras non veretur, prohibere, ne viâ regiâ incedamus, jubens, ne vulgi ſententiam ſequamur.* Quæ inverſionis neceſſitas, & cauſa? Indè ſubdit; *Certè hoc loco Pythagoram, vult Clemens, prohibere, ne regiâ viâ ingrediamur, quæ communis.* Ex verborum, ac interpunctionum varietate, varios, & contrarios interdum oriri ſenſus, quis neſcit? Regia via com-

communis? Hæc erroris cauſa. Regia, & communis haud idem: Eas inter ſe differre apud Alexandrinum, ſatìs eo loci patet. Ampliùs in quarto ſtromatum ſecutus, ut ex notis in margine, Matthæum, nónne de arctâ viâ Domini ſcribèns, eam verè protulit, eſſe regiam? Quo autem pacto dixiſſet communem? Per arctam, *quæ ducit ad vitam*, pauci ambulant, cui lata opponitur, & communis, per quam multi. En Iſaiæ oraculum; *Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei*. Alius adeſt Clementis locus, ubi regia verè illa, per quam incedunt juſti, & quam ingreditur regale genus. Ità juſtorum via eſt arcta; Regia eadem, ac juſtorum; Ergo regia etiam arcta. Hinc diſcite, principes: Hinc ſolamini cives. Regia iuſtorum via, quæ ſtricta. Coronis etiam præſcribuntur anguſtiæ. Qui latam quærit, à rege declinat; Qui arctam, regem induit; Nihil regium magìs, quàm juſtum.

C. 5. Matth. c. 7. n. 13 & 14. C. 40. n. 3.

RES AGENDÆ. Cum lyrico.

Certum voto pete finem.

Interim non publicam, ſed regiam, hoc eſt ſecretiorem delige viam. Tanquam rex, aut nulli, aut paucis cum Tiberio, committe arcana. Tuum nihil magìs, quàm cogitatio: Si exponis, tua non amplius: Revelato conſilio finis periclitatur. Amaris? Aemulatio neſcit amicum. Mereris? Odium virtutes non expendit. Agnoſceris? Famam

Horat. l. 1. od. 5. Dio. lib.

mam ſemper vexat invidia. Per diverticula vade. Ampliùs iniqua hæc ſeculi neceſſitas. Vt ad præturam ſuffragium aſſequaris, non directò petas; Per diverticula perge. Lauda, promitte, dona, eme; Adeas amicum, muſicum, ne dicam lenam, ſcortum; Fortunatus eris.

Horat. ca. 3. od. 5.

Prô curia, inverſique mores.

IACTANTIA. Semita, vt diximus juſtorum via, non publica; Probæ enim actiones minimè oſtentandæ. Stultus ad gloriam proprijs laudibus viam ſibi affectat publicam, qui nequit alienis. Tu audi, qui aliquid non patras, quin tui tibicinem agas; Qui primum non eructas jambum, quem typis non cenſeas dignum; Qui dotem, ac hæreditatem non adis, quam totam veſtibus, epuliſque conſumptam nō exponas. Ad quid tua effers in publicum? Si bona, vbi ſecuritas? Si mala, vbi pudor? Si nec mala, nec bona, vbi gloria?

SOLITVDO. Tranquillitatem cupis? Multitudinem fuge.

Philomat. Pōp. act. 4.

Pax ineſt humili loco:
Procul hinc abeunt metus,
Speſque ſollicitæ, & fraus.

Odium, ambitio, venalitas, æmulatio, mendacium, perfidia, neceſſitas in civitate. In agro ſola te nutrit libertas: Tibi ſola famulatur innocentia. Superbia tantùm in pinu, inſectatio in venatu, in piſca-

piſcatione fraus. Oraculum audi; Gige felicior Aglaus. Hic ex anguſtiſſimo ſuo in Arcadiâ prædio nunquam egreſſus. Quid mirum? Melius eſt, vitam degere ſolitariam, quàm improbis hærere. Si tu ſapiens, nunquam ſolus: Cum mortuis verſaberis; Tecum ipſe vives; Ità ſi inſipiens, ſapies: Nec ſapies, nisì publicam deſeras viam. Vbi multitudo, ibi confuſio. Varietas diſtrahit, occupant negotia, remorantur illecebræ, corrumpunt vitia. Solitudo eſt ſchola ſapientiæ apud Plutarchum: Immo ſapientia ſolitudinis gymnaſium: Antiſtides à Philoſophiâ ſe id emolumenti cepiſſe, dicebat, ut ſolus, ac ſecum ipſe viveret.

Plin. l. 7. c. 46.

Hieron. con. Iou.

Stob. in ſerm. 56.

Man. apoph. l. 7.

AMICITIA. Non ad conchylij, ſeu trunci ſolitudinem, de quâ Plutarchus, nos Pythagoras hortatur, ſed hominis. Vias cunctas non vetat, ſed per antonomaſiam publicas. Et ſemita publica quædam, ſed paucorum. Quæris amicum? Per ſemitam vade. *Non multis manus inijcienda*. Amicus, aut unus, aut duo: Si plures admittis, nec amabis, nec amaberis valde. Vide Cheronenſem. Dein optimus amicus non qui primus per viam publicam occurrit: Sed per virtutis diverticula feriò deligendus. Hjeroclem conſule in Pythagoræ carmina. Qui à choreis, à thermis, à tonſtrinis, à theatris, ab epulis, à lupanaribus amicum petunt, per vias publicas ambulant. Si-

De ſan. tuen.

Pyth. ſymb.

Plut. de tranq. animi. 1.

Manut a-poph. l. 3. vaſa elicimus, ajebat Ariſtippus, quid in amico præſtandum? Plurimi ſanè hominum improbi, amicóque nequam quid pejus? Cadat fictile: Frangatur: Quid ad nos? Titubet amicus; Quid nobis exitioſius?

Vulp in l. 2. ff. vix autẽ pub. DIGNITATES. Via publica, prætoria, & conſularis apud nonnullos eadem. Hinc diſceſtu, qui annuas vices protrahens in ævum, ità publicas dignitates tibi facis peculiares, ut ſemper alios extrudas. Hoc tyrannicum nimis. Experientiæ teſtimonio te fulcis? Quis alius experientiam aſſequetur, ſi tu prohibes? Ad Pythagoram redeo. *Per viam publicam ne ambules*. Hoc eſt conſulatum, aut præturam ne cupias. Periculoſa nimiùm dignitas, dum qui regnat in populorum quiete periclitatur. Nónne populus principis pondus? Per ſublimia, id eſt in uertice dignitatis, oneratum incedere, quid aliud, quàm periculum? Immo quid aliud, quàm cunctos in uno, unum in cunctis periclitari?

LITES. Prætoria via ſi ea, quæ publica, ſìque Vulp. vbi ſup. Rhod. l. 2. c. 12. hæc eadem, ac baſilica, ut Vulpianus, Rhodiginus, & alij putant, in quâ princeps jus dicebat, per publicam uiam ne ambules: Id eſt fuge

Philom. muſ. n. *jurgia rauca fori*.

Clamoſis à litibus abſtine. Ità viam ad forum, vel Prou. c. 26. curiam ignorare optimum ſcripſit Iamblicus. Tibi ſemita ſit, aut ſilentium, aut amica compoſitio.

Pa-

Pactione vinces; Ea ſaltem, quæ judicio conſumeres; Nisì aliud, quietem. Cuncta litigio perdes. Curialium vel inſcitia, vel aviditas cauſarum perennitatem alit: Harum perpetuitas opes vorat, patientiam necat. His deficientibus omne jus tuum perit.

A NIGRAM CAVDAM HABENTIBVS ABSTINE.

Symb. V.

Var. Lect.

Non guſta, quibus nigra eſt cauda. Xil. in Plutarc. *Id enim terreſtrium Deorum eſt*. Arcer. in Iambl. *Mortalium*. Scutell. ibi. *Melanuros neguſtes*. Beroald. & Gyrald. *Sepiam*. Ambr. in Laert.

Int. Var.

DE MENDACIO: VITIO: MALITIA: FALSIS AMICIS, ET FRATRIBVS: FVCOSA PROBITATE: ASSENTATIONE: INGRATITVDINE: IMPLICITIS: INTENTIONE: SENSV: RELIGIONE.

MENDACIVM. Abſit: Hoc enim extremis partibus nigreſcit. *Tryph. gram. & alij ap. Eraſ. chil. 1. cen. 1. & Gyrald. de Symb. Pyth.*

IN extremis partibus nigreſcit mendacium? Occulere tam falſitatis, quàm nigroris peculiare: Illa uerò detegitur tandem; Mendacem ideò memorem eſſe, opportere, inter adagia legimus. Potius ergo in principio, quàm in fine obſcura. Veritatis lux prodeat; Illicò tenebras euaneſcere, quis negabit? Decipior. Abſente lumine inviſibilis caligo; Exeat veritatis radius, & falſi cernentur nebulæ. (Eraſ. chil. 2. cen. 3. ad 44.)

Quid

Quid demum te atrius, o mendaciloque, ſi
Deo contrarius, qui veritas, qui lux? Nunc pro- Iohann c. 14. n 6. & c. 8. n. 13.
mat Momus de mendacio verum. Quale hodie
literarium ſeculi delitium, ni potius delirium?
Spuria, & in ſoluto ſermone proſtituta poeſis, fabula, mendacium. In his igitur proicit ſcriptor ſudores, tempus conterit lector, profanat ideas ingenium, vulgus encomia? In his. Tu eorum fama, quò peruenies? Haud ſanè procedes *ad ſenectutem ævi*, ut de mendacio protulit Sophocles. Ap. Stob. ſerm. 10.
Clara hodie, cras obſcuraberis. En caudæ nigror.

VITIVM. Fuge; Huic enim ſuccedit mentis nigredo. *Rhod. l. 25. c. 37. ac Ferd. à Belu. in Pyth. Symb. 2. c. 1.*

Nempe voluntatis culpa, mentis labes. Impijs hæc nigreſcit, ſola eluceſcit amentia. Vitio quantúm propria ſit nigrities, referat Perſius:

Et potis es, nigrum vitio præfigere theta. Sat. 4.

Dic tu avarus, tu ſcriptor, qui ex ingenio peccas: Qui propriâ gloriaris pravitate: Quò tendis? Nunquid ad immortalem nominis ſplendorem? Falleris. Elaboratus error diſtillata caligo: Oſtentatum ſcelus fama infamis. Improbis nigrum theta mortiferum. Mart. l. 7. ep. 36.

MALITIA. Cum hominibus ob malitiam nigris non conſueſcendum. *Plutar. de lib. educ.*

Prô ætatis noſtræ phreneſim! Hodie à multis malitia virtutis nomine decoratur; Aequiparatur ingenio; Præponitur ingenuitati. Vniverſum

non

non ſat verſatile, ni verſutia mentis machinationibus vertat omnia? De huiuſmodi viro illud repete,

Horat l. 1. ſat. 4.

Niger eſt, hunc, tu Romane, caveto.

Sed *Romane* ad quid? Num patria humanitate præſtantior? O Albulæ faſtum! Extero igitur homini latina præcedat pecus. At ſi malitiam admittere Romanum dedecet, ſynecdoche pateat. Caput pro toto: Mundus ipſe Roma.

Amplius quis ob malitiam niger? Quæ hujus nota? Cauda beſtijs data ad motus animi declarandos, ajebat Cicero: Homini oculus, & lingua. Sic *loquaces oculi* apud Tibullum. Sic *loquere, ut te videam* à Socrate. In quibus nigreſcit peccaminoſus, & viſus, & ſermo, nigerrimus & animus. Vbi cum Horatio *putres oculi*, cum Theophraſto Ereſio *effrænata lingua*, fuge. Sique vitium in alijs vitandum, quid in nobis?

De Orat. 3. L. 2. eleg. 7. Apul. Flor. l. 1. Carm. 1. od. 36. Manut. apoph. l. 7.

FALSI AMICI, ET FRATRES. Ab his cavendum; quos atratos vocant. *Rheucl. de art. cab. l. 2.*

Rara Theſei, & Pirithoi, Achillis, & Patrocli exempla: Et forſan poetica magìs, quàm hiſtorica. Pervulgata & in Dioſcuris amicitiæ, ac fraterni amoris idea: Verum ſi adhuc ſimul, nec ſeparatim alternis diebus, eorum quiſque viveret, concordia forſan in diſſidium verſa fuiſſet. Sanè familiares improbi neceſſaria contagio. Si ab omnibus, quibus cauda nigra, declinandum, quid

Plutar. in Theſ. & Hom. Il. 22 & alib. Hygin. de ſign. cæl. l. 2. Arat. in phæn.

de

de fratribus, & amicis nequam? Infideli amico nil nigrius; Improbo fratre nil atrius. Hic pacem perimit, fidem ille. Vbi alter malus, quæ ſecuritas?

FVCOSA PROBITAS. Eos fuge, qui primâ fronte boni, caudâ mali. *Herm. Scot. in colloq.* Quique ſunt foris Catones, intus Sardanapali. *Beroal. de Symb. Pyth.*

Ad caudam hanc flectat quiſque aures, & ingenium, æternúmque ſibi conſtituat ſecuritatis hierogliphycum. Canus ille comâ ſententias promit, publicis miſcetur negotijs, dignitates aſſequitur. Speciosa quidem prudentiæ argumenta. Sæpe ridet, ſæpe laudat: Cunctis blanditur, cuncta pollicetur. Formoſa comitas. Fana frequentat, cinerem induit, numerales precum globulos præ manibus ſemper habet. Pulchra pietas. Quid melius? At Iuven. ſat. 2.

Fronti nulla fides,

ajebat ille. Secretiora inquiramus veſtigia. Forſan caudæ apparebit nigror. Extra capillum nuſquam candor: Capite ſeneſcet, ingenio, verbis, operibus repueraſcet. Privatis affectionibus publicum ſubijciet miniſterium: Niſi habito verbo, decreta non edens, dignitati arbitrium coercebit, Eraſ. chil. 3. cen. 5. auctoritatem interimet: Sardonius evadet riſus, panegyricus mutabitur in ſatyram. Promiſſa evaneſcent, decipient blandimenta, pietati ſuccedet impietas. Cinis ille iræ, ac invidiæ igniculos fo-

ve-

vebit, ſacri globuli amicis inimicos vertentur in calculos. Quid fraudolentius, quid, pejus? En illud, *In veſtimentis ovium, intrinſecus ſunt lupi rapaces*. Hæc tenebrionis cauda: Cui ſanè agni ſpeciem primo intuitu exhibenti aptaretur adagium, *Cauda de vulpe teſtatur*.

Matth. c. 7. n. 15.

Eraſm. chil. 1. cē. 9. ad 70.

Idem prorſus de voluptatibus, de fortunâ. Venere amicâ quid primâ fronte pulchrius? Quid ſecreto lenocinio charius? *At lippis tandem, ac tonſoribus*, & nominis, & animi turpitudinem, ac nigrĭtiem gallici prius, inde tartarei notabunt carbunculi. En libidinis terminus. Principis favore quid præſtantius? Divitiæ affluunt, creſcunt honores, cateruæ comitantur, populi adorant. Sed jam ſimulata invidi ſuſſurronis zelotypia proditiones effingat, ut proprij livoris, æmulíque cædis principem ipſum habeat miniſtrum. Fidem perfidia nanciſcitur. Ceſſant honores, cunčti deſtitŭunt, facultatibus, libertate, vitâ plečtitur innocens. Quid atrius? Talis fortunæ, talis voluptatum in hoc mundo cauda. Cujus nigredinem ſcitè indicat illud Philomathi;

Chil. 2. cē. 6 ad 40.

Pomp. act. 1.

Status has vices mortalium alternas habet,
Atra vt ſequatur nox diem.

In hunc nigrorem fucoſa deſinit probitas.

ASSENTATORES. A quibus cavendum. *Ferdin. à Belued. in Pyth. Symb. 2. c. 2.*

Apud Piericum canis, qui caudâ blanditur, adu-

adulator. Ecce aſſentationem in caudâ. Si mendax, quid atrius? At nónne adulatio quaſi à naturâ nigris lineis in melanuro notanda, ſi crebrò funeſta? Sæpius aſſentatores, quàm hoſtes, evertiſſe reges, habemus. An verò ſit pejus, adulationem admittere, quàm exercere, ſum neſcius. Illud vanitate, hoc mendacio culpatur. Decipiunt adulatores: Quid iniquius? Decipi volunt laudati: Quid ſtultius? Iſti adulationem haud exquirerent, nisì deſtituerentur à laude. Illi haud agerent, ſi vir deſtitueretur à ſorte: Pereat ille, dummodo hæc ſibi vigeat. Et canis, & aſſentator ſolent, Lib. 5. de can. Curt. de Alex l.6.

blandas movere per aera caudas; Ovid. met. l.14.
Noſtráque adulantes, comitant veſtigia, donec
Excipiunt.

INGRATITVDO. Ab homine fugienda. *Ferd. à Belu.*

Cur fugienda? Nam peſſima. In ſe, vel in alijs? Vbique. In ingrato, nihil mali non ineſt, ajebat Cicero. Ideò ad Attic. l.8.ep.48.

ingratos ante omnia pone ſodales, Iuvenal. ſat 11.

cecinit ſatyricus Aquinas. Ingratus verò bona ſaltem recepit: Ab ingrato nihil, nisì malum pendet. Ingratitudo in te ipſo vitium, in alio & periculum. Illud tuum eſt fugere; Quod facile: Hoc quis fugiendi modus? Profectò difficilis: Num officia negando? Nimis hoc inhumanum. *Non reſpondeant potius, quàm non dentur*, ajebat Seneca, epiſt.81.

neca. Ingratos haud facere, id eſſet, non fugere.
Senec. de beref. l. 4. c. 28. *Dij quoque multa ingratis tribuunt*. Vis ab ingrato ſegregari? Reciproca ſit fuga. Illi benefac; Indè bona te fugiant collata. Eum tibi ſola beneficia reddunt abſentem; Sola memoria facit hoſtem. Adde bona, & magìs à te diſtabit. Obliuiſcere, ac diſtabis ab eo. Illum fugam doceat liberalitas, te obliuio. Hæc ingrata in ipſo, in te ſit magnanima. Ità ingratum & beneficus, & immemor à te ipſo remove.

IMPLICITA. Non recipienda. *Plutar. de praec. Pyth. myſt. interp. ap. Gyral. tom. 2.*

Ap. senec. controv. l. 7. Albæ ſint ſententiæ, vt de Albutio retulit Aſinius, non atræ. Ab eo, qui, ſeu loquatur, ſeu ſileat, ſemper implicatus, cave. Qui ænigmata Terent. in Andr. non ſolvit, Davi culpatur inſcitiâ; Qui cum Oedi- Diod. sic. l. 5. c. 6. po ſolvit, ſphingis mentem violat. Pernicioſum vtrunque.

INTENTIO. Haud atra, ſed candida ſit in omnibus. *Georg. Ven. tom. 5. prob. 433.*

Intentio illa candeſcit, quæ innocens, quę aperta. Si autem innocens, ad quid occultanda? Candida in Arceſilao præcordia, ob ingenuitatem, vo- In Pythi. luit Pindarus. Qui conſilium cælat, nedum cau- Ap. pier. l. 38. dam, ſed nigra tenet præcordia cum Homero. Finis forſan cuſtodiendus, ne livor impediat? Prô ſeculi nequitiam. Hodie magìs, quàm vitium, periclitatur integritas. Quid verò? Sit candidus finis,

finis, & viſus fortè diſgregabitur in vidis. Dubium etiam ſit aſſequi, dummodo mereri ſit certum: Idque certum, niſì ob aliud, ob mentis candorem.

SENSVS. A ſenſualitatibus abſtinendum, quæ caudam, hoc eſt inferiorem animi partem, inficiunt. *Farr. in ſepten.*

Stultus ille, cui capite cauda potior. Hanc mordere, quod eſt affectus corripere, ac moderari, vera immortalitatis nota. Caudâ verò caput occultare, id eſt ſenſu rationem obruere, venenoſæ dipſadis, immo tartarei ſerpentis proprium. Pier. l. 14. de ſerp. 1.

RELIGIO. Caudâ nigreſcere, terreſtrium Deorum eſt: Dijs ergo intelligentibus adhæreſcendum, ac ſecedendum à naturâ materiali. *Iambl. protr. c. 21.* A corporeis. *Ibi Scutel.*

Dij terreſtres montibus, ac ſyluis præſunt. At Nat. Com. Myth. l. 1. c. 7. & Gyrald. ſynt. 1.
cum illis quid caudæ nigror? Fortaſſe quia ſpectantes ad naturalia, & corporea, quorum terminus corruptio? De his infra. An potius ibi vel de ſubterraneis, aut inferis loquebatur Pythagoras, vel de fraudulentis? Vtrunque jam expoſitis congruum. Sed terreſtres, inferi, nec non tenebriones eâdem voce apud Græcos nuncupantur. Steph. th. gr. tom. 4.
Audi, ſubdole: A furiâ non diſtingueris.

At Deorum cultu optimo utendum, maximè primarijs Dijs congruo. *Iambl.*

Qui verò inter Deos primarij, quos Varo ſupra triginta millia fuiſſe autumat? Ap. D. Auguſ. de Ciu. De. l. 4. c. 23. & l. 7. c. 2. Synth. 1.
Forſan qui cælites apud Gyraldum, vbi & de ſecundis, & de minoribus? At vanum quærere, quod falſum. Mi-

neca. Ingratos haud facere, id eſſet, non fugere. *Dij quoque multa ingratis tribuunt*. Vis ab ingrato ſegregari? Reciproca ſit fuga. Illi benefac; Indè bona te fugiant collata. Eum tibi ſola beneficia reddunt abſentem; Sola memoria facit hoſtem. Adde bona, & magìs à te diſtabit. Obliuiſcere, ac diſtabis ab eo. Illum fugam doceat liberalitas, te obliuio. Hæc ingrata in ipſo, in te ſit magnanima. Ità ingratum & beneficus, & immemor à te ipſo remove.

Senec. de benef. l. 4. c. 28.

IMPLICITA. Non recipienda. *Plutar. de praec. Pyth. myſt. interp. ap. Gyral. tom. 2.*

Albæ ſint ſententiæ, vt de Albutio retulit Aſinius, non atræ. Ab eo, qui, ſeu loquatur, ſeu ſileat, ſemper implicatus, cave. Qui ænigmata non ſolvit, Davi culpatur inſcitiâ; Qui cum Oedipo ſolvit, ſphingis mentem violat. Perniciosſum vtrunque.

Ap. senec. controv. l. 7. Terent. in Andr. Diod. sic. l. 5. c. 6.

INTENTIO. Haud atra, ſed candida ſit in omnibus. *Georg. Ven. tom. 5. prob. 433.*

Intentio illa candeſcit, quæ innocens, quę aperta. Si autem innocens, ad quid occultanda? Candida in Arceſilao præcordia, ob ingenuitatem, voluit Pindarus. Qui conſilium cælat, nedum caudam, ſed nigra tenet præcordia cum Homero. Finis forſan cuſtodiendus, ne livor impediat? Prô ſeculi nequitiam. Hodie magìs, quàm vitium, periclitatur integritas. Quid verò? Sit candidus finis,

In Pythi. Ap. pier. l. 38.

finis, & viſus fortè diſgregabitur in vidis. Dubium etiam ſit aſſequi, dummodo mereri ſit certum: Idque certum, niſì ob aliud, ob mentis candorem.

SENSVS. A ſenſualitatibus abſtinendum, quæ caudam, hoc eſt *inferiorem* animi partem, inficiunt. *Farr. in ſepten.*

Stultus ille, cui capite cauda potior. Hanc mordere, quod eſt affectus corripere, ac moderari, vera immortalitatis nota. Caudâ verò caput occultare, id eſt ſenſu rationem obruere, venenoſæ dipſadis, immo tartarei ſerpentis proprium. Pier. l. 14. de ſerp. 1.

RELIGIO. Caudâ nigreſcere, terreſtrium Deorum eſt: Dijs ergo intelligentibus adhæreſcendum, ac ſecedendum à naturâ materiali. *Iambl. protr. c. 21.* A corporeis. *Ibi Scutel.*

Dij terreſtres montibus, ac ſyluis præſunt. At cum illis quid caudæ nigror? Fortaſſe quia ſpectantes ad naturalia, & corporea, quorum terminus corruptio? De his infra. An potius ibi vel de ſubterraneis, aut inferis loquebatur Pythagoras, vel de fraudulentis? Vtrunque jam expoſitis congruum. Sed terreſtres, inferi, nec non tenebriones eâdem voce apud Græcos nuncupantur. Audi, ſubdole: A furiâ non diſtingueris. Nat. Com. Myth. l. 1. c 7. & Gyrald. ſynt. 1. Steph. th. gr. tom. 4.

At Deorum cultu optimo utendum, maximè primarijs Dijs congruo. *Iambl.*

Qui verò inter Deos primarij, quos Varo ſupra triginta millia fuiſſe autumat? Forſan qui cælites apud Gyraldum, vbi & de ſecundis, & de minoribus? At vanum quærere, quod falſum. Minorem, Ap. D. Auguſ. de Ciu. Dei. l. 4. c. 23. & l. 7. c. 2. Synth. 1.

norem, aut ſecundum ſatellitium potius, quàm divinitatem indicare, quis negaret Lactantio? A ſymbolo diſcamus interim, cum congruo Dei non uti cultu, qui ſemper materialibus hæret. Qui ſolam ſpectat mortalitatem, Deum neſcit.

De falſ. relig. li. 1. c. 4.

Meæ Coniect.

DE SEDITIOSO VIRO: IVVENTVTE: SCRIPTORE: SVI AMORE: SACRIS: TERRENIS.

Maxima interpretum in hoc ſymbolo varietas illud Domitiani ſuper rhombo piſce renovat conſilium. Alijs de melanuro, alijs de ſeppiâ loquitur Pythagoras; Ille pro dipſade accipit melanurum, hic pro ijs, quibus nigra cauda. Hæc poſtrema lectio mihi potior, nam ſymbolica magìs; Et magìs congrua dictioni. Melanuri etymon apud Græcos propriè nihil aliud innuit, quàm id, cui nigreſcit cauda. Sic Iamblicum legit Arcerius. Ficinum ità vertentem cum Guarino in commentario Plutarchi, tanquam inſcium, piſcem eſſe melanurum, arguit Gyraldus; Cum quo Thuilius: Ibi verò eadem Xylandri verſio; Quam ſequitur & Caſaubonus in Atheneum. Calumniæ participes Lylius facit Rhotherodamum, & Rheuclinum; At improbabilis hæc tantorum in re literariâ virorum inſcitia. Præter eos, & ſic legunt Beroaldus, Rhodiginus, Georgius Venetus, & alij.

Iuvenal. ſat. 4.

Steph. theſ. gr. tom. 2

In vit. Pyth. c. 24. & i protr. c. 21.

Plut. de lib. educ.

Gyr. & Thu. de Symb. Pyt. L. 10 c. 19.

De symb. Pyth & de art. cabal. l. 2.

Beroal. de symb.

Rhod l. 2. c. 33

Ven. tom. 3. ſec. 5. probl. 433.

Symb. 35.

alij. Accuſationem forſan retorquere, ità quis poſſet: Nónne Gyraldus inter Pythagoræ dicta enuntiauit *piſces ne guſtato*? Ad quid ergo ſymbolum de Melanuro? Sed quid quid ſit de ſepià, melanuro, aut dipſade, in hoc uno conueniunt omnes, ut de nigrâ caudâ hic ſit ſermo. Nigredo in caudis vitanda? Quid in animis? Tu verò, adoleſcens, quid tam ſollicitè conaris? Oris tollere verrucam:- Et labem negligis internam? Hoc ſane melanuro, aut ſepiâ nigrius, hoc dipſade lethalius. At nec ſilentio prætereunda præcepta, quæ forſan ex interpretum varietate nobis datur elicere.

SEDITIOSVS. A melanuro abſtine: Quod etiam inter Antiphanis ænigmata. Ex Græco ità Gyraldus pro piſce. Is cùm placidum eſt mare, Gyrald. de symb. occultatur, ac ſolâ tempeſtate accedit ad litora. En Gyl. ex Aelian. de icon ſeditioſi. Non poterat natura, quin eum in hiſt. an. l. 12. c. 17. caudâ nigris lineis notaret, ſi verum ex Ariſtotile retulit Atheneus. Turbulentiæ ſtudioſum virum L. 3. c. 18. Caſaub. fuge. Tumultuator in atrum, ac funeſtum deſinit ſemper. Lites quærit ubique, ubique ſuſcitat, ut ipſe tertius gaudeat. Si cum eo vivis, qui ad inſtar melanuri tranquillitatem odit, procellas amat, quò tendis? Iam ſola tibi ſuperſunt naufragia.

IVVENTVS. Ab eis cavendum, cum quibus juveniles annos amittimus. Nonnulli melanurum pro dipſade accipiunt. De hac ità fabulatur Nican-

Ap. Ael. Gyl. l. 9. c. 4. & Rhod. l. 25. c. 33. Thuil. in Alc. emb. 7.

cander: A Dijs mortales juventutis munere donati eam commiſerunt aſino vectandam. Sitiens ille pervenit ad fontem. Dipſas fontis cuſtos potum inhibuit, nî prius quod vehebat loco mercedis conceſſiſſet. Areſcens annuit aſellus, ceſsítque onus. Ideò ſingulis annis juveneſcit ſerpens, nos autem irrevocabili afficimur ſenectute. Oh quot inſipientem, ac improbum ſeligentes amicum, aſino propriam cedunt juventam. Perdent. Otium, inſcitia, ludus, pocula, luxuries, dipſades erunt.

De Pyth. Ap. Gyral. tom 2. De symb. Pyth. Chil 4. cē. 5. ad 20. Cent. 1. de ſymb. L. 32. c. vlt. L. 4. c. 3. De nom. piſc. maſſil c. 24.

SCRIPTOR. *Sepiam ne vores*; Laertium ſic legit Ambroſius. Ità etiam interpres libelli de præceptis Pythagoræ myſticis à Plutarcho intertpretatis. Eraſmum huius lecturæ ſectatorem accuſat Thuilius; At ille, quid quid habeat in adagio de percâ, erroris non erat inſcius; Quod pateat ex chiliade prima, vbi non ſui, ſed aliorum ſententiâ ſepiam pro melanuro ponens, contra illos adducit Plinij locum. Congrua forſan magìs erat Matronis de Atticâ cœnâ deſcriptio apud Atheneum; Nam Plinius unum eundémque piſcem, vt Gylius notat, ac ſi de diuerſis loqueretur, aliquando commemorat.

Vier. l. 24. de ſep. Horat. l. 2. ſat. 8.

Sepiam igitur cum illis ne edas, quæ atramentum in caudâ geſtat. Scriptorem inquam ne mordeas. Ità ſepiâ vtebantur ad literas indicandas Aegiptij. Audi

Balatro ſuſpendens omnia naſo.

Cur

Cur aliena continuò laceras? Tua nunquam edis? Ea ſi bona, tu malus ergo; Si mala, nec omnino ſpernenda. Malum neſcire, peſſimum. Quale autem inter volumina tam malum, ex quo boni aliquid non eruas? Indè ſaltem otio non marceſcere, diſcas. Niſì aliud, expende voluntatem, lauda conatum. Amens qui *crabrones iritat;* Amentior qui ſepiam. (Eraſm. chil. 1. cē. 1. ad. 60.)

Facit indignatio verſum;

Atramento vindice nil magìs formidabile: Veſparum aculeis fortior ſcriptoris calamus. A Lacedæmonijs Parij vatis reijciantur libelli; Exprobretur à Critiâ; Spernatur à ſocro. (Val. Max. l. 6. c. 3. Ael. var. hiſt. l. 10. c. 13. & Gyrald. de poet. dial. 9.)

Archilochum proprio rabies armavit iambo. (Horat. de art.)

Quis non incidiſſet in Lycambis fatum?

SVI AMOR. Quid pernitioſius? Eo ſepia capitur: In aquâ ſpeculis demiſſis, dum ſe in his amatoriè intuetur, circumventa reticulo ſubducitur. (Gyl. in Ael. de var. hiſt. l. 12. c. 15.) Diſce tu mulier, quæ continuò te ipſam in ſpeculo adoras: Tu vir, qui tuis ità delectaris, vt cætera ſpernas. Illinc excitata libido; Hinc ignara præſumptio. Sepia ſui amore perit; En finis ater. Narciſſus in florem vertitur; Sed ſacrum Eumenidibus, maniúmque coronis. En orci tenebræ. (Nat. Com. myth. l. 9. c. 16. & plutar. ſymp. 3. quæ. 1.)

SACRA. Color niger in caudâ? Ille Apollini ſacer; Ideò à Brachmanis veneratus. Eóque Numen in corvo gaudet. Nigrum in caudâ tenet, qui (Pier. l. 23. de corv.)

divi-

divinis humana præfert; Qui Deum invocat pejerando. Pejus qui maledictis execratur. Talis profanus, qui ſacerdotem parvi pendit: Sacerdos pejor, qui ſacerdotium. Sanè ab his cavendum. Si Deo non parcunt, quid præſtarent homini?

Arcer. in Iambl. protr. c. 21. TERRENA. Ab his te contine; *Terreſtrium enim Deorum eſt caudâ nigreſcere*. Ibi *mortalium* legit Scutellius. At qui Dij terreſtres, qui mortales? Eiuſd. Pyth. Non illi certè, de quibus in aureis carminibus, *Et terrenos cole dæmones*, vel ſint Lares, aut Genij cum Nigro ex Tullio, & Apulejo, vel homines Steph. Nig. & Hierocl. ibi. virtute præditi cum Hierocle: Venerandos illos proponit, hos fugiendos. Qui ergo?

Mobile
Philomat. In Pomp. act. 1.
Quid quid noctivago lumine Cynthia
Præcingens tremulis motibus aſpicit.

Cuncta ſcilicet, quæ ſublunaria tu, homo, adoras. In Pſalm. 80. Quis Deus tibi, helluo? Venter, ait Hieronymus. *Quotcunque vitia habemus, tot recentes habemus Deos*. Quis tibi, amans? Pulchritudo. Vterque in corruptionem deſinit. Hæc nigra cauda. Quem pro Deo habes, tu pater? Filium? Curam potius. Filiam? Immo periculum. Tu otioſus? Aleam. Verius dixeris nuditatem. En caudæ nigredinem. Quid tu adoras, venator? Equum, canem? Tibi præcipitium alis; Eos nutris, qui Ovid. met. l. 15. te vorent. Caudæ atrum in Hippolyto in Actæo- Diod. l. 5. c. 14. ne inſpicis. Quale Numen tibi, avare? Auri ſplen-

ſplendor. Tibi, aulice? Principis aura. Et aurâ, & ſplendore quid inſtabilius? Hic ſæpe umbram parit, illa contagium ſæpe infert. Inſidias, pericula utrinque paras. Quæ cauda nigrior? Tu ſapiens, tu miles, quam colis Deitatem? Titulos, dignitates. Quæ his cauda? Nedum atra, ſed funeſta. Mors cuncta rapit.

Protinus omnia Philom: Tōp.act.4.

Fato humana ruunt irreparabili.

Nomen, ais, vivet per ora virûm immortale. Quo uſque? Tu peribis, peribunt homines, peribit & mundus. Quid, quibus, ubi vivet?

LINGVAM COERCE.

Symb. VI.

Var. Lect.

Silentium, id eſt echemythia ſervanda. *Gyrald.* Linguam ante omnia contineto Deos ſequens. *Arcer. in Iambl.* Coerce Deum imitans. *Ficin.*

Int. Var.

DE SILENTIO: SERMONE.

SILENTIVM. *Quoad ſapientiam:* Hujus opus primum eſt, ſermonem ad ſe ipſum, & ad ſui conſiderationem convertere. *Iambl. protr. c. 21.*

SErmonem qui ad ſe ipſum potius, quàm alios convertit, verè ſapiens. Audi, obtrectator, Horat. l. 1. ſat. 3. & criticus, qui ad alios. *Te ipſum concute.* Tuos increpa mores. *Eijce primùm trabem de oculo tuo,* Matth. 7. n. 5. *& tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris.* Tua ſcripta, ſi quę habes, perpende: Si deſunt, aut age, aut ſile.

Perſ. ſat. 4. *Tecum habita, & noris, quàm ſit tibi curta ſupellex.*

In Timæ. Motus ille optimus, ait Plato, qui in ſemet ex ſe ipſo fit. Sed

Perſ. ſat. 4. *Nemo in ſe ſe tentat, deſcendere, nemo.*

Et

Digitized by Google

Et aſſuefacere, ne foras progrediatur, ſed reddatur perfectus. *Iambl. ibidem.*

Intelligat glorioſus ille, qui & inopinatò deblaterans, quot verba, tot oracula ſe proferre iactat; Qui tyrocinium vix aſſecutus, magiſterium profitetur: Qui adhuc in rhetoricis, ac poeticis reptando iuxta illud,

Legitimúmque ſonum digitis callemus, Horat. poet.

manu, ne dicam circino, carminum, ac orationis metitur pedes, ac audet per typos literarios inflatus incedere. Silentio ſapiendum potius conſulto, quàm fortuito ignorandum eloquio. At ego, ait, per biennium tacui. Non ſufficit. Apud Pythagoram ſilens diſcipulus ea, quæ dicebantur, audiebat. Non taciturnitas quæque, ſed *echemythia ſervanda*. Sic Gyraldus, & forſan à Gellio: Huic enim ſilentium, quo erudimur, innuit vox illa. En Samij præceptum in Patientis oraculo; *Docete me, & ego ſilebo*. In Pauli; *Mulier in ſilentio diſcat*. Ità ſiluit Cato; *Meum abrumpam ſilentium*, dixit, *quum ea loqui, potero, quæ ſunt indigna ſilentio*. Ità *nihil facito, quod neſcias*, alibi docuit Pythagoras. Adde nihil dicito. Diſce prius. Quouſque petis? *Tandiu*, ait ille, *quandiu neſcias, quandiu vivas*. Doctus cupis videri? Tace. *Vtinam taceretis, ut putaremini, eſſe ſapientes*. Quid mirum? *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur*.

Gell. noct. 1. c. 9. De ſymb. Pyth. Gell. ibid. Iob 6. n. 24. Ad Tim. 1 c. 2. nu. 11. Manut. apoph. l. 5. In aure carm. ap. Hierocl. Nige. in aur. car. Pyth. Iob. 13. n. 5. Prou. 17. n. 28.

Et philoſophus arcanis Deum debet imitari. *Ex Olympiod. Gyral.*

Quis pro philoſopho? Diſcipulus, an magiſter? Si diſcipulus; Hic profectò ſapientiæ ſectator, quæ divinum quiddam, echemythiam ſervet pythagoricam: Quatenus tamen huic Arpocratis legi hodie ſtulta pareat arrogantia. Si magiſter; Quid indè? Sapientiæ myſteria, inquit ille, cunctis minimè patefacienda. Impium axioma.
Plutarch. de Iſid. & Oſi. Sphinges quidem antiquitus ante ſacraria: Et Minervæ templum talem obtulit epigraphem; *Peplum meum nemo adhuc detexit*. Verum & ſphinx, & velum doctoris haud ſilentium, ſed doctrinæ oſtendebant difficultatem; Præcipuè de Deo, vt
Strom. l. 5. aſſerit Clemens. Nónne bonum communicabile? Qui neſcit explanare, ignarus; Qui negligit, invidus; Vterque magiſter nequam. Vulgarem verentur doctrinæ profectum? Errant.

Non cuivis contingit, adire Corinthum.

SILENTIVM. *Quoad religionem*. Eo enim colendus eſt
Horat. l. ep. 17. Deus. *Gyral.*

Cœl. Rho. 13. c. 5. Nobis homo dicendi, tacendi præceptor Deus, ajebant illi. Quis non hominem potius, quàm Deum ſibi deligit magiſtrum? Notum illud in antiquorum ſacrificijs,

Ouid. met. c. 15. *animis, linguiſque favete.*

Iambl. de myſt. ad Porph. Nunc raró linguæ, rarius favent animi. Suum taciturnitate Icton adorabant Aegiptij: Nos Numen gar-

garrulitate lædimus. Ianuam illis prætereuntibus fari, nefas: Nos in ſacello ipſo loquaces. *Te decet hymnus Deus in Sion; Tibi ſilentium laus Deus in Sion*, legit Hjeronymus. *Tibi Deus, convenit primò tacita admiratio magnitudinis tuæ*, addit Bellarminus. Quot verò de ſe ipſis hymnos cantant, momíque de Deo tacere, nequeunt? Noſtri etiam brevi tabellâ ſilentium ſacris indicunt choris. At nónne ab iſtis ad Altiſſimum vel laudes, vel preces linguâ ipsâ canendæ? Ad quid ergo de ſilentio monitum? Nam alternatim alij canunt, alij ſilent? Vlterius progrediendum. Silere idem, ac quieſcere: Ideò *& lætati ſunt, quia ſiluerunt*. Quot in deſiderijs, in fide fluctuantes, etiam ſedentes ad ſacra, læti ſunt, nec quieſcunt, nec ſilent? Idem, ac ceſſare à bello: Ideò, *ſiluit omnis terra*. Quot dum voce, Dei extollunt præconia, hoſtili animo haud ſilentes, alterius meditantur præcipitia? Idem, ac vacare à flagitijs, quorum eſt clamare ad Deum; Hinc illud, *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me*: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt*. Quoties peccata magìs, quàm linguæ clamant? Sileant adorantes; Nóſque irreligioſæ pudeat ruſticitatis, qui ad Deum accedentes, coram Deo, & aliquando contra Deum cum homine, ac ſæpe cum dæmone loquimur.

Porphir. de ant Hom.
pſalm. 64. n. 2.
ap. Bellarm. in pſal. 64.
Ibid.
Pſalm. 106. n. 36.
Iſai. 14. n. 7.
Gen. 4. n. 10.
18 n. 20.

SERMO. Ea tantum, ut Deum imitemur, debemus exprimere, quæ alijs iuuent. *Georg. Venet. tom. 5. prob. 438.*

Ma-

Maledicus audiat conviciator. Deus verbo creavit omnia; Verbum factum homo redemit omnes. Videat an Deum imitetur ille, qui verbo cuncta deſtruit, cunctos perimit.

Meæ Coniect.

DE PAVCILOQVIO: NVLLO, AVT PROBO SERMONE: RATIONE: VIRTVTE: VERITATE: MALIGNITATE: CRAPVLA.

PAVCILOQVIVM. Pluries decantatum illud, *loquere, ut te videam* Socratis. Linguâ ſe viſibilem facit homo; At raro ſe oſtendit Deus, cui ſimilis homo. Deum qui ſequi, cupit, coerceat linguam; Hoc eſt parcè loquatur. Xenocratem locutum fuiſſe pœnituit aliquando, ſiluiſſe nunquam. Sed verbi ſi pœnituit, quæ vtilitas? *Alatum* illud apud Homerum volat irrevocabile. Si taciturnitatis pęnituiſſet, correctioni locus erat. Locutum non fuiſſe, haud poterat; Loqui, poterat.

Manut. apoph. l. 3.

Id. l. 7.

Odyſſ. 7. & alib.

SERMO NVLLVS, VEL PROBVS. Vis Deum imitari? Linguâ caret Altiſſimus. Ideò apud Pierium, & ciconia, & crocodilo notatus. At ſummum is bonum. Aut ſile, aut bene loquere. Bias linguam, ceu meliorem, pejorémque victimę partem Aegyptiorum regi pertulit: Ferè idem Ana-

L. 17. & 29.

Plutarch. de audit. & in conuiv.

Anacharſis. Ad id forſan tendebat illud, *lingua* Diog. in Anach.
fortuna, lingua dæmon, quod canebant ſacra facien- Gyral. de Dyl. ſynt.
tes Harpocrati; Scilicet fortuna, & dæmon inter ea 1.
ſunt, quæ tum bona, tum mala. Summum ille imi-
tatur bonum, cui aut nulla eſt, aut proba lingua.
Probæ modum petis? Cum Pythagoricis Deo
ſimiles fieri poſſumus prudentiâ, juſtitiâ, ſanctita- Iambl. prott. c.
te; His lingua cohibenda. Intelligat, qui abſque 14.
conſilio oblaterat, qui abſque lege judicat, qui abſ-
que honeſtate loquitur. Eos pudeat. Primus non
homo, pſythacus. Alter lanio, fur: Poſtremus ne-
fanda ſuo exponit in ore, quæ pudor ipſe indu-
mentis operire ſtudet. Illi malo dæmoni, non Deo,
ſimiles.

VERITAS. Deum imitare: Homo, inquam,
eſto. Quid præſtandum, ais? Linguam cohibe.
Nunquid tacendo? Nequaquam. Deus Verbum.
Loquar, dicis? At ille non mendacium, ſed pura
veritas. Me hâc imperitum, ais accuſabit ætas: Iohan. 14. n. 6.
Tu iniquam ætatem. Potentioribus inviſus ero:
Dei ſimilis, & charus. Si Deus Pythagoræ *nume-* Lucian. de
rus armonicus, & muſica, ſubdis, falſis aliquando, vit. ac. & Plutar. de
abſoníſque delectatur. Profectò; Sed quatenus plac. phil. l. 1.
acutum, & grave in unum coeant. Apud Samium Origen.
etiam Deus *unitas*. Diffide ab improbis, à ſenſu, à ap. Gyral. de Dyſ.
te ipſo: In Deo ſolùm, qui & monas, & veritas, ſynt. 1.
deſine. Si Deus muſica, lingua plectrum, dicebat
Cicero. Quid mirum, ſi hæc inſimul concordan- De Nat. De. l. 3.
da?

da? Immo ſi linguæ plectrum à Dei muſicâ moderandum?

VIRTVS; Quæ ad Deum via. Quoad jactantiam. Probe age, ac tace. Si grandia facis,

Pind. in Pſich. *Deſine, grande loqui; Frangit Deus omne ſuperbum.*

Iactantiæ comes invidia. Qui nimiùm propriam exponit virtutem, maledicentiæ veſparium irritat. Verùm quæ virtus? Omne actionis bonum oſtentatio delet.

Philomat. muſ. n. 34. *Inſipiens dum vult, eſſe omnia, nil eſt.*

Quoad obtrectationem. Linguam cohibe, coerce. Quo pacto poſtulas? Probè agendo. Nullum maledicentiæ frænum probitate validius. Convitia contra eum, qui ſanè bonus, vel nulla, vel innoxia: Vel ad inſtar veſparum e putredine oriuntur, vel ſine fide pereunt. Crabronum contemnit aculeos, qui verâ virtute incedit cum Pallade amatus. Hinc illud Iuvenalis.

Sat. 9.

Vivendum rectè, cùm propter plurima, tum his
Præcipuè cauſsis, vt linguas mancipiorum
Contemnas;

Contineas dixiſſem.

MALIGNITAS. Linguâ ſi Deum cupis imitari, ne abſynthio malignitatis eam inficias. Ne ſis ex illis, de quibus vulgò dicitur, ſpuere nequit dulce, qui amarum in ore geſtat. Qualis Deus?

Pſalm. 24. n. 8. *Dulcis, & rectus Dominus.* Ejus eloquium quale?

Quam

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. Naturales amaram, ſalſam, acidam fieri poſſe linguam, referant, dulcem non poſſe. Haud ità ethicis. Amara quidem illa ſit, quæ omnibus ingrata; Salſa, quæ ſales protervos in proximi contemptum effundit; Acida, quæ mordax: Dulcis erit, quæ amica, ut illa, de quâ Ovidius, Pſal 118. n. 103. Ariſt. ſect 34. probl. 1.

Aſſuetâque tibi doctæ dulcedine linguæ
pectora flecte viri. L. 1. eleg. 3.

CRAPVLA. Sapores percipere alterum linguæ munus ex Ariſtotile. Ideò ipſorum normam eam dixit Plutarchus. Nos boni ſaporem, ajebat Bernardus, jam perdidimus in Evâ. Linguam cohibeamus in hoc, ut ad bonum tendat, quod in Deo tantùm. Quid verò? Frugalitatis neſcij, ventrem pro Numine, pro arâ menſam, opſopœum pro ſacerdote colimus. Venatu fulmina contra Cælum ipſum jaculamur. Anxiè cupedia per mare, per aera, per terram, ad omnia prius, quàm ad alendum, exquirimus; Ac Deum negligimus, quem ubique habemus. Non ad ſedandam famem, ſed ad excitandam in ſaturitate luxuriem, excogitamus opſonia; Immo venena. Sic alij cibo ad vitam, nos utimur ad mortem. Ità etiam & *vita, & mors in manibus linguæ.* De part. anim. 2. c. 17. In Gryll. Serm. 35. ſup. cant. Prou. 18. n. 20.

CVM FLANT VENTI, ECHO ADORANDA.

Symb. VII.

Var. Lect.

Flantibus ventis, echo adora. *Ficin. & Scutel. in Iambl.* Ventis ſpirantibus ſonitum venerare. *Steuch. de peren. Phil.* Ventorum ſpirantium ſonum adora. *Arcer. in Iambl.*

Int. Var.

DE OCCASIONE: SEDITIONE: SIMILITVDINE DIVINA: VOCATIONE: IVSTO: PROPHETIA.

OCCASIO. Huic ſerviendum, ac tempori, nec ventis reſtandum. *Cal. Calcagn. ap. Gyral. de Symb. Pyth.*

PRofectò

Philomat. Pomp. act. 3.

Ceſſare juvet, adverſa quoties imminent,
Moráſque trahere, ſiderum donec nova
Facies niteſcat, placida quæ ſortem ferat.

Verùm nónne dignius, occaſionem, ac tempus inſervire nobis, quàm nos illis? Equidem. Caſu opus aggreditur, qui occaſioni paret, ac tempori; Conſultò is, cui tempus, & occaſio. Ille quaſi pecus agit, nam eum allicit opportunitas: Hic verè homo amplectitur opportunitatem, ut agat. Pluvia tuis peregrinationibus obſtat? Inſerviat quieti. Lædit te invidia? Sit calcar ad glo-

gloriam. Sors deſtituit? Maneat in paupertate ſecuritas, augeatur in tranquillitate virtus. Aerumnarum ſæviunt tempeſtates? Hæ ipſæ magnanimitatem doceant. Exul mœres. Profice peregrinus. Langues corpore? Valeas animo. Times mortem? Vitæ hinc formam diſce.

SEDITIO. *IN CIVITATE*; Nam civibus inter ſe rixantibus procul à litibus ad loca tuta migrandum, ubi minus venti perflant. *Gyrald.*

At ſi Lilius Calcagninum, & cum Iamblico Steuchum ſymboli hujus interpretes fatetur, cur ab unico Ficino relatum ait? Si hunc malè, tanquam in ſuâ verſione de Nimphâ locutum, peribet, cur & ipſe de echo? Síque loca tuta ſinè ventis petenda, ad quid echo in Dodonâ, ubi ſonitus ex uehementi ventorum afflatu, Zenodoto referente? Ille huic ſymbolo, tumultuariè forſan poſt Cælij, & Eugubini lectionem immutato, notíſque interruptis aucto, ultimam nondum admovit manum.

Ap. Eraſ. chil. 1 cē. 1. ad. 7.

De hoc verò quid quid ſit; Rixante plebe nihil ſecurum magìs, quàm fuga. Qui vel Theramenis non induit cothurnos, vel Terpandri non utitur lyrâ, civium tumultuationibus haud interſit. Bello ſanè pejor ſeditio. Illud cum extraneis, hæc inter nos. Eam fovere impium, ſupprimere arduum, ſpectare pernitioſum. Vbi tales flant venti, nos echo ad ſpeluncas in tuto revocet.

Plutar. de ger. rep. præc. & de muſic. & Gyrald. de dial 9. Plut. de rep. 5.

Hujus praxim quæris? En; *Cumque oriretur ſeditio, & tumultus increſceret, Moyſes, & Aaron fugerunt ad tabernaculum.*

Numer. 16. n. 42.

IN ANIMO. Nam ſymbolum ad animi quoque ſecuritatem referendum. *Gyrald. ibi.*

Tumultuantur affectus? Iræ venti perflant? Superbiæ, libidinis? Fuge *ad tabernaculum.* Quid hoc? Templum. *Adora* ideò, inquit Pythagoras. Quis tutior locus eo, ubi Deus? Tu autem, curam ut leves, ut mœrorem temperes, plateam petis, ludum, theatra, lupanar? Vt boream vites, ad Aeoliam pergis? Illinc magìs venti ſæviunt.

ibi.

DIVINA SIMILITVDO. Potentiarum divinarum ſimilitudo amanda, & colenda. *Iambl. protr. c. 21. Cujus oraculum, ſeu ænigma potius, quàm interpretationem, alio ænigmate, ac oraculo involvit Steucus, dæmonas inſpiciens.*

De peren. phil. 8. c. 27.

Hîc tu interim fare, homo. Quanti Dei ſimilitudinem in ſanctis ejus, in te ipſo facis? Improbe. Scorti potius depictam in ære adoras imaginem. Deus, juſtus, anima, ſcortum ſub dæmonis nuncupatione cadunt. Omnes optimi præter ultimum. Tu peſſimum in ultimo ſeligis.

VOCATIO DIVINA. Reflexio, quâ Dei flante ſpiritu, aliquis ad ipſum vocatus revertitur, echo à ſymbolicis dicta, aſſenſu adoranda. *Farr. in Septen.*

Prô Dei pietatem! Fugientem quærit, contemptus vocat. Verùm tu pervicax cum primo paren-

parente uxorem audis potius, ne quid aliud dicam, quàm Deum? Si cor habes lapideum, cur toties divinæ voci obmuteſcis? Elidis poecile, Thraciæ turres, Aegyptiæ pyramides acceptas multiplicabant voces: Tu Deo nec unam reddis? Væ tibi, cujus echo potius cum dæmone, quàm cum Deo. At quo modo reflexio illa conſenſu adoranda? Quæ reflexio, nî prius conſenſus adſit? Divinæ vocationis perflet ſpiritus; Id ſolùm reverberationis echo nuncupari nequit. Gloriare, tu homo, qui à Deo vocatus, ad eum reverteris. Echo incipit ille, tu abſoluis. Gloriare. Illud cum Deo perficis, quod adorabile, quod divinum.

Pauſ. l. 5. Plutarch. de garrul. Plin 36. c. 15. Plut. de plac. phil. l. 4 c. 22.

IVSTVS. A Deo exivit homo, ut flatus, & vox; Ideò cùm in Deum ipſum probitate reflectitur, tanquam divinum quid, colendus. *Georg. Venet. to. 5. prob. 434.*

Intellige, mortalis: Tu vox, tu flatus. At ſi ex Deo, cur de cunctis potius, quàm de Deo loqueris? Cur ad terrena tantum anhelitus, & ſuſpiria dirigis? Tu ea, quæ te ab humanitate deducunt, adoras. Ad Deum redeas: Ità, ut divinum quid, adoraberis.

PROPHETIA. Tanquam divini ſpiritus reverberatio, colenda. *Georg. ibi.*

Accede, tu offuciarum magìs, quàm veri ſectator; Qui genethliacum potius, quàm concionatorem audis; Qui Artemidoro prius, quàm Iſaiæ

fidem

fidem præſtas. Terreſtria deſpicere, ac diligere
In Epiſt. 1. ad Coſm. ap. Gon def. cæleſtia Bernardo prophetiæ genus. Tu verò
quid agis? Non quæ à cælo, ſed quæ à terrâ, colis.
A Deo cuncta, dicis. Fateor. At ea tu adoras, non
quia proveniunt à Deo, ſed quæ à Deo te revocant.

Meæ Conieƈt.

DE FAMA: FORTVNA: AMICO: FIDE: SACRORVM MYSTERIIS: PRECIBVS: POTENTIVM ODIO.

FAMA. Per ora virûm illa voces, ut echo, multiplices reddit. Qui Famæ quærit echo, flantibus ventis, hoc eſt per difficultatum tempeſtates, incedat. Cic. Tuſc. 3. *Nulla gloria, quam labor ſtrenuus non anteceſſerit*. Illa periculis augetur, anguſtijs alitur. Tu nobilis, qui ſolo genere te nominis perennitatem aſſequutum putas: Falleris. Qui labor, quæ difficultas? Oriri ſat fuit. Quæ ortu ſolo nituntur, ſolo interitu cadunt. Flantibus auſtris per maria labores, ac pericula frequentavi, ait dives. Quid indè? Auro ſibi gloriæ ſplendorem comparatum cenſet? Allucinatur. Non lucis Deus, qui præeſt divitijs: At cæcus apud Ariſtophanem, orcíque tenebris dignus à Timo- In Plut. chreone dictus. Ap. Nat. Com. l. 6. 10. Id vigilijs, & periclitationibus adeptus eſt, quod & ſecurus, & dormiens, breviſſimo defuncti codicillo, aſſequitur alter. Famam ne-

neſcit, qui echo ſine ſono ſperat. Ea ut repetat, noſtrum prius perſonare meritum, eſt neceſſe. Noſtra verò non ſunt nobilitas, aurum: Sunt avorum, ſunt fortunæ.

FORTVNA. Seu ſecundi ſpirent venti, ſeu contrarij, echo ſemper veneranda. Hoc eſt confugiendum ad cælum. Apud Macrobium nil aliud echo, quàm ſphærarum concentus. At ſi vox illa, quid prohibet, quin ad Deum, nos dicamus, qui Verbum? Sanè ſi fortuna felix, hæc à Deo: Si adverſa, fortunabit Deus. Improbus ille, qui tantùm adverſis calamitatum ventis adorat: Dignus verè, quem Deus deſerat in proſperis. Quid autem proſperi abſque Deo?

Satu. l. c. 22.

AMICVS. Hunc agnoſce in echo, quæ tanquam alter ego, annuit, ſi annuo, ſi nego, negat. Sed non in ventis fortunam, in echo amicum adora. Placidus illi ſpiret Zephyrus, protervus perflet aquilo. Felicem adeas, infelicem ne deſeras. Tibi vel obſtet ſortis Aeolus, vel faveat; Ille ſocius dulciores faciet proſperitates, leviores ærumnas.

FIDES. Hâc unicâ, non ſenſu, adorandum. Primos inter philoſophantes leuis adhuc vigeat controuerſia, nunquid corporeum ſit vox. Echo ſanè, Macrobio teſte, nullius oculis obnoxia; Nec auribus erit flante ſpiritu, cum fractus aer diſperdat vocem: Ideò forſan echo in Dodonâ, ubi vento-

Plutarc. de plac. phil. l. 4. c. 20. & Gell. l. 7. c. 15. Sat. l. c. 22.

Eraſm. chil. 1. cen. 1. ad 7.

ventorum afflatu reſonabant lebetes, ori manum, ad inſtar ſilentis, apponebat. Quæ igitur, flantibus ventis, echo adoranda, ſi ubi flant venti, ſilet? Immo ſilens adoranda. Nam fide, non ſenſu. Quæſtionem ſecus jam ſolvit avarus, helluo, impudicus. Illi echo adorant, in auro, in ventre, in carne corpoream. Inevitabilis perflet his tandem aut rapinæ, aut morbi, aut ſenectutis, aut mortis auſter: Eorum, ut in Dodonâ, ſilebit Numen.

MYSTERIA SACRORUM. Aſſenſu veneranda. Si ut diximus, à ventorum impetu iacta-
Probl. ſect. 11. & de anim. tex. 80. tus eſt aer, nulla quaſi vox pervenit ad ſolidum, ſeu vas illud, quod apud Ariſtotilem terminat, ità ut ex eo in pilæ modum reſiliat echo. Quo pacto igitur colenda ſpirantibus ventis? Dicam. Dodonæum oraculum, referente Plutarcho, Deucalion, & Pyrrha conſuluerunt: Anachroniſmum
In Pyr. igitur haud oleret, affirmare, illius templi taciturnam echo in ſymbolo reſpexiſſe Pythagoram.
Rhod. 16. c. 30. Eraſ. chil. 1. cen. 1. ad 7. Hæc non illa, quæ à Sophocle Athyroctomos appellatur. Ænea in Dodonâ colebatur, ubi flante ventorum ſpiritu, ſacri perſonabant lebetes. Cur autem ori apponebat manum? Hæc ſilentis, & aſſentientis nota. En à Philoſtrato cauſam;
Icon. 1. 2. Nigrant. *Quandoquidem Iovi in Dodonâ dicatum erat ad multum diei reſonans*. Hoc ille. Ibi, velut apud alios,
Pier. l. 14. in clibano, perſonant in lebete arcana ſacrorum my-

myſteria? Cæterà ſileant. Taciturnitate ipſa echo, aliàs garrula, ea confirmanda, & veneranda indicet. Audi tu denuo, qui myſteria negligens, vocibus importunis, divino ſpiritu in ſacris afflante, reflas. Te ſilentium doceat loquacitas. Væ tibi, ſi tuo ſermoni echo Deus redderet condignam.

PRECES. Ventos precum nuntios habemus à Mazzonio in illud Vergilij, In Dant. l.3. c.14.

Partem aliquam, venti, Divûm referatis ad aures: Eclog.3.

Et Ovidij,

Detulit aura preces. Metam. 10.

In ſymbolo ventus, & adoratio ſimul? Quid innuunt? Illum tantummodo exorandum, qui adoratione dignus. Ideò genua, & precationibus, & adorationi ſacra; Ea videlicet ſupplices amplectimur, colentes flectimus. Ità ſupplicationes Deo debitas, & divinas vocavit Iamblicus. Hinc illæ, ac lectiſternia, ceu ad Deum ſpectantia, peragebantur ad templa. Tu audi, qui cuncta precum pretio vendis. Aut Deus es, aut ventus. Audi tu, qui tua vota ſuperbis aquilonibus committis; Lyricum imitare, qui, Pier. l.35. & Rhod. 15. c.18. De myſter. 1. c. 15. Gyral. de Dijſ. ſynt. 17.

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor. Horat. l. 1. epiſ. 10.

Ità de Pythagoricis dictum; *Obſecrationibus, & ſupplicationibus, omníque iſtiuſmodi illiberali adulatione, ut virum parum decente, abſtinebant.* Iambl. de vit. Pyth. c.32.

Ariſt. ſec. 26. probl. 34. & Plutar. de pl. ph l. 1. 3. c. 7. Sat. 1. c. 22. POTENTIVM ODIVM. A ſole, qui motûs, ac ſpiritûs autor, ſunt venti; Echo autem ſolis amica apud Macrobium. Flant venti? Echo adora. Scilicet amicum quære conciliatorem. Vehemens radius è directo vrit, reflexu fovet. Amplius ab alto increpationum, & minarum ſpirant nóti? Eorum ſonitum, ut alij legunt, adora. 1. apod. od. 17. Itâ Horatius ad veneficam:

Canidia, parce:
Tu pudica, tu proba,
Perambulabis aſtra.

Irritat magìs, qui parvi facit. Aut fugâ vince, aut phlegmate. Cede, ac venerare timidus, & ſedabis. Non ex leone, ſed aſino excoriato, cui & Ajacis Iliad. 11. tolerantiam æquiparavit Homerus, Empedocles Laert. in Emped. vacuos exponens utres, ventorum ſupprimebat impetum. Alij delphini pelle id præſtabant. Hinc Spond. in Odyſſ. 10. forſan Vliſſis figmentum; Nempe curvus fugit hic Pier. 17. tempeſtates, ille auritus omnia timet: Vterque fel- Ariſt. de part. anim. 3. c. 4. & 4. c. 2. Pier. 10. lis expers, quod bilis ſedes, ac ideò à Marte rectum. Sed ubi vacuum exponitur corium, ceſſant venti? Profectò. Non quæ vana cedunt, ſed quæ ſolida obſiſtunt, perfodit, & gladius, & ira.

IGNEM

IGNEM GLADIO NE FODIAS.

Symb. VIII.

Var. Lect.

Ne ſcalpas. Ficin. *Ne fodias*. D. Hjeron. & Volff. in Cyrill; & Svid: *Non ſcrutare*. Xyl. in Plutarc. opuſc. *Non prorutare*. Id. in Num: *Ne ſecato*. Arcer. in Iambl. *Ne diſſeces*. Pier. Val: *Ferro non cædendus*. Plut. interp. de Symb. Pyth: *Enſe*. Nicol. Scutell. in Iambl: *Gladio*. Beroald: *Ne domi macherâ ſcindito*. *Cal. Calc.*

Int. Var.

DE IRA: FVRORE: AMATORIBVS: VANIS: ANIMO: DEO.

IRA. Nemo aut dictis, aut factis provocandus ad iram. *Tuil. de Symb. Pyth.* Sic & *Pier. l. 42. de glad.*

AVt opinione, adderem. Non deſunt, qui & rhinocerotem ad iram tardiſſimum ex Pier. de Rhinoc.
conſilio provocarent. Iraſci malum; Provocare pejus. Injuria enim conſultò afficere ſpontaneum, & cum vitio eſt, affici ſecus. Leones alij, ac urſos alentes, feras quaſi ad humanitatem erudiunt. Qui ad iram provocant virum, ad feritatem cogunt. De quâ metamorphoſi libeat, illud Philomathi repetere; Ariſt. mor. Nic. 5. c. 10.

Quàm mutat natura vices? Fit bellua Cæſar, Muſ. juuen. n. 6.

Et capit ingenium Cæſaris, arte leo.

Stob. ſer. 18. Philemoni ſi fidem præſtamus, hominem ad iram excitare idem, ac ſi ad inſaniam. Prô ſcelus! Quid aliud hoc, quàm necare hominem, qui propriè ſolâ ratione viget? *Vnicam ſanat ſtultititiam Anticira*, dicebat Plutarchus: *Iræ jnncta*, quæ incurabilis Euripidi, *tragedias exhibet*.

[Margin: ne ira co-hib.] [Margin: Ap. Stob. ſerm. 18.]

Verum ſi neminem provocare, licet, nec nos ipſos ergo. Symbolum Andocydæ à quibuſdam adſcriptum, offenſionem in enſe, iram in igne inſpicit. Ignis eruitur ferri colliſione, quæ mutua quædam læſio. Sic indignationis flamma offenſarum excitatur gladio. At quot ſinè gladio ignem fodiunt? Hoc eſt abſque lædente læſi? Qui ſolâ ſuſpicione crebrò injuriam ſibi effingunt à nullo illatam? De quibus Theocritus affirmaret,

[Margin: ap. Gyral. & Thuil.]

[Margin: Idyll. 1.] *Semper acerba illis pro naribus aſſidet ira;*

[Margin: Odyſſ. l. 24.] Vel Homerus, *illis ſupra nares acutum robur verberavit*. Naſus alijs judicij ſedes; Hinc illud Horatij, *Naſus*

[Margin: Serm. l. 1. ſat. 5. & 9.] *Illis nullus erat.*

[Margin: 16. Bond.] Sedem iſti faciunt iræ, quæ ſtultitia; Vnde Perſij monitum,

[Margin: Sat. 1.] *Ira cadat naſo.*

Alij machærâ incendium in alios concitant; Iſti opinione in ſe ipſos. Quæ maior inſania?

Irâ perciti haud laceſſendi. *Bizantius ap. Athen. l. 10. c. 17.*
Nec gladio exacerbationis feriendi. *Rheucl. de art. cab. l. 2.* Sed

ijs concedendum. *Plutarc. de lib. educ.* Idem ferè *Suid. Cyril. cont. Iul. l.9. & Hierony. adu. Ruf.*

Si apud Ægyptios ignis animata bellua, ergo & ira. Cum hac ideò pugnare difficillimum, vt ex Heraclito refert Iamblicus: Quod ſi Arcerius non invenit, adeat Plutarchum, & Ariſtotilem, qui ſententiam Heraclito acceptam ferunt. Eadem & Democriti apud Stobeum. Ad quid ergo iratum laceſſere? Qui hanc pugnam aggrederis, olympicum forſan oleaſtrum ſperas? Qui gladius? Oratio? Moralem audi; *Surda ira eſt*. Ratio? *Amens* etiam ſubdit. Nulla magìs anceps victoria; Nec unquam vicit, qui cum ſtulto pugnavit. Cede, ac forſan ſuperabis. Maximum *remedium iræ mora*, præcepit ille. Idem Ovidius:

Spond. in Iliad.23. In protr. c.21. In caſtigat. ibid. Plutar. de ira cohib. & Ariſt. ethic. l. 2. c.3. ſerm.18. Senec. de ira l. 3. c. 39. L.2. c.28. De art. am.

Iræ recidant,

Vt fragilis glacies, interiturâ morâ.

Da ſpatium: Cede: Nempe remedia in remiſſionibus proſunt. Senec. ibi.

Potentium, ac tumentium ira non comovenda. *Svid. & Laert. in Pyth.* Nec eorum animi laceſſendi. *Beroald. de Symb. Pyth.* Ferè idem *D. Hieronym. adv. Ruf. Herm. Heß; & Gilibert. Cognat. in Lucia. hiſt. ver. l.2.*

Potentium, ac tumentium icon flamma. Elatio utrinque, utrinque fumus. Ideò facilè provocantur ad iram, quæ proficiſcitur ex igne. Facilius, eorum indignatio laceſſita furit. Vbi ardor maximus, eum levis gutta exagitet, invaleſcit. Felix aulice, cave. Spem tuam virentem credis, ubi

Ariſtot. ſect. 8. publ.17.

pro-

Digitized by Google

propinquior eſt flammæ? Exſiccabitur. Sortis, ac lætitiæ riſum ſperas, ubi proximior es fumo? Lachrymaberis: Cave. Indignationi, ais, non dabo cauſam. Nihil proderit: Potentia & ſuperbia cauſam vel ſibi effingit, vel ſemper habet: Nisì aliunde, à ſe ipsâ, quæ, ut diximus, ignea. Cave, ne tandem arida ſpes ignem alat, quo tuis in lachrymis te perdens ebulliat ira. Exempla non deſunt.

Nec oportet orationem igne, iráque plenam homini opponere. *Iambl. protr. c.21.* Nec quidquam in quenquam, aut dicere, aut agere, quod bilem moveat. *Beroald. de Symb. Pyth.*

Audi, tu arrogans, elatus, aſper, homini leo: Qui non furis, quin lædas; Cui ſemper cor ignis, lingua gladius. Cum viro ità loqueris? Et tecum ità loquere aliquando: Si virum in te ipſo non invenies, forſitan excitabis.

Nec malorum commovenda ira. *Rheucl, vbi ſup.*

Si malum ira, in malo pejus. Qui vel excitat, vel irritat, peſſimus. Ille flammam flammæ addit, ex favilla hic parat incendium. Quid præſtandum, ais? Depone gladium. Cum malis pacem habe. Hoc difficile putas? Malum prius, indè malos fuge; A malis enim haud malum raro.

FVROR. Non irritandus furens. *Plutarch. de prac. Pyth. myſt. interp. ap. Gyral. tom.2.*

Furit ſuperbia? Qui eam aſſentatione alit, qui præ-

præſumptione inflat, furentem provocat. Ira furit? Cur, ò contumelioſe, cuncta ſubſannas, cunctos laceras? Quare, ò ſuſpicioſe, injuriam tibi crebrò effingis, gladij ſemper aciem pro manubrio capis? Ille in alio, in te ipſo tu furioſum tentas. Auri furit fames? Cur ſolo ſaturatus intuitu, adhuc eſuris, avare? Cur oculatam, & diem habens, & noctem, ſemper & cæcutis, & vigilas, ò mercator? Ità furentem laceſſitis. Ignea tandem furit libido? Furit amans? Quid agis, adoleſcens? Otio delitefcis, calidiſſimis uteris obſonijs, procaces quæris vultus? Cupidinis facem percutis. Quid tu mulier? Cur velut mulctam à Ceramici platano timens, ità ſpeculum intentè conſulis? Redimiculis, monilibus, pericarpijs onerata potius, quàm ornata, fucos, & flores addis? Oculos hinc indè vibras, mordes labia, mamillas exhibes? Furentem irritas. Iul. Poll. onom. l. 8. c. 4. num. 17.

AMATORES. Ne amoris calori adjungant cædem. *Ex Io. Bod. in Horat. ſer. l. 2. ſat. 3.*

Amat ille mulierem, hic aurum; Ille dignitates, hic regnum. Cuncti amantes, ſtulti omnes. Quoties verò addunt cruorem

Stultitiæ, atque ignem gladio Horat ſer. l. 2. Sat. 3.

ſcrutantur? Hinc procorum clades, fori contentiones, æmulorum cædes, belli ſtrages. Tanquam aliena, hæc mala & negligunt, & perficiunt: Nec propria conſiderant, dum ſæuientes in alios, ma-

jorem

jorem ſævitiam in potiorem ſui partem adhibent. In alijs corpora, in ſe ipſis & corpora, & animos lædunt.

VANA. *Quæ vitanda. Ità utuntur ſymbolo, & Baſil. in ep. ad nep. & Plat. de leg. 6. & Lucian. ver. hiſt. 2. ac ibi Gilber. Cognat.*

Flammam gladio ſcindere quid iuvat? Aliquid fruſtra moliri, otio pejus. Hoc jactura eſt temporis, illud & operis. Tu, qui futilia peragis, utrunque perdis: Qui mala, & te ipſum. At Ocni potius contorque funiculum, quàm ignem diſſeces gladio: Illud enim alterius culpâ vanum, hoc tuâ.

Eraſ. chil. 1. cen. 4. ad 83.

ANIMA. *Vt mortalis haud linguæ gladio ferienda. Farr. in ſept.*

Ariſt. de anim l. 1. tex. 29. L. 11.

Cum Democrito, flammæ inſtar, gladium non timet anima; Quanvis Homerus in Odyſſeâ ſtultè ſecus effingat. Potius timeat, qui gladio eam inſequitur. Eheu! Mundus jam pene totus Epicuri ſectator. Gladio tot animam impetunt, quot mortalem credunt; Tot credunt, quot negligunt. Hi autem jurè ſibi magis cum corpore interituram cuperent, quàm putent. Eam Dei particulam impiè non aſſero. Illud tantum affirmo; Ipſa à Deo, Deoque ſimilis; Dignitatem ideò nimis lædit propriam, dum ut hæreat humanis, à Deo ſeparatur. Quorſum hæc? Dicam. Diviſio quædam eſt vulnus. Animam, quaſi mortalem, hi gladio feriunt, qui infideles, ac improbi eam ab ipſâ immortali-

tate,

tate, hoc eſt à Deo, dividunt.

DEVS. Linguæ acumine haud impetendus. *Thuil. de Symb. & Ferd. à Belued. Symb. 7. c. 1.*

Ignis Deus Perſis. Aut helluo, aut nihil. Deus nobis ignis: Nimirum totus amor. Attamen illi ſuum adorant: Noſtrum nos execrabimur? Veh tibi, cui lingua gladius; Nec in igne Deo mollitur. Ferrum in igne cum Græcis fœderis fuit Ariſtidi ſignum; Tibi cum Deo erit belli? Sed in Deum vindicem tibi Deus amans vertetur; Hoc eſt ignis cunctorum autor, in cuncta deſtruentem ignem mutabitur.

Herod. in Thal. & Max. Tyr. ſer. 38. Deuter. c. 4. n. 24. Plutarch. in Ariſt. d.

Meæ Coniect.

DE RECIDIVO ERRORE: MORTVIS: LITIGIOSIS: AMICITIA: BELLO: NOXIO LVSV: INCONGRVIS: INDECORIS.

RECIDIVVS ERROR. *Ignem fodere*, ſi græcum inſpicimus verbum, idem, ac ſulcum unum, aut alterum ducere, ad ſemiextinctas prunas denuo ſuſcitandas. Qui ſive in alio, ſive in ſe affectiones jam ſedatas rurſus excitat, hoſtiliter gladio ignem fodit. Cum odio, cum amore pugnaſti? Viciſti? Quid hoſtilitatem ſapit magìs, quàm hoſtibus jam victis vires addere? Quàm novum jam tibi fatigato ſuſcitare bellum? Quàm victoriæ tibi arripere gloriam, in catenas palmam, in trium-

Steph. in theſ. gr. tom. 3.

phatum vertere triumphantem?

Amplius, à tartaro ad Cælum tranſiſti? Optimus quidem aſcenſus. Nunc de Cælo ad tartarum relaberis. Quis tranſitus? Quale præcipitium? Inſcius non recidis, conſultus redis. Et diabolum, & Deum expertus, hunc linquis ad eum reverteris. Quæ major dementia?

Steph. ibi. MORTVI. Ignem qui fodit, ſulcos in cinere ducit? Nos in igne pyram, in cinere mortuum, in gladio inſectatorem videamus. Platonem audi tu, L. 5. de rep. qui *inſtar canis adverſus jactos lapides, iraſceris*. Hoſtem putas mortui corpus? Falleris. *Iam ipſe abijt adverſarius, eo, quo pugnabat, relicto.* Vbi deeſt ſenſus, nullus dolor, nulla injuria, nulla vltio. Eum neſcio, feritatis, an inſaniæ reum, qui gladio ſæviens in cadavera, *mortuos iterum occidit*; Eraſm. chil. 5. cent. 2. ad. 94. Magìs reus, qui linguâ: Ille ſolùm ſauciat corpus; Hic & hominem, & nomen. Ideò mortuis non Laert. in Chil. maledicendum ajebat Chilo. At potius tibi officit detractio, ſi ei detrahis, qui vel audire, vel reſpondere, nequit. Amplius ignem gladio fodis, dum extinctum in filijs, in uxore lædis; Dum teſtatoris hæreditatem dilapidas, mentem violas, animam negligis. Hoc poſtremo quale majus immanitatis argumentum? Stultâ pietate defunctorum Pyd. in Hom. Odyſſ. 9. & Io. Tzetz. chil. 5. hiſt. 14. animas ter evocabant priſci, ut reuocarent in patriam. Stultiore ſevitiâ nos crebrò eas, nedum patriâ, corpore, mundo, ſed memoriâ linquimus exules.

LI-

LITIGIOSI. Gladio ignem fodit, qui è mortuorum cineribus, è uiventium affectionibus litium, & contentionum quæritant ſemina. O quot huiuſmodi Empedocles habet ſagum, & toga. Illi cuncta lite, ac bello ſibi componunt, alijs deſtruunt. Plutar. l. 1. c. 3. de plac. philoſ.

AMICITIA. Qui amoris, ac amicitiæ ſolvit nexum, ignem ſecat. Immo ſecat hominem, ſi amicus apud Pythagoram ipſe alter. Ità nauis illa quâ vehebatur amicus, amici ſecavit animam. Eam ideò præcabatur Lyricus; Plutar. de Homer.

Et ſerves animæ dimidium meæ. Hor. carm. l. 1. od. 3.

Sed innocens abſentia, ſi amicitiam necare nequit; Innocens & mors; Vnde ille,

Certè vivam tibi ſemper amicus Verg. in obit Mæc.
Ipſe ego, quidquid ero, cineres, interque favillas:

Vnica impij ſuſſurronis lingua, melius dixerim gladius, & abſentiâ, & morte ſævior: Scilicet mendacijs doloſè hinc indè relatis, tanquam Gordij ſolvens nodum, & dividit animam, & niſi homines, amicos in amicitiâ perimit. Plutarc. in Alex.

BELLVM. Nonnulli gladio ignem fodere ab antiquo ludi genere deductum autumant. Quot velut ludentes, bella ſuſcipiunt? Ideò ſcitè Philomathus perpetuam belli cauſam, tum in victo, quum in victore, ſub ludi metaphorâ ſic ſcrutatur; Ap. Gyrald. de Symb. Pyth. L. 9. dec. 1.

Scilicet, ut vincat, non ceſſat perdere luſor, Muſ. invent. n. 75.

Et lucris inhiat victor, ubi aura favet.

Pugna, ò Princeps. Livio cauſam juſti belli neceſſitatem eſſe, jam aſſentior. Neceſſitatem dico, non ludicrum, non furorem. Pugna: Sed nec jocum pro cauſâ, nec bellum pro fine ponas. Gladio vtere: Non ut fodias, non ut ſuſcites ignem; Nec tanquam ludens, nec ut milites, milita. Qui tantum agit, ut agat, ſinè fine agit. Qui à ludicro motum ſummit, non agit, ludit. Militia finis haud ſit, ſed medium: Non jocus cauſa, ſed neceſſitas, & conſilium? Sic utere gladio, non ut ignem fodias, verum ut foveas, & metas oleam. En Cicero; (De offic. 1.) *Suſcipienda bella, ut in pace vivamus.* Idem prorſus Ariſtotiles. (Eth. l. 10. c. 7.) Caveat, qui pace potius utitur ad bellum. Qui aut pro cauſâ ludicrum, aut malitiam pro fine habet. Non

(Philom. muſ. n. 10.) *Probata Cælo hæc bella.*

Caveat, ne de illo dicendum,

(Horat. l. 1. ep. 2.) *Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.*

(Steph. theſ. gr. to. 3.) NOXIUS LUSUS. Græcorum nonnulli eodem verbo & fodico, & ludo ſignificant. Noxius ludus, non ludus, offenſa.

(Horat. de art.) *Hæ nugæ ſeria ducent.*

In mala.

(Inſt. thaum. claſ. 6. c. 22. & Plin. l. 7. c. 2.) Ex his, qui aut ſtruthiocameli naturâ præditi, aut ex Hirpię familiâ non ſunt, cum ferro, ac igne quis luderet? Aut puer, aut fatuus. Talis, qui periculum ſpernit. Ille tyro laniſtam æmulatus nudâ

enſis.

enſis acie cum ferro ludat: En monoculum. Ludat cum igne ille pulveris tormentarij faber: En à pulvere in pulverem verſum. Tectis oculis ludat cum periculo, ac cæcam, neſcio, irrideat, an irritet mortem, quaſi vitæ ſtamina ſub pedibus habens, funirepus ille: En præcipitem. Hinc noxios luſus evitare, à corpore diſcat animus. Vulnera quæris tu, qui liberè nimiùm, & nudus cum occaſione ludis. Præcipitium tentas, qui arbitrio, ac pedibus laqueatus per aulam, quaſi per funem ambulans, cum celſitudine jocaris. Tibi tu paras incendium, qui tam prope in mulieris vultu cum formoſo pulvere luſitas.

INCONGRVA. Contra ignem vis arma capere, ac ferrum ſtringis? Falleris. Effunde aquam. Sitim, aut famem extinguere cupis? Potum adhibe, non ebrietatem, quæ magìs accendit: Cibum, non crapulam, quæ haud alit, necat. Dignos quæris plauſus, vera conſilia? Non adulatorem, ſed ingenuum adeas; Non vitio, ſed virtute age. Ignis amor, ira ignis. Vt corrigas, medio utere congruo. Illius vincula, non gladio, ſed abſtinentiâ ſolvuntur. Huius impetum ut inanem facias, ne ferro obſiſtas; Cede inermis.

INDECORA. Nec domi patranda. *Machæra* ideò *ne domi ſcindito ignem*. Verùm dic. Palam id cur non moliris? Ne te videat, ne te irrideat populus? Et clam facis, quæ tu ipſe nefanda noris? Cæl. Calc. de reb. ag. 87.

noris? Hominem, ais, indecorum ſpectare, nefas. Et fas erit agere? Tu ergo, qui & agis, & ſpectas, non homo. Si homo es, Pythagoræ carmen audi. *Maximè tui ipſius te pudeat*. Sic, vt ait Hjerocles, *vbique tecum habebis, quem vereare cuſtodem*. Surdus adhuc es? Non homo igitur.

In aur. carm.

Hierocl. ibi.

Profectò: Non homo quidem, ſi ratione carens hominem times, cui, & palam, pene patent externa; Deum negligis, qui, & clam, nedum exteriora, ſed cernit animum.

GLA-

GLADIVM ACVTVM AVERTE.

Symb. IX.

Var. Lect.

Declina. Ambr: in Laert: & Rheucl. *Sepone*. Int. Plut. de præc. Pyth. *Omne acutum*. Ficin. *Gladium*. Gyral. *Acetarium vas abs te remove*. Arcer. in Iambl.

Int. Var.

DE PERICVLOSIS: LINGVA: VERSVTIS: IRA.

PERICVLOSA. Devitanda. *Eraſ. chil. 1. cen. 1. Ideò* Acutum gladium declina, ne incidas in periculis. *Rheucl. de art. cab. l. 2.*

HInc diſcamus: Vt pericula vitemus, à periculoſis abſtinendum. Times naufragium, & oceanum frequentas? Præcipitium, & cum ſublimitate verſaris? Incendium, & cum igne ludis? Furtum qui metuit, ne divitias congerat; Qui morbum, ne ingluvie provocet; Qui jacturam, ne luſoriam adeat officinam; Qui homicidium, ne alterum lædat. Paues paupertatem? Ea ne cumules, quæ amittuntur. Leonem, aut vrſam horres? Lucum deſere. Dolum, & invidiam? Civitatem fuge. Vbi igitur, ais, tutus ero? Dicam.

Rhod. l. 3. c. 7. cam. *Homo homini lupus*. Nempè ab homine homini quotidianum periculum. Vis ab omni malo cavere? Ad omne bonum confuge. Id mundus, hoc Deus.

LINGVA. Mala avertenda. *Ap. Gyral. de Symb.*

Linguam, quæ ferit, arce. Inviſibile vulnus curâ expers. Nunquid eum te laudantem ſperas, qui cunctis detrahit? Dum hoc præſumis, convitiator ille, tu ſuperbus. Arce. Verùm dic, quæſo. Alienam linguam ſi velut gladium odis, qualis tua? Cur ad vulnera propriam acuis? Ana-
Laert. in Anax. xarchi ſeu factum renova, ſeu te ipſum abs te dimove. Sauciare melius, quàm ſauciari credis? Vtrunque malum: Sed illud peſſimum: Hoc infœlicitatis, improbitatis illud eſt.

VERSVTI. Ab his cavendum. *Georg. Venet. tom. 5. prob. 437.*

His haud diſſonum *acetarium* illud Iamblici
Ap. Athe. l. 2. c. 30. *vas*; Acetum enim ſphetticum ab hujuſmodi hominibus acutis Didymus in Ariſtophanis Pluto deductum, autumat. Felix in civitate appareat ille, vrbanitatis verniliæ fons, acutus, ac verſutus advena. Cuncta penetret, ad cuncta vertatur. Autolyco ingenioſior faciat

Ovid. Met. 11. *Candida de nigris, & de candentibus atra.*

Velut ad oraculum, ad eum fluant gentes. Iam univerſa illi admoveantur negotia. Populi exemplo princeps, principis populus jam eum amplexetur,

xetur, jam conſulat, jam adoret. Cave. Aceto ſimilis dum irritat, rodit. Cum Philoſopho calliditatem à prudentia dignoſce. Illa finem tantùm, hæc honeſtum, ac rectum quærit. Ethic. l. 6. c. 12. ſuſtat. ib.

Non omnia poſſumus omnes. Verg. Eclog. 8.

Cuncta qui ſolus amplectitur, vel nihil ſtringit, vel cuncta frangit. Nimis acutum in nihil deſinit: Nimis acidum dentes obſtupefacit. Arce.

IRA. Tanquam acetarium vas à nobis removenda, ne mentem lædat. *Iambl. protr. c. 21. Vbi idem cum antecedenti facit hoc Scutel.*

Inter aceti vas, & iram, quæ comparatio? Illud vinum in ſui vertit naturam; Hæc virum, de quo illud Alexidis, *Homo ſimillimus vino*. Dulce illud in acidum, hæc prudentem in ſtultum. Sic acetarium vas, in quo illico Stob. ſer. 118.

Quodcunque infundis, aceſcit, Horat. l. 1. ep. 2.

iræ fomitem indicat, quæ hominem totum in ſe mutat; De quo liceat dicere, ut ille Plauti Pſeudolus,

Ecquid habet is homo aceti in pectore? In fine act. 2.

Quiſpiam rideat, ludat, aſpiciat, loquatur, iracundiam ſemper tu concipis. En oxybaphum. Hoc prudens abs te dimove, ne furens te ipſum à te dimoveas. Amente iram divide, ne à te ira dividat mentem. Indignatio quaſi gladius ferit, quaſi acetum mordet: Vulnera, & morſus, quæ ab alijs, vitare ſit arduum; Quæ à te ipſo, erit facile, ſi tu ipſe tuus.

 Meæ

Meæ Conieċt.

DE CALAMITATIBVS: IMPROBO SOCIO: INSANO IVDICIO.

CALAMITATES. Harum in te ſævit acies? Averte. Cupis modum? Enſis mucronem vita, manubrium cape. Quid hoc petis? Probè animum cunctis apta.

* Philom. Muſ. n.46. *Dolorum*

Creſcat dura ſeges, tibi dum patientia creſcat.

Nu. 76. *Perfer, & obdura.*

Nedum avertet, ſed

Franget patientia ferrum.

Dic cum Philomatho,

Nu. 46. *Hæc parva piacula culpas*

Diluere ingentes, deuotáque manibus antra

Sontibus, vltricéſq; valent prævertere flammas.

Amplius ne rerum invertas ordinem. Hodie ſeminas, hodie meſſem tibi effingis.

† Philom. Muſ. n. 13. *Spem mentitus ager*

anguſtam parit; Tu doles. Cur ampliorem ſperaſti? Hæc, immo tu, prior doloris cauſa. Beneficium confers: Amicum jam comparatum putas. En ingratum: Et mœres? Debebas tunc beneficium conferre, ut benefaceres, non ut gratitudinem repeteres. De ſcelere tantùm queror, ais: Tibi erat prænoſcenda & beneficij, & hominis natu-

ra.

ra. Gaude potius: Quæ utriuſque fuiſſet, jam tibi tota remanet gloria. Paulò ante patriæ nobiilta-tem oſtentabas: Nunc ob exilium angeris. Nî tuam crediſſes, quid amitteres? Dic: Eſt pœna? Prius angi ob culpam debueras. An ex malignitate? Potius lætare: A malignitate jam diſcedis: Attamen cruciaris. A principio cur cum Senecâ non civitati, ſed mundo te natum agnoviſti? Quin immo cur veram hominis patriam adhuc homo neſciebas? Hæc Cælum: A quo, nisì voluntariè nunquam exulabis. Oritur filius. Iam ſenatorem, jam chiliarchum, jam principem facis. Moritur. Quid luges? Filium, an ſpem? Ad quid de dignitate prius, quàm de humanitate conſulere? Cur mortalem non agnoviſti, antequam mortuum? Lugere magìs debueras, quàm canere naſcentem. ep. [l.] 28.

SOCIVS IMPROBVS. Purum, ac dulce in vaſe acetario, de quo Iamblicus, infundatur vinum. Odore, ac ſapore aceſcet. Iam intelligis. Improbus probum ità in ſui convertit naturam, ut ſolam indè hic oleat, ſolam ſapiat improbitatem. Cave innocens, ac Plutarchum audi. *Si habites cum claudo, ſubclaudicare, diſces*. Profectò *facilius tranſiliunt vitia, quàm bona*. Corruptis mâlis hæreat incorruptum; Ea hoc non reparabit. Immo ab his & hoc potius corrumpetur. De lib. adu. Eraſm. chil. 1. cen 10. ad. 73.

Vvaque conſpecta livorem ducit ab uvâ. Iuven. ſat 2.

Quod de ſocio exteriori dico, id de interiori tu repete. Cum odio, cum amore verſaris? Totum te immutabunt; Te ipſum tibi rapient. Si homo eras, nihil amplius tibi erit hominis.

INSANVM IVDICIVM. Hoc, velut acetarium vas, dimove abs te. Cur? Eo ad intingenda obſonia, ut cenſuit, Sopater, apponebatur acetum. Ideò de inſulſis, *Eorum condimenta aceto carent*, protulit Philonides. Ex aceto juſculum, & embamma? Cave. Condimenti eſt proprium obſoniorum, ità confundere varietatem, ut nec unum aliquando ab alio dignoſcatur; Et plura interdum, ac diverſa, palato vel unum, & idem appareant. Hoc magis aceti. Vſus probet. Ad curioſam prægnantis appetentiam ex tempore ſedandam in aceto aliquid ſerva: Ità in illius odorem, ac ſaporem totum mutabitur, ut minimâ pene retentâ ſpeciei figurâ, ceraſium ab uvâ non dignoſceres, à pyro cucurbitam. Quò tendam petis? Eorum cæcitatem in hoc cerne, quibus bonum, & malum idem. His ne credas. Qui ſint efflagitas? Effigiem parabo. Apparens, ac reale confundit oculus; Cujus radius *acutus*, nam deſinit in pyramidem. Bonum pro malo renuit, malum ſeligit pro bono. Pulchrum in picto exhibet luto, bonum in aurato: Sed illud, verè turpe, hoc malum. Credit amans, credit avarus. Vterque hallucinatur. Ex unius icone tu cæteros agnoſce.

Steph. theſ. gr. l. 3. Athen. l. 2. c. 30. & ibi Dalech.

TOL-

TOLLENTI ONVS AVXILIARE, DEPONENTI NEQVAQVAM.

Symb. X.

Var. Lect.

Vnà tollendum onus , neque vnà deponendum . Ambr. in Diog. *Vnà ſubeundum .* Olympiod. *Tollenti auxiliare .* Eraſ. *Viro , qui eleuat .* Ficin. *Simul imponendum , non autem auferendum ab eo , quod depoſitum .* Arc. in Iambl. *Onus portantibus imponendum .* Oecolampad. *Non autem ſimul deponendum .* Volff. in Cyrill. & Hervet. in Clem. Alex. *Nec ſimul portandum .* Heinſ. ibi . *Nec quis onere levandus .* Plutar. Xylandr. *Viro imponente ſimul eleva , non ſimul adjuves deponentem .* Scutel. in Iambl. *Oneratis ſuperponendum, deponentibus non communicandum .* D. Hierony. *Simul depone , non autem ſimul impone .* Rheucl. *Oneris neque deponendi , neque imponendi adjutor eſto .* Volff. & Poſt. in Svid.

Int. Var.

DE OTIO : LABORE , AC VIRTVTE : SENSV : VITA : STVDIO ; BENEFICIO , AC NOXA : VITIO .

OTIVM . Omne otium tollendum . *Plutar. ſymp. 8. qu. 7 , ac Iambl. protr. c. 21 .*

CLemens Alexandrinus, *inopiæ*, ait, *non ſuccurrere, non juſtum eſt : Otio, ac ſocordiæ viaticum ſuppeditare , minimè honeſtum ; Etiam ſi onus ſimul imponendum , non ſimul portandum dixiſſet Pythagoras .* In ejus , qui editioni præfuit, collectaneis eo Strom. l. 1

loci

loci habemus, id rectius intellexiſſe Hervetum vertentem, *non ſimul deponendum*. Sed hoc nec elicitur ex græco textu, nec Alexandrino eſſet congruum. Symbolum potius depravatum, velut etiam in quibuſdam impreſſis codicibus ab Eraſmo repertum, ad Clementis manus perveniſſe, cæterorum ſuadeat lectio.

Præceptum hoc Samij à ſacris literis contra otium charitas deſumpſiſſe, videtur. *Si videris aſinum odientis te, jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo*. Sub pondere jacet? Oppreſſus ergo, & otioſus. Ne permittas. Cum eo ſubleva. Hoc eſt jacenti ſuccurre, deſidioſum ad munus tecum excita. En charitatis opus, en auxilium in opere. Si de aſino id monitum, quid de homine? Non igitur ſimul deponendum onus: Nam ſegnitia, quâ

Exod. c. 23. nu. 5.

marcent, virtute relictâ,
Pallentes animi,

Philomat. Muſ. n. 19.

malorum omnium eſt cauſa: Ideò iners, ac malus idem, ſi Empedocli credimus. At deponere pondus eſt in otio deliteſcere? Otioſus ergo ſinè pondere. Profectò. Quale pondus in otio, quod nihil? Hominis proprium onus eſt operatio, ſi eum poſuit *Deus in paradiſo voluptatis, ut operaretur*. Sed cur omne otium, ait Plutarchus? Negotioſa enim quædam otia ſunt, dicebat Socrates. Nónne talis venatio, ludus, amor, & cæterà? De illis loquor,

Stob. ſerm. 38.

Geneſ. c. 2. n. 16.

An. Xenoph. de fac. & dic. Soc. l. 3.

quor, qui ſeriò nimiùm his ludunt. Qui ſæpe familiam, ſe ipſos, Deum in his impendunt. Prô ſtudium, pericula, diſpendia? Quis finis? Lepus? Eheu quàm fugax? Alea? Quàm fragilis? Fœmina? Quam volubilis? Nihil earum magìs, nihil magìs leve: Quid negotio in his otioſius, quid negotioſius otio? Alij ad quietem, otiantur, illi ad labores: Alij ad temporis erogationem ſudant, illi ad jacturam.

LABOR, AC VIRTVS. Oportet alijs cooperari, non ad ignaviam, ſed ad labores. *Cyril. con. Iulian. l 9.* Ac ad virtutem accedentibus augenda præcepta. *D. Hierony. Adv. Ruf. l. 3.*

Principem hîc vocarem, ſi quis adhuc ſupereſſet ex illis, qui ſcurram potius alebant, quàm philoſophum. Faves, dicerem, labori, aut ignaviæ? Quæ auges ad virtutem præcepta? Montium cacumina colunt Muſæ, nam principum indigent aurâ. Tu quò eas trudis, dum altiora mimis, ac lenonibus occupas? E Iovis capite Minerva, nam virtus à principe. A te quid? Sanè coronatum exemplar validiſſimum præceptum; Nam

Quicunque mores, imperantis Philom. muſ. nu. 7.
Ad genium, excoluiſſe gaudet.

Cave, ne prototypum vitio magìs, quàm virtuti pares. At quos alloquor? Si nullum, tace lingua; Vel ad plures orationem converte. Audite vos patres, qui canem potius educatis, quàm filium: Equum ad virtutem exercetis, prolem ignaviæ relin-

linquitis. Vos ne laboribus incumbere, ingenuo haud dignum putatis? Ad quid Brachmanes prius de magiſtro, quàm de nutrice ſoliciti? Ad eruditionem. Cretenſium ſitis, fames, algor, æſtus? Ad fortitudinem. Æthiopum aves, Pſyllorum ſerpentes? Ad magnanimitatem. Hyberniæ gladius opſonator, Ballearidum fundæ, curſus Ægyptiorum? Ad laborem. Exoſa ne illis ignavia, vobis virtus? Quæ nobilitatem addit cæteris, vobis demeret? Pene genitos jam ipſi necatis. Pondus addite, ac vivent.

Strab. l. 15. Cic. l. 2. Tuſc. Diod. ſic. l. 3. c. 13. & Solin. c. 4. Solin. c. 35. Veget. de æmul. l. 1. c. 16. & Diod. ſic. l. 2. c. 1.

SENSVS. Verè homo, qui Philoni mens, tunc auxilio dignus, & plauſu, quum ſenſuum pondus à terrenis ad ſublimia efferendo, eo ipſo non deprimitur, ſed extollitur. *Farr. in ſepten.*

Sed quid magìs facile, quàm ſenſuum extolli pondere? Neſcis modum? Trutinam conſule. Rationis, ac prudentiæ libramentum lances dividat. Hoc eſt ne ſenſualibus hæreas. Tibi onus eſt aurum, mulier, inimicus? Pondus à te parum dimove: Sic eo ipſo levaberis.

VITA. Sanctioris vitæ inſtitutum profitentibus favendum: Non his, qui ad laxiorem denuo revertuntur *Gyral. de Symb. Pyth.*

Senec. ep. 29.

Mundus hodie ſecùs agit. *Malis artibus popularis fauor quæritur*. Sic improbo viro non deſunt auxilia, non comites. Probis pauci favent, pauci hærent: Pauciores enim probi, quàm improbi. Deinde impius magìs, qui pietatem deſerit, quàm qui

qui nondum agnovit. Pudeat illum ergo, qui ſacris initiatus, iterum ad profana redit. Duplex judicij culpa: Dum in Deo propriam reprobat electionem, in mundo pejus eligit. Magìs pudeat eum, qui onera deponenti, ſubſidio ipſo, nocet. Verùm quoties favor eſt noxius? Alexandrum populorum gratiam ſibi muneribus conciliantem corripuit pater. Illis pecunia favoris cauſa: Nonnullis potius eſt finis; Quod quidem pejus; Id enim gratitudinis, hoc avaritiæ argumentum: Venalis ille favor, hic fœneratitius. Audi tu, qui opitularis, non pondus ferenti, ſed tibi. Quinimo non opitularis, cogis. Ades, non ut religionis onus quis adeat; Sed ut illius tu adeas hæreditatem. Quid mirum, ſi deijcit, ſi ſubtrahitur? Manut. apoph. l. 4.

STVDIVM. Qui ſtudiorum ſe oneri ſubijciunt, fovendi. *Georg. Venet. tom. 5. probl. 439.*

Studia igitur pondera? De legalibus id forſan; Quorum ſtudioſus *Iſſachar aſinus fortis vidit terram, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum;* Nec tot volumina tunc erant, quorum mole nonnulli, potius quàm ratione, gravantur prius, quàm vtantur. Quid verò de cæteris? Idem. Sic hodie frequenter. Non ut ſciant, non ut animo extollantur, ſtudent; Verùm terræ ut magìs hæreant: Sic de illo, *vidit terram, & ſuppoſuit humerum*. Student, non ad virtutem, ad lucrum, ad onera. *Factuſque eſt tributis ſerviens:* Tributa deſint, jam Geneſ. c. 49 nu 14. & 15 & ibi. Zohar. Ibi.

Iuven. ſat. 7. *Pænituit multos vanæ, ſterilíſque cathedræ.*

Embl. 121. ap. Thuil. Ità non ut penes Alciatum, virtus ala, ſed pondus. Amplius quot ſunt, quorum ſtudia eos in perditionem deijciunt? His certè pondera. Nos interim, Plutarc. in Marcell. & illis, & ità incumbamus, ut Archimedis more, ipſis erigamur ponderibus.

BENEFICIVM, ET NOXA. Ne onera ſimul imponamus; Prodeſſe omnibus, nocere nemini par eſt; Nec prodeſt oneris autor, ſed gravat. *Rheucl. de art. cab. l. 2.*

Senec. de ben. l. 4. c. 25. Benefacere, Dei proprium, teſtatur Moralis. Nocere poteſt quiſque, non quiſque prodeſſe. Immo ſæpius minima officiunt, quàm iuvent maxima. Ibi. l. 2. c. 16. Mendico Philoſophanti Alexander, nec integrâ civitate profuit. Solus, ac puſillus fortiſſimo Plutarc. de prof. virt. Braſidæ nocuit ſorex. Quid dignius? Imitari ſoricem, aut Alexandrum? Aut Deum?

Sed quid, Rheucline, ais? Num beneficium accipienti onus? Profectò. Cur ſocio pondus imponere nefas? Forſan diceres, impone; At non ſimul. Beneficium gratuitus præſta: Non ut oneres, non vt fœneres. Pondus ſit: Verùm non ſimul; Illi, non pro te. Da, ut accipiat, non ut repetas, non ut reddat.

VITIVM. Neque pone ſimul, neque ſimul tolle. *Svid.* Vbi onus, non pro virtute ſumendum, ſed pro ejus contrario. *Gyrald.*

Vitium ſanè pondus, quo deorſum præceps ruit anima. Quis negat? Sed cur non ſimul deponendum? Siccine de uitio? Lilij vndequaque religioſi

gioſi prudentiam mea non penetrat imbecillitas. Attamen ſcrutari, quis prohibet? Illud *ſimul* eſt ſocietatis nota. Vitij ſemper onus devita; Vel à ſocio ſaltem cave. Solus tolle onera, ſolus depone. Ille, quem ſolum pœnitet, haud eſt ſuæ probitatis jactator; Qui ſolus peccat, difficilius convincitur, nec alios exemplo, aut ſocietate corrumpit. Verùm qui ſolus? Nemo, ſi Deus ubique.

Meæ Conie&t.

DE HOMICIDIO: OCCASIONE: LEGIBUS: MAGISTRATU.

HOMICIDIUM. Eo ne ſis reus. Animæ ſarcinam eſſe corpus, quis neſcit? Naſci ergo idem, ac ſubire onus, mori, ac deponere. Legitimæ liberorum procreationi ſtudere, humanum: Eam & ſæpe commendavit Pythagoras. At homicidio animæ ſarcinam arripiente, quid ſceleſtius? Impia pythagoricis, nedum viri, ſed cujuſque animalis cædes. Nec deſunt, qui contra hominem parant arma, qui pro morte pugnant, qui & homicidâ ingenio lethalia ſpeculantur? Tenuiſſimum eſt vitale ſtamen. Quid vero? Nec perpetuæ ſufficiunt parcarum inſidiæ, niſi ad ſcindendum, nos ipſi ferrum, venena, ignes, lapides addamus? Accedat inſipiens medicus, iniquus judex, facilis bellator. Eorum væh illi, contra quem tanti ſceleris dabitur actio.

Iambl. de Pyth. c. 31.

Ibi. c. 30.

M 2 OC-

OCCASIO. Si boni, exhibe. Hoc ſymbolum herculeum à pythagoricis dictum. Ad quid tendere poterat, niſi ad virtutem, ad labores? Ad hæc imponenda ſunt onera, non ad otium auferenda. Quot jacent, hominem non habentes, qui vnà pondus eleuet? Qui *anſam præbeat*, qui *mittat in piſcinam?* Alios promovere ad labores, dignum; His enim digna parantur, ajebat Democritus. Occaſio danda. Animus, apud Catonem, ſimilis ferro: Haud in officinæ angulo, ſed *in igne ponendum.* Aut ignaviæ, aut impotentiæ multi educantur, ac moriuntur prius, quàm vivant. Si ad aliquid admoverentur, nedum viverent, ſed Alcidi ſe ipſos æquarent. Occaſionem labori dare, idem eſt, ac vitæ, ac gloriæ. Qualis fuiſſet Hercules, niſi ei aliquis *fores aperuiſſet* ad famam? Id verò cum Euryſtheo non præſtandum: Non odio, ſed amore. Immo ſimul agendum. Quid hoc? Repagula tolle; Indè tyronem duc, dirige, corripe, auxiliare. Sic ætati noſtræ ad labores, ad virtutem, non deerunt Alcides.

Ibi. 11. | Eraſm. chil. 1. cē. 4. ad 4. | Iohan. c. 5. nu. 7. | Plutar. adu. Col. | Gell. l. 11. c 2. | Eraſm. chil. 4. cē. 4. ad. 100. | Ibi. Chil. 3. cent 4. ad. 70 | Diod. Su. l. 5. c. 2.

Si mali occaſio, tolle. Hoc caſu cum Rheuclino lege; *Non impone, ſed depone ſimul*. At ſecus agitur. Occaſioni ad bonum quis referat fores? Quis claudit ad malum? Ferveat potentis ira: Hæc ad ſtrages, ad graſſationes pluribus aperit viam, qui *ad malum currunt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem innocentem*. Cur non potius ad correctio-

Iſai. c. 59. nu. 7.

nem,

ſtem, ad veniam? Ille uſque ad egeſtatem ludat, edat, luxuriet; In pauperes, in Deum ſua hic eroget: Cur eum adjuvas, hunc irrides? Vtrunque oneras; Et hoc verè ſimul: Alterius enim, vel injuriâ, vel præcipitio, & ipſe læſus, & præceps.

LEGES. De nimiâ legum multiplicitate idem aſſerendum. Audi tu, quotidiane legislator. Quid agis? Tot pondera imponis, quot leges. Edictum edicto, mulctam mulctæ addere, quid aliud, quàm periculo periculum? Auxiliaris, non ad pondus, ad præcipitium. Plures leges majorem pariunt injuſtitiam, ſi Arceſilao credimus. En ratio: Quò plura prohibentur, eò in plura nititur improbitas, iuxta illud, Ap. Stob. ſerm. 41.

nitimur in vetitum. Verg. Æn. l. 2.

Væ tibi. Leges promuntur facilè, quæ difficilè ſervantur. Omnia tu prohibes, cuncta facis. Alteri ſuperimponis onus, indè manum retrahis. Væ tibi. Audi non me, ſed Deum. *Vobis legis peritis væ: Quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi vno digito veſtro non tangitis ſarcinas.* Luc. c. 11. nu. 46. & Matth. c. 23. nu 3.

MAGISTRATVS. Onera ſubeuntem adiuva, non deponentem. Haud nova inter magiſtratus aviditas, & ſuperbia. Priſcis etiam temporibus quot provinciæ deponebant onus, tot ſecum auri ferebant pondera: Hinc civitatum, & civium pauperies, infelicitas, depopulatio. Varijs legibus eos cohibere, ſtuduit antiquitas. Quid nobis profuerit, Alex. ab Alex. l. 4. c. 6.

Digitized by Google

4. 5. ep. 20. fuerit, neſcio. Inter eas rationum reddendarum
Pollux. 1. 8. jus vetuſtiſſimum cenſuit Cicero: Hinc Alogiorum, hinc perperam adminiſtratæ legationis actio dabatur, & mulcta. Digna quidem ſanctio, quæ non præturam tantùm, ſed & conſulatum obſtringeret. Si hæc adhuc, aut viget, aut vigere debuiſſet, ad quid tu onera deponenti faves? Iuſtitiâ, non favore vir probus utatur; Improbus pereat.

Magiſtratûs nec ſubeunti onus, nec deponenti auxiliare, diceret Svidas. Vtrunque ſanè ſuis implicatum periculis. Dignitatem aliquis deponat: Improbo favere, nefas; Probo dum faves, illis officis, qui eo privantur. Onus, te iuvante aliquis petat. Si malus; Tibi ejus imputantur errata: Si bonus; Difficilè aſſequeris. Raró inanimata æquitatem noſcunt ſuffragia. Inanimata? Decipior. In illis ferentis anima.

DEX-

DEXTER PES IN CALCEO, SINISTER IN PELVI.

Symb. XI.

Var. Lect.

In calceo dextrum præmitte, in lavacro ſiniſtrum. Farr. *Prepone.* Georg.Venet. *Priorem dextrum calciato, ſiniſtrum lavato.* Politian. *Dexter prius induendus, ſiniſter prius lavandus.* Gyrald. *Dum calceamenta pedibus ſubduntur dextrum ante afferto, in pelluviam ſiniſtrum inferto.* Iambl. Arcer.

Int. Var.

DE PEDIBUS: OPPORTUNITATE: INTENTIONE: ACTIONIBUS: VIRTUTE: INDOLE: TOLERANTIA, ET CONTINENTIA.

PEDES. Nonnulli ad veterem ſuperſtitionem hoc revocant; Quâ Cæſar prodidit, lævum ſibi calceum præpoſtere indutum, quo die ſeditione militari afflictus eſt. *Calcagn. ep. quaſ. l. 1. ep. 3.*

SIc augurale potius præceptum, quàm ſymbolum; Ne dicam adagium cum Eraſmo ex Svidâ, qui ab Ariſtophanis carmine id refert acceptum; Chil. 1. cen. 1. ad. 62.

In calceum dextrum, lævúmq; impone lavacro.

Quod & forſan hic habuit à Pythagorâ, ut ipſe notat Arcerius. Interim quid ad militum ſeditionem In exhort. in Iambl. protr., c. 23.

cal-

Suet. in Aug. *calceus perperàm, ac ſiniſter pro dextero, indutus?* Qui ad hiſtoriam referunt, cur potius de pythagoricis dictum non autumant? Illi ſanè poſt ambulationem balneo utebantur. In eâ en calceum, in hoc pelluvium. Iambl. de vi. Pyth. c. 21.

OPPORTVNITAS. Res, ut decet, adminiſtrandæ, ac pro loco, tempore, negotiiſque alia, atque alia ſuſtinenda perſona. *Svid. & Eraſm. chil. 3. cen. 1. ad. 62.*

Hîc perpendat quiſque, rémne ſuam, ut decet, adminiſtret: An potius, ut juvat, ut placet, ut accidit. Si, quod calceandum, calceat, quod eluendum, eluit. *Scenæ ſerviendum*, ajebat Cicero. Si fabula eſt vita, hiſtrio ſit homo; Id eſt Proteus ad omnia: Non mendacio, ſed beneficio: Proſit, non decipiat. Sit velut Demetrius, tum Iupiter, tum ſervus: At cum eo juvet, cum hoc ſerviat. Aliud alium quærit. *Infirmis*, Paulus *infirmus*, *omnibus omnia*. Rus agricolam poſcit; Hujus verò inertiâ ſterileſcunt prædia: Vrbs civem; At hujus improbitate corrumpitur: Mare nautam; Sed hujus negligentiâ perit navis.

Ad Brut. ep. 9. Rhod. l. 19. c. 21. l. 20. c. 2. Quint. inſt. or. l. 11. c. vlt. Ad Corint. 1. c. 9. n. 22.

INTENTIO. Proba operi præponenda, expurgationi coinquinata. *Georg. Venet. tom. 3. prob. 440.*

Pier. l. 35. Pedem pro fine pingebant Ægyptij. Tu qui rectum, dexterúmque habes, operationis indue calceamentum. Quodcunque facies, inſtar virtutis erit, quæ habitus. Lude, ut ſocium ab improbis revoces: Tibi odio ſit tyrannus, ob patriæ libertatem;

tem: Ob Dei gloriam ſacrilegum inſectare: Prudens, pius, religioſus eris. Verùm ſi tibi ſiniſter finis, virtus ipſa vertetur in vitium. Liberalem te jactas? Cur divitias effundis? Vt ſicarium tibi compares? Graſſatio hæc, non liberalitas. Iuſtum te dicis, dum, judicando, propriam ſpectas injuriam? Hæc ultio, non æquitas. Ardua ſuſcipe. Quis finis? Fœmina? Quid mollius? Ac te fortem putas? Libido hæc, non magnanimitas. Lebetem quære. Intentionem expurga prius, indè perage.

ACTIONES. Ad probas, & civiles, dextero, ideſt promptiori, pede, ad molles, ac pertinentes ad luxum, ſiniſtro, & negligentiori accedendum. *Gyrald. de Symb. Pyth.*

Tu audi Mercurius ad peſſima, Vulcanus ad optima. Claudicas ad virtutem, ad vitium volas? Quæ cæcitas? Nulla major. Nempe tibi ſæpe malum pro bono ſeligis. Vis ea diſtinguere? Pythagoræ ſymbolum, ac literam conſule. Promptiorem pedem in arctis pone, ad mollia negligentiorem admove. In calceo dexter, ſiniſter in pelvi. Te, dum ad bonum tendis, deterret labor? Feſtina. Citius ex anguſtijs evades. Ad malum, te ſenſus allicit? Neſcis fugere? Tardus, & innocens, hoc eſt pede ſiniſtro in aquâ poſito, cunctare ſaltem: Differ, procraſtina. Donec remoraberis, nunquam pervenies.

Verg. de lit. Pyth. & perſ. ſat. 3.

Probæ actiones, tanquam dexteræ circumveſtiendæ, pravæ

tanquam ſiniſtræ deponendæ. *Iambl. protr. c. 21.*

Cur operienda probitas, non potius malitia? Illa enim, velut quid divinum, velanda: Hæc ſi tegitur, non expurgatur; Sed ruit in pejus.

Perſ. ſat. 4. *Cæcum vulnus habes; Sed lato baltheus auro*
Prætegit?

Quis curabit? Foveatur virtus, exulet vitium, quid felicius? Quot verò proba deponunt, improba circunveſtiunt? Hinc ſinè veſte veſtalis potius, quàm pellex: Abſque calceo Muſa, non ſannio. Dic tu, quid deponis, quid circunveſtis? Tu, qui virtutem in te ipſo neſcis, in alio negligis: Qui mendacijs proprium excuſas, immo auges, errorem: Qui aſſentatione, ac favore alterius improbitatem excolis: Qui auro, gemmíſque communem in ludione, in ſcorto exornas, divulgas, oſtentas culpam.

VIRTVS. In hâc rationalis pars exercenda, ſenſualis purganda. *Farr. vt ſup.*

Qui ſenſum potius, quàm rationem exercet, magìs animal, quàm homo. Ad quid verò exercenda? Sanè ad virtutis ſtadium, ad gloriæ metam. Sed quomodò, ſi quaſi ad extremum laborat? Pètis cauſam? De anim. c. 3. Senſus an ſint expurgandi, quærit Plutarchus, apud quem ſua ſecum ferunt contagia. Nos ipſi porrò eos magìs, atque magìs inficimus, cùm Rhod. l. 3. c. 3. ſolus homo inter animalia, illis abutatur. Quæ igitur, inter eos, rationi erit ſanitas? Quæ ad curſum vires?

vires? Dicam. Virtus ipſa & balneatrix peluvium, & gymnaſiarca endromidas paret. Lavacrum exhibeat infirmo, reſſeret curſori paleſtram.

INDOLES. A naturâ ſi quæ ſunt in nobis honeſtamenta, excolenda, ſi quæ vitia eluenda. *Calcagn. vbi ſup.*

Ità cum indole agendum. Hæc in omnibus, ut in Hannibale ad vitium non minus, quàm virtutem prona. Patris eſt facere, vt filius Livi. 21. bel. pun.

patriæ ſit idoneus, vtilis agris,
Vtilis & bellorum, paciſque rebus agendis: Iuvenal. ſat 14.

Aliter

Infelix juvenum proles dediſcit avitum
Robur, & ingenium. Philom. muſ. n. 43.

Senex ille audiat, qui cum prole repueraſcit. Filius, pene dixerim infans, volumina inſcijs attrectat manibus: Indifferentibus digitis calamum ſtringit: Ignotis papyrum conſpurcat notis: De nihilo ſecum ipſe diſputat. Genium laudant ſervi; Pater jam eum credit magiſtrum: Sic *rectam indolem*, magìs quàm tragicus Hippolytus, *necat* incuria. Solo illo, incultóque naturæ honeſtamento adoleſcit: Ad inſtar prædij ſinè aratro & ipſe, uſque ad lauream viret. Iam poeta, jam legis peritus, jam medicus. Cæcutit adhuc pater, cui filius omnia, cæteris nihil. Sed utinam nihil. Non profanaret Caliopem, non iterum fugaret Aſtream, non perimeret infirmos. Ipſe tandem nec derideretur Senec. in Hipp. act. 2.

in patre, nec pater in ipſo. Hic indolis non cultæ fructus. Quò revocor? Alius en puer. Nunquam ſedet, ludit ſemper, lædit fratrem, ſpernit cunctos, diſciplinam odit, parere neſcit. Non aſpicit cultrum, in quem præceps non irruat: Ligno ſibi effingit gladium, arundine, tum equum, tum haſtam: Niſi cum alio, cum pariete pugnat. Quid aſſentantur amici? Quid deliras, ò pater? Generoſa verè indoles. Quis negat? Nec aliud præſtas?

Horat. carm. l. 4. od. 4. *Doctrina ſed vim promovet inſitam,*
Rectique cultus pectora roborant.

Natura inchoat, perficere noſtrum eſt. Illius honeſtamenta excole, ſi quæ vitia, elue. Generoſa indoles alios facit milites, alios graſſatores. Tu ad caſtra illum ità dirige, ut revoces à cruce.

Ibid. *Dedecorant bene nata culpæ.*

TOLERANTIA, ET CONTINENTIA. Eá potior noſtri pars animus in aduerſa muniendus: Hâc ſordida, & quæ præpoſtera, detergenda. *Nonnull. ap. Calcagn. de vit. aul.*

Gell. l. 17. c. 19. Suſtine, & abſtine. Si hæc præſtas, jam cum Epitecto philoſopharis: Iam cum Ariſtotile totius virtutis compendium habes. Tolerantia reſiſtit, continentia ſuperat. Hæc ideo magìs, quàm illa Philoſopho expetibilis. Non verò magìs præclara. Omnibus inſidiatur voluptas. Qui à pravis abſtinet, jam victor eſt. Omnibus inſtat dolor: Qui ſuſtinet, jam quidem ſuperatur: At ſi invitus, dup-

Eth. l. 2. c. 3. Id. l. 7. c. 7.

duppliciter patitur; Onus, & vim: Si libens, nihil; Adverſa enim non officiunt, ſed tranſeunt. Aequalis utrique gloria. Sauciatus à viperâ vincitur ſanè. Sed quæ culpa? Dignum haud minus eſt, inevitabilem fortiter pati victorem, quàm vincere. A malis abſtinere, eſt nolle vinci: Suſtinere mala, eſt victorem nolle. Glorióſum utrunque.

Meæ Coniect.

DE VITA: AFFECTIONIBVS: PRAESTANTIA: INNOCENTIA: INDVMENTIS, AC MORIBVS: FELICITATE, AC INFORTVNIO.

VITA. Cujus iter contemplationis, actioníſque pedibus conficiendum. Notum illud Vergilij,

O' tandem magnis pelagi defunctæ periclis, Aen. l. 6. & ibi Lib. Hort.
Sed terrâ graviora manent.

Ibi aquam pro actione, pro contemplatione terram interpretantur nonnulli: En pedem tum in calceo, tum in balneo: Quidquid de allegoriâ ſit, voluntas, & intellectus apud pythagoricos, ac platonicos alæ ſunt, quibus movetur anima. Quid prohibet, quin ſpeculativa, & moralis pedes noſtræ ipſius vitæ dicantur? His tantùm, ſejuncti à vitâ, quam pecudum vocat Ariſtotiles, dignè vivimus. Nam ſaturniam in contemplatione, iovialem in actione degentes, divinum quiddam aſſequimur. Dummodo calceo, pelluvióque, utamur. Aequi-

Plat. in Phedr. & Ficin. & Rhodig. l. 17. c. 15.

Ath. l. 17. c. 15.

Ficin. in Plat. de leg. 4. & Rhod. l. 13. c. 31.

tate

tate circumſcribendus intellectus, voluntas moralitate purganda. Qui ſecus vel contemplatur, vel agit, jam in ſe ipſo redivivum habet Epicurum.

AFFECTIONES. Concupiſcibili, & iraſcibili calceus ratio ſit, ac pelluvium, nec virtutes deerunt. Alioqui ruent in vitia. Per ſe affectus vitia non ſunt, ait Ariſtotiles; Vitia eos faciunt cauſæ, vel acceſſoria : Facimus nos. Acceſſoria, & cauſas, ut calceum, obſtringat juſtitia, ut balneum temperet, purificet, ſanet innocentia: En vitium ipſum in virtute mutatum. Paradoxa hæc putas? Lactantius idem cenſet. Deſidera, iraſcere, gaude, triſtare. Quis negat? Sed non propter omnia, non omnimodè. In unico deſiderio, affectus cæteros conſidera.

Eth. l. 2. c. 5.

De ver. cul. l. 6. c. 16. 17. &c.

Quid tam dextro pede concupis?

Iuvenal. ſat. 10.

Malum? Tu malus. Bonum? Tu bonus. Indifferens? Tu bonum, aut malum facis. Indifferens aurum. Hoc deſideras? Nullus prohibet. Quæ verò cauſa? Mulierem ne ut alas, an ut egenti ſuccurras? Vtrunque ſit. Ad quid illud? Ad prolem? Si legitimè, perge: Si ſecus, en culpa. Vt ab errore ſe abſtineat? Si tu ab eâ te abſtines, en virtus. Egenti cur prodeſſe optas? Vt pares internecioni miniſtrum? Peccas. Vt Deo placeas? Iuſtè agis. Quid hoc? Nónne affectiones in bonum, & malum, vitia in virtutes, virtutes in vitia vertere tuum eſt?

PRÆ-

PRÆSTANTIA. Comparatur innocentiâ. Vis, tuum *in Idumæam calceamentum* extendere? Vis, dextero pede alios anteire? Siniſtrum in pelvi, habe. Innocentiam ſectare, depone labes. *Excutite pulverem de pedibus veſtris.* Cæteris præſtare divitijs, autoriate, parum prodeſt. Quiſque noſtrûm natus ad dominium ſuper omnia; Vera in moribus, in virtute præſtantia. Vis alijs excellere? Id age, non communi, ſed proprio. Quid proprium, petis? Nihil præter mores, ac virtutem, ſecum ferentem philoſophum audi: *Omnia mecum porto mea.*

Pſal. 59 & ibi. Ottom. Luſc. alleg. & Pier. l. 40.

Matt. c. 12. n 14.

Geneſ. c. 1. nu. 28.

Cic. parad. 1.

INNOCENTIA. Eam negligenti nihil bonum; Excollenti nihil malum. Quidquid ſiniſtri habes, in pelvi pone: Laua, deterge; Purus, inculpatus eſto. Sic pedibus qualiſcunque ſit calceus, nunquam officiet: Secus, nunquam proderit. Lunatam, ſeu regiam dexter alutam geſtat? Siniſter ſi vulgaribus, plebeiſque inficitur morbis, jam claudicas. Regium verò quid magis, pes, an mens? Quæ major nobilitas, maculoſam in talis lunam fere, an immaculatum in moribus exhibere animum? Triſtaris tu, qui pro calceo ſervilem induis peribaſidem? Dummodò ſis innocens, apud bonos forſan domino major eris. In calceamento mortuis pellibus compacto, ſeu cothurno, te mortis urget memoria? Lætare. Innocentibus viris innocens mors. Qui ſiniſtrum pedem lavat, dex-

Plutarch. queſt. tom. 76. & Pol. luc. l. 7. c. 22.

Poll. lib. 1.

tero

tero calceum, ideſt mortem, peſſundat.

IMDVMENTA, ET MORES. Probè copulanda. Dextrum circunveſtias pedem, ſiniſtrum lava. Magiſtrum haud toga facit, cucullus haud monacum. Te ab errore, ab inſcitiâ, velut in pel-

Ibid. luvio, deterge, ac togæ doctrinam, cucullo probitatem junge. Amplius calceo utere: Non perforato, non baucide: Non faſceolis gemmatis, non ſericis, aureíſque lemniſcis. Ad neceſſitatem ſit veſtis, non ad ornatum, & pompam. Si cupis ornare, ſordes elve. Prô ſtultitiam! Ipſa in Venere

Nat. Com. myth. l. 4. c. 13. pulchritudo ex aquis orta: Non ideò redimiculis, non monilibus involuta, ſed nuda. Nunc talis

Iuvenal. ſat. 6. *eſt quærendi cura decoris*,

ut pulchritudinem noſtræ quæritent mulieres, nedum inter ornamenta, ſed inter maculas: Nævos fronti, geníſque addunt: Vtinam his tantùm, non animis. Maximúmque ad ornatum ſibi condunt

Pollux. l. 5. c. 16. mundum, ut parvum in homine deſtruant.

Hîc mihi Arcerij verba in Iamblici verſione aliud indicant. Dum agitur de calceo, dexterum pedem *afferendum* ait, dum de pelvi, ſiniſtrum *inferendum*. Inferre autem quis neſcit majorem habere vim, quàm afferre? Hinc diſco, moribus magìs ſtudendum, quàm veſtibus. Quid mirum? Hæc ad corpus, illi ad animum. Secus tamen agunt quamplurimi. Ad parandas corporis veſtes, peregrinatione, ſtudio, ſumptu certant homines.

Vnica

Vnica hodie, ut de cæteris taceam, tanti valet floridè reticulata colli lacinia, vt ejus pretio decem melioris ætatis matronæ ſatis veſtitæ fuiſſent; Immo centies Cato poſt conſulatum, & triumphum adeptum. Ad eluendas verò animi ſordes, ad morales texendos habitus, obulum quis impenderet? Rurſus ut corpora tegamus, totis noſtræ fortunæ viribus à quibus exteris nationibus exempla non petimus? Pro animo nec ea, quæ noſtris è menſis decidunt impenſuri, divinum exemplar, quod in nobis habemus, negligimus. Prô inexcuſabilem noſtrorum inſaniam! Alij vel gallicis, vel hiſpanicis, vel coccineis, vel cæruleis indumentis, aut principis, aut amaſiæ genium ſequuntur: Nunc Itali magìs deridendi, quàm Commodus, qui *dalmaticatus in publico proceſsit*: Verſicolore, ac florente chiridotâ uſque ad crura demiſsâ, ultráque cubitum, ac prope in digitos, ut ſcribit Gellius, manicatâ, ſericíſque, uel aureis fimbriatâ potius, quàm alligatâ fibulis, non amaſiam, non principem, ſed acerrimum Chriſtianorum hoſtem, proponunt ſibi, ut imitentur. Non ut de barbaris jam victis, velut de illis triumphum agens, Alexander; Sed cum barbaris redemptionis noſtræ patriam occupantibus, illorum velut mancipia, nos barbaricos induimus amictus. Ità veſtibus turcicam imitationem magìs pendimus,

Plutar. de Cat.

Lamprid. in Com.

Hon. l. 7. c. 12.

Plutar. in Alex.

O mus,

mus, quàm moribus divinam. Hoc eſt corpus, quàm animum, Turcas, quàm Deum.

FELICITAS, ET INFORTVNIVM. Felix es? Cave, ne infelix evadas. Infelix? Cura, ut felicitatem aſſequaris. Pes omen habet: Proſperum dexter, ſiniſter infauſtum. Hinc Auguſtini Phanio: Ità (In Epiſt. in Aen. 8. in Adel. l. 1.) in Vergilio Donatus, in Apulejo Beroaldus, in Iuvenale Farnabius. (In ſat. 10.) Verùm inter amuleta proditum, *in calceamentum dextri pedis*, tanquam infirmitatibus, ac maleficijs maximè obnoxij, *antequam induatur inſpuendum*. (Plin. l. 28. c. 4.) Sic felicitati ſemper inſtant pericula, quæ in infelicitate jam præterita. Dexteram ideò ſi tenes fortunam,

(Horat. l. 1. ep. 2.) *i pede fauſto:*

Sed indue calceum. Hoc eſt, perge, ſed cave. Calceus progreſſionis & indicium & ſecuritas. Qui vnà cum ſorte progreditur, cæcutiens in comite, ſortis paveat pericula. Quò promptior, eò ſæpius in dumos, pes dexter incidit: A quibus, qui magìs felix, magis læditur. Siniſtrâ ſi tenêris fortunâ, pelvim quære: Id eſt innocentiam ſectare, ac bene fortunatus eris. Fortunæ petis globum? Si mundus, ac innocens, jam illum in te habes, qui ſcitè à Lyrico dici poſſit.

(Horat. l. 2. ſat. 7.) *totus teres, atque rotundus,*
Externi ne quid valeat per læve morari.

DE

DE DIVINIS NE SINE LVMINE LOQVARIS.

Symb. XII.

Var. Lect.

De pythagoreis ne loquitor ſinè lumine. Arcer. in Iambl. *De pythagoricis dogmatibus.* Id in caſtig. *De divinis* Gyrald. *Ne garrias.* Scutell. in Iambl. *Deus non adorandus ſinè lumine.* Georg. Pictor. *De rebus divinis abſque lumine loquaris.* Ficin.

Int. Var.

DE LVMINE: PRVDENTIA: COGNITIONE, AC SCIENTIA: DIVINO AFFLATV, VEL ORACVLIS.

LVMEN. In omni divino ſermone habendum juxta legem; Ignis in altari ſemper ardebit. *Georg. Venet. tom.* 5 *probl.* 441. Levit. c. 6. n. 13.

A Lege id ſumpſiſſe Pythagoram, non inficior. Sed inter ſymbola ſi refert, par eſt, credere, aliud, quàm lumen, inſpexiſſe. Impij accedant Lutherani, & Neochriſtiani temerè luminum in templis uſum irridentes, velut ſinè ijs noſtra non viſurus ſit Deus. Eos ipſe doceat Pythagoras, non externa oculis, verùm intellectu perſpicienda myſteria.

Hìc parum à pythagoricis ad noſtros liceat migrare. Si aſello jam decuit, Cereris fere ſacra, quid prohibet, quin & ego, inter ea, quæ Eraſ. chil. 2. cen. 2. ad. 4.

à doctiſſimis viris de luminibus in Eccleſiâ dicuntur, id religioſæ cenſurę ſubijciam, quod ſen-

Levit. c. 6. n. 12. tio ? Quum juſſit Altiſſimus, ignem ardere *ſemper* in altari, à longe menſam illam nocturnam

Marc. c. 14. n. 17 prænunciare voluiſſe putarem, in quâ cæna eu-

Ibid. nu 16. & 17. chariſtica erat celebranda: Sic eò loci de ſimilâ ſinè fermento. Si de veſpernâ, ergo lumina requirebantur. Ideò præceptum meritò quidem à noſtris adhuc in ſacrificio ſervandum, in quo ejuſdem cœnæ renovantur myſteria. Sed redeo ad Pythagoram.

PRVDENTIA. Honeſtorum omnium, inter quæ pythagorica dogmata, mens, prudentiæ lumine, dux in hac vitâ ſtatuenda. *Iambl. protr. c. 21.*

Paralip. 1. c. 29. nu. 15. & Galfrid. in Tren. c. 2. n. 19. Abſque lumine quo pacto in hâc umbrâ, in hâc nocte vitali pergendum? Quomodo ad ea deveniendum, quæ ſacramentis, ac ſymbolis involuta? Lumen à prudentiâ quæramus; *Eâ*

In protr. c. 21. *enim*, ait Iamblicus, *definitur*, *&* *circunducitur*, *tanquam ex tenebris, animus*. Adderem, & videtur. *Honeſtorum*, ait, *dux ſtatuenda:* Non jucun-

Trifon. pim. c. 1. & Iohan. c. 1. dorum, non utilium, non turpium. Si mens à Deo, qui lux, & vita, illum pudeat, qui per malitiæ tenebras ad inhoneſta eam dirigit, eâ ducitur ad impia. De quo ſanè illud poſſet, dici,

Horat. l. 1. ep. 18. *Dormitat in luce, ſcorto poſtponit honeſtum.*

Splendeat fax. Quæ? Prudentia. Hoc eſt non picea,

picea, ſed cerea. Vtilitatis, voluptatíſque fumus abſit. Solus boni, ac honeſti adſit ſplendor.

COGNITIO, AC SCIENTIA. De divinis ne loquitor ſinè cognitionis, ac ſcientiæ lumine. *Gyral. de Symb. Pyth.*

Quæ autem cognitio, quæ ſcientia Deo congrua? *Vnde*, ibi ſubdit Lilius, *Tertullianus ad Marcionem; Diogenes hominem invenire cupiebat, lucernam meridie circunferens: Marcion Deum, quem invenerat, extincto fidei ſuæ lumine, amiſit.* Quæ conſequentia? Si de cognitionis, ac ſcientiæ lumine Pythagoras, ad quid Marcionis exemplum de fide? Hinc forſan percipiendum, ſolam de Deo cognitionem, ac ſcientiam, fidem eſſe. *Quid aliud eſt lumen accenſum, & ardens, niſi fides recta bonis operibus redimita?* Alio lumine quærendus homo, alio Deus. Vt Deum reperias, vnica ſplendeat fides, quæ altera ex *lucernis ardentibus*. Humanæ doctrinæ habes facem? *Vide, ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.* Profectò humanæ doctrinæ lumen ſenſibus, ac ideò corporeis maximè nititur. Illo plures potius, quàm Deum, invenies umbras.

Eccl. hom. de purif. Mar. 3.

Luc. c. 12. nu. 35. & Ambr. in Luc. 11.

Matt. c. 12. n. 35.

DIVINVS AFFLATVS, ET ORACVLA. De rebus divinis abſque divini afflatûs lumine haud loquendum. *Gyrald. cum Nazianz.* Sinè divinis oraculis. *Georg. Venet.*

Loqui de ipſo Deo, quis poterit abſque lumine, ſi Deus ipſe lumen? Dummodo ille, qui Verbum, non ſit in ore loquentis, omne obmuteſcit.

Iohan. c. 1. & Triſm. pim. c. 1.

Pſalm. 35. n. 13. teſcit eloquium. *In lumine tuo videbimus lumen*, ajebat rex ille. De Deo ſinè Deo loqui, non licet: Nec illum laudarê, niſì noſtra ipſe ape-
50. n. 17. riat labia. Tua quis aperit, ò blaſphemator, qui de Deo abſque Deo loqueris? Abſque Deo ſanè: Tua enim deliria non illi, ſed tibi officiunt. Qui Deo vel addit incongruum, vel proprium adimit, non de Deo loquitur, chimæram effingit.

INTELLECTVS. Vnico intellectûs lumine de ſublimioribus agendum. *Farr. in Septen.*

Ille in rationem, ſenſum, ac intellectum partito animo, præceptum hoc, non ſymbolum, ſed antecedentis particulam putat. Iam, velut ſiniſtrum pedem expurgationi ſenſum, rationem, ut dexterum deſtinavit operi. Nunc intellectum, quaſi lumen, inter ſublimia jubet, verſari. Opportunè ità ſuum quælibet animi pars obeat officium. Audiat, qui ſenſualem cum brutis tantùm excolit. Vbi humanitas? Rationem porrò, intellectúmque otio relinquere, ac non habere parum differunt. Amplius ubi de ſublimioribus, unico utere intellectu; Vbi de intellectu, agat hic vnicè de ſublimioribus. Diſcat ille, qui ſeriò ſenſibus indulget, in ludicris, ac ſæpe improbis intellectum exercet.

Meæ

Meæ Coniect.

DE SILENTIO PYTHAGORICO: ANIMÆ IMMORTALITATE: AMORE. MALO DÆMONE: INNOCENTIA: SYMBOLIS, VEL OPERIBVS.

SILENTIVM PYTHAGORICVM. De divinis, vel pythagoricis loqui, optas? Lumen accende, ac tenebras remove. Petis modum? Echemythiam ſerva. Per quinquennium tacui, ais? Pythagoricum ſilentium, nedum tacere fuit, ſed diſcere. Ideò Gellius, *qui tacebat, quæ dicebantur ab alijs, audiebat*. Nec id ſatis. Dic: Eruditionis accendiſti facem? An ignorantiæ adhuc circunfunderis caligine? In te nil aliud ſanè, quàm fumum video. En caliginis autor; En extincti luminis argumentum. Noc. l. 1. c. 9.

ANIMÆ IMMORTALITAS. Ob divínam ſimilitudinem profectò in homine quid divinum eſt anima. Hjerocles pythagoricus pro Dijs non Deos tantùm, ſed heroes, ac hominum animos intelligendos putavit. Sinè lumine igitur de animâ ne loquaris. Quid lumen? Eadem vox græcis, & lumen, & vitam ſignificat; Luménque apud Pierium vitæ diuinæ hieroglyphicum: Hoc eſt immortalitatis. Abſque lumine igitur de divinis loquitur, qui de animâ, tanquam mortali. Sic de illâ cæcutiens loquebatur Epicurus. In pyth. carm. Steph. thes. græc. to 4. Hierogl. l. 46. Lact. l. 3. c. 17.

Quæ

Digitized by Google

Quæ major inſania? Quæ? Cæleſte audi oracu-
Ezech. c. 18. n. 4. lum; *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Eam Epicurus dixit mortalem, tu facis. Quid pejus, animam non cognoſcere, aut occidere?

AMOR. Vis de Deo dignè loqui? Amor paret facem. Ferveat animus, Deum ama. *Va-*
Bernard. in Iſai. c. 6. *nus ſplendor abſque fervore, ac ſimulata lux, quæ non ab igne.* Vt de Deo cum lumine loquaris, more amantium, in Deum ipſum te muta, qui
Iohan. c. 1. n. 5. Deut. c. 4. n. 24. & Iob. c. 1. n. 1. Ad Galat. c. 2. n. 20. & lux, & ignis, & verbum: Hoc eſt, Pauli exemplo, *vive jam non tu, vivat verò in te Deus:* Indè loquere. Solus qui Deum diligit, de ipſo dignè verba facit. In Petro hujus habes imagi-
Iohan. c. 21. nu. 16. &c. ibi. nem. *Petre amas me? Tu ſcis, Domine.* En amoris facem. *Paſce oues meas.* Vbi? *In paſcuis ſcripturarum*, ſubdit Bernardus. Hoc eſt, ſi amas me, de me ad gentes loquere.

MALVS DÆMON. Arcendus, quum ad Deum accedimus. Ad ſublunares dæmones eijciendos, ignem, tanquam ſacratiſſimum elemen-
Georg. Pictor. philolog. l. 2. c. 12. tum, prodeſſe putabant nonnulli. Sarcophagos ideò luminibus muniri cenſebant; Quod & adhuc circùm cadauera uſitatum. Verùm nónne apud nos etiam luminum conſecrationem inſtituit Eccleſia, velut ſcribit acerrimus hæretico-
Ecki. homil. 3. de purif. Mar. rum impugnator, *ut à locis illuminatis fugiat, & contremiſcat diabolus?* Hinc nos diſcamus; Vbi de Deo, de adoratione, de ſacrificio, accendenda lumi-

lumina ; Hoc eſt mali dæmones repellendi. Tu quid agis homo? Eos eijcis? Vtinam. An potius accedens ad aram, tecum, immo in te ipſo, dæmones habes? Quid aliud improbus aſſeſſor, peſſima cogitatio, amor, odium, ſuperbia? Lumen accende. *Sicut vitijs amicæ ſemper ſunt tenebræ, ità lucernæ ſemper inimicæ criminibus:* Ergo & malo dæmoni. Chryſolog ſerm. 24.

INNOCENTIA. De Deo loqui cupis? Te illuminet innocentia. Vera hæc lux. *Ad innocentiæ teſtimonium lucernæ*, ajebat Chryſologus. Purâ veſte ſuos ingredi templum, juſſit Pythagoras: Magíque Perſarum, ipſum Deum non delectari, nisì candidis indumentis ajebant. Sic Cicero; *Color albus præcipuè decorus Deo.* Quid hoc? Scitè, ac eruditè Philomathus, Iambl. de vit. Pyth. c. 28. Pier. l. 40. de leg l. 2. De leg. l. 2.

O vtinam liceat, noſtras abſtergere culpas,
Et niveâ Domini veſte ſubire domum. Muſ. iuv. n. 193.

Nil enim aliud candidus amictus, nisì innocens animi puritas, nisì lacteus morum candor. Ità Pierius. Græco idiomate idem lumen, ac nigellus ille ambitus in medio papillæ, ſub quo lactis ſedimentum. Iam notum illud *ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Quale tibi os? Lacteum? De Deo loquere. An lúteum? Cur totam exornas domum? Iam luxuriat ſupellex: Iam oſtro, auróque triclinia ſuperbiunt: Picturata non deſunt tentoria ; Non phrigiæ Lib. 40. Camer. ex Polluc. l 2. & Steph. theſ. gr. tom. 4. Pſalm. 8. n. 3.

cortinæ, non attalica, non babilonica peripetaſmata: Hebeno, ac ebore, ab æthiopico, indicóque ſcalpro elaborata non deficiunt ſcrinia: Vbique argentea, ubique aurea, & gemmis variegata ſplendent vaſa. Dat Zeuſis, dat Titianus tabellas: Dat Syria, dat Paros idola. Ad quid hæc? Vt dignè recipiam hoſpitem. Quem?
Hyg. fab. 43. Virum principem. Si tot pro viro, qui Paris forſan tibi erit, quid pro Deo, qui ſemper cuique Deus? Quid? Nec ſordes tolluntur. Immo quoties in ore non lacteo, ſed inquinato, ſed venenato impiè involvitur Deus?

SYMBOLA, VEL OPERA. De Deo abſque lumine loquendum, ait Ficinus. Cæterorum conſenſus, negationem alteram videtur ſuadere, non Marſilij conſilio, ſed injuriâ tipographi, omiſſam. Quid verò prohibet, quin dicamus, & cum Ficino, ſinè lumine de Deo loquendum, & cum alijs non ſinè lumine, ſi vtrunque in idem coit? Nil aliud lumen in ſermone, quàm
Quintil. inſt. l. 8. c. 2. ipſius perſpicuitas, quâ *non vt auditor intelligere tantùm poſsit, ſed ne omnino poſsit, non intelligere, curandum*. Lingua enim, & magìs calamus, nobis datur ad patefaciendos animi ſenſus, iuxta
Apul flor. l. 1. illud, *loquere, ut te videam*. Qui mendacia profert, qui obſcuritatem affectat, non loquitur, locutione abutitur: Non videtur; Abſconditur. De re quâlibet igitur qui propriè vult, loqui, neceſſe

neceſſe habet, hoc perſpicuitatis uti lumine; De Deo, ut de cæteris, loqui nefas; De hoc ergo ſinè lumine, cum Ficino, loquendum. Hoc eſt ſub velo, ſub umbrâ. Sed quo pacto, cum alijs, non ſinè lumine? Dicam. Vis lumen? Eam facem adhibe, quâ in platonico ſpecu tot apparebant umbræ. Diuinitas enim, præterquam in umbrâ, difficilè cernitur, nam *circùm nubes offuſa eſt*, ajebat Orpheus. A ſpeculâ per numeros indicatur apud Iamblicum. Hinc viſiones, & parabolæ. Nonnulli Numina, tanquam viſibilia solùm in umbrâ, nigris lapidibus effinxerunt. Noſtra quid aliud valet imbecillitas? Objecti quid aliud concedit arcanum? Divinitatis quid aliud dignitati debetur? Deum jam patet, eſſe lumen: At lumine utatur, ait Pythagoras; Non, lumen inſpiciat. Qui Deum, ut lumen intueri, tentat, papilionis paveat exitum.

Ap. Clem. Alex. ſtr. l. 5. Protr. c. 4.

Rhodig. l. 30. c. 21.

Triſm. 1. cap. 1.

Verùm ad quid cum verbo lumen? Hoc ad oculum ſpectat, illud ad aurem. Nimirum de ipſo Deo ad oculos potius, quàm ad aures, manu magìs, quàm linguâ, loquendum. Manus facundiæ Zenoni fuit hieroglyphicum; Hinc *ſupinæ*, hinc *ſupplices* apud Vergilium, & alios. Hinc ille, *Deum exquiſivi manibus meis*. Hinc Dei verbum in manu Aggæi, Iſaiæ, Moyſi. Manu ſolâ, ideſt vel nutibus, aut ſymbolis, vel operibus de illo agendum. Deus Pythago-

Pier. l. 35. Aen. 1. 3. & alib. Horat. 2. ſerm. 5. Ovid. met. 11. &c. pſalm. 76. n. 3. Agg. c. 1. n. 3. Iſai. c. 20. n. 2. Levit. c. 10. n. 11.

Calcagn. epiſt. l. 5. & de reb. Aegyp. l. 38. Iambl. de vit. Pyth. c. 18.

ræ numerus. In manu quam Aegyptij numerorum vim poſuerint, videre eſt apud Valerianum. Vnitatem, ac ternarium Pythagoræ divinum manu ſigna: De Deo jam diſertè loqueris: Ità cum lumine; Oculis enim Deum indicas; Abſque, nam ſub digno divinitatis velamine. Amplius vis cum lumine de Deo loqui? Eo id præſta, quo ſe viſibilem facit Deus. Quale ſit à Mercurio, à Lactantio habes. Cerne ſolem, aſtra, hominem: Iam Deum cernis. Omnia operatus eſt, ut in omnibus ipſum videas. Tu ità Dei verbum viſibile fac tuis in operibus. Hoc eſt prædicationi exemplum junge. Sic & cum lumine, & abſque, ore auribus, oculis manu, loquere.

Pimand. c. 11. l. 7. c. 9.

STA-

STATERAM NE TRANSILIAS.

Symb. XIII.

Var. Lect.

Iugum ne tranſilias. Ficin. & Arcer. in Iambl. *Stateram*. Ambr. in Diog. D. Hierony. Eraſ. Beroal. Rhencl. Politi. *Iugum ſtaterámve*. Gyrald. *Ne ſupergrediare*. Scutel. in Iambl. *Ne tranſeas*. Volſ. in Suid. *Ne tranſgrediaris*. Port. in eund. & Xil. in Plut.

Int. Var.

DE IVSTITIA: AVARITIA: VTRAQVE: RATIONE, AC LEGE: MODERAMINE: APTITVDINE.

IVSTITIA. Non prætergredienda. *D. Hierony. adv. Ruf. & Beroal. de Symb. Pyth.*

TV audi, cujus aulæ quotidianus ambulator nunquam intromittitur miſer: Ad cujus genua fruſtra ſupplex confugit oppreſſus; Illi aditum negas: Huic ſurdus, ad alia pergis. Eos cum Budæo *præteris*, cum Cicerone *omittis*. Te alius ingenuum, expeditum, prudentem implorat judicem; Tu difficili, tardo, avaro, inſcipienti, delegas miniſtro. Quid hoc, niſi æquitatis prætergredi ſtateram? Cave. Libram, & gladium tenet Iuſtitia; Illam qui prætergreditur, ad hunc perveniet. *Vltor iniquitatum gladius,*

Ap. Steph. theſ græc. tom. 1.

Gyral. de Dyſ. Synth. 11.

dius,

Iob. c. 19. n. 19. & Iſa. c. 27. n. 1. *dius; Durúſque, & ſortis in manu Domini.*

Ne ſit doloſa. *Clem. Alex. ſtrom. l. 2.*

Quis doloſè juſtus? Qui oſtentat juſtitiam magis, quàm exerceat. Qui non virtute, aut culpâ, ſed ſuis movetur perturbationibus: Qui ſub juſti ſpecie ad propriam utilitatem, legibus illaqueat, extenuat meſſes, fiſcum auget, *cujus* Plin. ad Traj. *mala cauſa nunquam eſt.* Qui medium denique, ac finem, judicando, confundit. Non plectit, non multat, ut judicet; Iudicat, ut multet, ut plectat. Non ut aliorum coarctet mores, imperat; Sed proprium ut amplificet Prov. c. 11. n. 1. ærarium. *Statera doloſa eſt abominatio apud Deum.*

Non tranſgredienda. *Diog. in Pyth.* Nec de illius finibus exeundum. *Plut. de lib. educ.*

Es judex? In judicio te contine. Cur amicus, avarus, ultor foras excurris? Libram à librâ, forum à foro dignoſce. Iudicis thebani cæcitas non eadem, ac Amoris; A prytaneo in emporium tranſire, nefas; Nec licet, Aſtream Marti nubere. Ad juſtitiam judica, non ad gratiam, non ad lucrum, non ad vindictam. Sed qui de juſtitiâ, non de ſolo judice, loquitur. Divitem avorum adis hæreditatem? Cur pia legata negligens, *tranſgrederis terminos, quos poſuerunt patres tui?* Pupilli opes tuæ fidei committuntur? Cur eas dilapidas? Clauſtro, Deóque te vovi- ſti? Cur plateas, cur homines adis? Cuncta pro-

promittis, nihil ſervas? Omnibus amicus, nulli non detrahis? Ità ſtateram tranſgrederis, juſtitiæ fines excedis.

Nec factis, nec verbis. *Herm. Heſſ. coloq. mor.*

Æquitatem qui factis tranſgreditur, malus; Qui dictis pejor: Quoties enim mala unius vox peſſima plurium parit facta? Hinc diſſenſiones, odia, ſtrages. Qui agit injuſtè, opes fur, vitam rapit homicida: Injuſtè qui loquitur, pejor, nam & famam, quæ opibus, quæ vitâ præſtantior. Hinc te noſce, invidus obtrectatur.

Stateram ſuperare, ac violare juſtum, non licet. *Svid.*

Intellige tu, qui nimio, aut auri, aut ferri pondere ſtateram ſuperas: Qui muneribus, aut minis libram violas. Iudicem *trutinâ juſtiorem* Eraſ. chil. 2. cen. 3. ad 82. quoties accuſamus impiè? Tu, dum eum tentas, jam injuſtè agis: Ille, ſi haud cedit, verè juſtus. At ſi cogis, cujus eſt culpa? Donis non flecti facilè; Non ità comminationibus: Illud enim ex voluntate, hoc nequaquam. Ea recuſare quiſque poteſt, acceptorúmque obliviſci, multi ſolent: Has verò non timere, aut ſtolidi, aut imprudentis eſt. Muneribus non corrumpi, tota reijcientis eſt virtus, offerentis culpa. Minis violare, ferè totus eſt minantis error. Non enim ex electione timor. Ariſt. eth. l. 2. c. 5.

Iuſtitia, & mediocritas perfectiſſimæ, ut cæterarum virtutum complectiuæ, cognoſcendæ, ac exercendæ. *Iambl. protr. c. 21.*

Vis,

Vis, eas cognoſcere? Ità ſimiles, ut altera vix ab alterâ dignoſcatur. Differunt in hoc Ariſt. eth. l. 5. c. 1. uno, ut mediocritas in ſe ipſo habitus ſit, ad alterum ſpectet juſtitia. Hæc apud Ariſtotilem *in ſe virtutes complectitur omnes*. Eadem prorſus mediocritatis ſpecies. Vtraque non virtutis pars, verùm integra, & univerſa virtus. Ideò *perfectiſsimæ*. Amplius Iamblico virtutum cæterarum ambo *complectiuæ*: Quaſque enim virtutes, nedum complectuntur, ſed complent, ac perficiunt. Iuſtitia eas ad juſti legem coarctat, mediocritas à vitiorum extremis revocat. Ideò Iambl. protr. c. 21. ſine illis *nulla virtutis utilitas*; Immo nulla virtus. Abſque juſtitiâ, & mediocritate, aurum profunde. Scorto, lænæ, ſicario, ſcurræ, magìs quàm philoſopho, dona: Sic otium, ſic vitium nutris, prouehis, auges. Vt extraneis liberalem te oſtentes, filijs veriùs declinas in prodigum. Si fortitudinem ſectaris, jam temerarius, jam homicida: Cum morte ludens, exercitum ſinè duce linquis, familiam ſinè patre. Si æquitatem, abſque lege in judicio, rigidus odium, ac timorem potius, quam virtutem excitas, mitis vitium magis allicis, quàm tollas. Si prudentiam, ſæpe, ut apud alios nimiùm ſapias, te ipſum neſcis, ut apud homines, Deum. Quæ utilitas, quæ virtus? Iuſtitiæ, ac mediocritatis jam iconem habes; Vtranque jam cogno-

gnoſcis. Hoc verò quid prodeſt, niſì exerceas? Quæris modum? In te nedum cum mediocritate ſit virtus, verùm & ad alterum cum juſtitiâ. Ariſtoteli *optimus, non qui ſecum, ſed qui cum alijs virtutem exercet*. Cum alijs exerceo, ait ille. Mœchum, latronem, ſicarium, cœteróſque improbos plecto. Iuſtus es judex: At non juſtus, homo, niſi & ipſe te ab adulterio, à rapinis, à graſſationibus, alíjſque improbis abſtineas. Quælibet virtus, & circa propria tantùm agit, & à proprijs tantùm diſtat extremis. Iuſtitia, & mediocritas cum virtute circa omnia operantur; Hoc eſt, velut in ethicis notat Epheſius, ab ijs malum omne procul abeſt. Vis, eas exercere? Quancunque virtutem excole, à quocunque vitio diſta. Ob magnanimitatem, aut ſapientiam, te Martem, aut Mercurium vocant gentes? Cave. Si tibi tantummodo ſapiens, ac magnanimus, cum alijs mendacia, fraudes, rapinas, velut Mercurius, exerces, velut Mars, Venerem habes, jam mediocritatis, ac juſtitiæ gloriâ privaris.

Vbi ſup.

Micã. Epheſ. in eth. Ariſt. l. 5. c. 8.

Quoad pondera, & menſuras. *Nonnul. ap. Gyrald.*

Hîc ad eos, qui heminâ, lance, cubito, pedéque utuntur venali, *qui habent in ſacculo diverſa pondera, minuántque menſuram, & ſiclum augent*, orationem convertere, haud ſymbolicum eſſet. Eorum libram monere, interim liceat, ne in fur-

Deuter. c. 25. n.

Q cam

Ste,th.theſ. gr. tom. 1. cam vertatur : Nedum enim vox græca in libram, & jugum valet, ſed inter jugum, & furcam quæ intercedat collatio, videre eſt apud l. 3. c. 5 & 7. ac in annot. ad. 5. & 6. Lypſium de cruce.

Menandro interim ſi eſt mercatus vita, quot Stob. ſerm. 118. vivimus, tot mercatores jam ſumus. Dic tu, familiæ pater, qui ex filijs alterum adoras, negligis alterum: Qui ſtateræ modus? Tu fili, quam cum genitore gratitudinis menſuram adhibes? Tu calumniator, tu ſuperbus, quo proximum, quo te ipſum metiris pede? Stateram nónne transgreditur prodigus, ebrius, mendax. Nónne violat invidus, iratus, amans? Caveat ſubditus, ne librâ dodrantali debitum principi tributum ſolvat: Caveat princeps, ne trutinam nimijs vectigalium ponderibus tranſiliat. Critolai Cic. Tuscul. 5. bilance, quâ corporis, animíque bona æquè dignoſcuntur, nulla juſtior. Hâc utere, nec pondus, nec menſuram ſuperabis.

Quoad diſtributiones. *Clem. Alex. ſtrom. l. 1.*

Tuum petit ſuffragium amicitia, obſequium, autoritas? Primus juſtitiæ ſit honor, quæ

Philom. Mel. n. 16. *jus cuique ſuum ſedula dividit.*

Non inſipientis, non improbi, ſed docti, probíque viri prætura jus eſt. Cur in eum confers, huic denegas? Præmio vitium auges, virtutem ſupplicio minuis, impium, ignarúmque laudas, foves, extollis, juſtum, ac ſapientem rides, inſecta-

ſectaris, deijcis. Quid hoc? Iura confundis, non cuíque ſua tribuis.

AVARITIA. Ne ſis avarus. *Cyrill. cont. Iul. l.9.*

At ſtateram tranſilire, prodigalitatis eſt, non avaritiæ. In menſuris hæc deficit, non excedit. Fallor. Deficit, ut excedat: Vtrunque extremum, vitioſum vtrunque. Quid mirum? Avaritiæ mala ineſſe omnia, cenſuit Apollodorus; Ipſámque, univerſæ improbitatis metropolim, dixit Bion. Quis igitur magìs mediocritatis tranſgreditur libram, quàm avarus, qui ſemper ad quæcunque vitiorum extrema ſe confert? Ariſt. eth. l. 4. c. I. Stob. ſer. 14. Ibi.

VTRAQVE. Avaritiam deteſtare, ac juſtitiam quærere, oportet. *Bizant. ap. Athen. l. I.*

Zigoſtaticam quæris juſtitiam? Avaritiam prius fuge: Nec corrupti ſeculi te perſonata decipiant baccanalia, quibus avaritiæ, ac juſtitiæ ſpecies confunduntur. Hîc ut de cæteris taceam, quid moderni cenſus, quid pacta rei pretium minuentia, nisì æqui facies, quam, profanato legum teſtimonio, quotidie uſuræ, latrocinio, ſibíque aptat avaritia? Detrahe larvam; Vt cum Euripide agnoſcas, verè avarum, ac juſtum opponi. En cæleſte oraculum: *Qui aurum diligit, non juſtificabitur.* Amplius avaritia, ut diximus, vitiorum eſt parens: Iuſtitia virtutum, aiebat Polus Lucanus. Hinc forſan Pythagoræ, ac Bizantij mente, nedum à vitijs declinandum, ſed exercendæ virtutes. Stob. ſer. 8 Eccleſiaſt. c. 31. n. 5. ap. Stob. ſer. 7.

RATIO, ET LEX. Tranſgrediendæ non ſunt. *Plutar. in prec. Pyth. ap. Gyral. tom. 2.*

Duplici è græco lectione rationem in ſtaterâ, in jugo agnoſco legem: Quæ jungenda ſimul. Ap Plat. de leg. Quid enim ſinè ratione lex illa, quæ Socrati opinio? Quid ſinè lege ratio, quæ aliquando non D. Thom. 1. 2. diſt. 1. quæſ. 1 art. 1. & 4. recta? Coerceantur invicem ad juſtum. Altera, æquitatis trutinâ, boni, ac mali examinet pondera; Civilem ſocietatem, recto jugo, æquet altera. Quid utilius? His homines dum rectè utuntur, à belluis differunt. Si eas tranſiliunt, ab hominibus in belluas tranſeunt: Si abutuntur, jam belluis deteriores fiunt.

MODERAMEN. In ſtudijs, actiſque ſit omnibus. *Rheucl. de ar. cab. l. 2. & Ferd. à Belv. in Pyth. Symb. 1. c. 2.*

Pro Flacc. Nedum in ſerijs, verùm *adhibenda etiam in jocando moderatio*, ait Cicero. Sic & Ariſtoteles Eth. l. 4. c. 2. moderari laborem, ac otium jubet. Aſque moderamine terret difficultas, defatigat labor, deficiunt vires, gravat ipſa quies. In ſtudijs periclitatur ſæpe intellectus, in actionibus voluntas, utrinque anima. Quid aliud moderatio, quàm ad mediocritatem illam acceſſio, quę virtutis eſt? Quàm declinatio ab exceſſu, & defectu illo, in Euſtat. ibi. quo vitium? Stateram igitur ne tranſilias: Hoc eſt ad virtutem ſtudia, & actiones omnes dirige. Quò tua dirigis tu, immo quò tua, quò te ipſum deijcis, qui tantùm agis, qui tantùm ſtudes ad vitia?

APTI-

APTITVDO. Supra vires nihil aggrediendum. *Georg. Ven. publ.* 442.

Si blæſus, ac ſurdus, cur petis legationem? Si ignarus, cur magiſterium, cur præturam? Volatum ſinè alâ tentas? Ne tecum aſſentatricem adhibeas trutinam. Si adhibes, aliquando alios, te ſemper decipies. Actionem antequam aſſumas, aequâ prudentiæ ſtaterâ difficultates, ac vires pondera; Tuúmque ſit, eas noſcere, has non augere. Si opus neſcis, aut magiſtrum quęre, aut abſtine. Si vires effingis, ac pygmæus te gigantem facis, vel fictos aggredere labores, vel pari fictione, prius quàm agas, te jam egiſſe, puta.

Meæ Conie&t.

DE PYTHAGORICO SILENTIO: HOSTE: CONIVGIO: CIVITATE: IMPETRIO: ARROGANTIA: PEIORIS ELECTIONE.

PYTHAGORICVM SILENTIVM. Sextadecima inter Græcorum literas quandam præ ſe jugi fert ſpeciem, ſub quo jam ſubjugati. De jugo ſiè Livius; *Tribus haſtis jugum fuit humi fixis duabus; Supérque eas tranſverſâ unâ deligatâ*. Iugum igitur quoddam hîc liceat, eam dicere græcorum notam. Eadem ipſa, & aritmeticis quinnarius numerus, & grammaticis muta.

dec. 1. lib. 3.

steph. in indic. thes. græ.

Sic

Sic in jugo quinquennale ſilentium reperio. Longiori hoc, ut notatur in Gellio, taciturnitatis peracto inaniter ſpatio, Pythagoræ ſectatores, tanquam mortui, reijciebantur. *En jugum ne tranſilito*. Audiant illi, quibus tam breve ſcientiarum iter; Quibus verboſa, & momentanea diſciplina. Tacitum, integrúmque impendebant Pythagorici quinquennium, ut ſolum diſcipuli aſſequerentur nomen; Nec deſunt, qui præceptoris dignitatem, vel ſolâ altercationum garrulitate, vel unico ſe adeptos intuitu credunt, jactant. Iugum profectò iſti tranſiliunt, ſi pene ſyllabatim legunt, ac ſcriptoris munus, & autoritatem ſibi arrogant.

Moſell. in Gell. l. 1. c. 9.

Iambl. de vit. Pyth. c. 17.

VICTOR. Hoſtem jam ſub jugum miſiſti? Ne jugum tranſilias. Viciſti; Sat eſt. Victoris in victum inhumanitas potiorem illi deturpat gloriam. Dum vincis, fortunatus diceris; Dum victo parcis, magnanimus: Illud fortis, hoc tuum eſt. Egregiè, ais, bellum geſſi. Fortis es. Temperanter victoriâ uteris? Fortior. Difficilius, paſſiones debellare, quàm virum. Si hunc viciſti, ne ab illis vincaris, cave. Superaſti; Quid magis optas? Iam in extraneum ſæviſti, nunc ſævires in tuum. Contra victum ſi te hoſtiliter adhuc geris, te nondum fuiſſe victorem, ſed caſum, oſtendis.

L. 48. CONIVGIVM. Iugum vitæ coniugalis apud Pie-

Pierium; Ac cæleſte Veneris domicilium, quæ Sat. 1 ſ. c 12. &
coniugijs præeſt, apud Macrobium. Ne jugum lib. de nat. of.
igitur, hoc eſt, cum Eccleſiaſtico, *ne lectum ſuum*
tranſgrediatur homo. Vos alloquitur ſymbolum, c. 23. n. 25.
ò ſcortator, ò mœchus, qui extra, qui vltra jugale vinculum indifferenter agitis. Hoc ferinum potius, quàm humanum. At ſi rationis adhuc participes, erubeſcite. Continentiam, fidémque maritalem vos docent olores, turtures, corni- Pier. hierog. l. 22.
ces, columbi. Progeniem cupitis? Vitioſa generatio quam pariet ſobolem? Filios prius læditis, quàm habeatis. Sapientiam audite; *Ab iniquo thoro ſemen exterminabitur*. Dic tu: Solutus es? Sap. c. 3 n. 16.
Cur non potius uxorem, quàm ſcortum, quæris? Maritus? Cur proximo rapis, quod ipſe habes? Ille ſe ipſum in infamiâ renovat: Quid turpius? Hic propriam alienat prolem. Quid ſtultius? Vterque *jugum*, uterque *tranſgreditur* Eccleſiaſti. c 19 n. 21.
legem Altiſsimi. Quid iniquius?

CIVITAS. Perfectam vis? Ne jugum, ne ſtateram, ut ex græco, *prætereas*. Optimam Steph. theſ. gr. tom 2.
conſtituunt æquitas Principis, populi obtemperantia, utilitas artis. Imperantem in ſtaterâ, in jugo ſubditum agnoſce. Quæris artes? In jugo rurſus agricolam, in ſtaterâ mercatorem habes: Ex his omnes. Nam cæteris illi victum, materiem, opificium, cuncta denique commutatione ſuggerunt: Ideò maximè urbes illis indigere, cenſuit Plato. Apud eruditos nec ſinè ipſis con- De juſt. 2.

ditæ:

Plutar. in Romul. & quæst. Rom. 27. ditæ: Circunducto enim ſulco, & figuram, & fines præſcribebat agricola. Hinc illud Vergilij

Aene. 5. & ib. ſeot. *Interea Aeneas urbem deſignat aratro.*

Qui deinceps materiam parat, niſì mercator? Ideò nobiliores civitates à negotiatoribus exor- In ſolon. dium ſumpſere, ut de Maſiliâ retulit Plutarchus. Verùm, ais, hæc ſolo inſerviunt corpori.

Philom. in Pomp. act. 3. *Cadaver eſt, turrita quidquid mœnia*
Cingunt, nec urbes marmor inſanum facit.

Quid de animo? Cum Platone dicam. Duplex mercatura. Quæ ad animum ſpectat, dum hic In ſophiſ. *diſcendo emit*, ille *docendo vendit*, *nummis commutat eruditionem*. De agriculturâ idem prorſus: In leg. Hæc enim & ſcientias, ut teſtatur Hippocrates, in animo ſerit. Abſolutam his habes civitatem. Sed cave. Iuſtum dixi principem, obtemperantem populum, artes utiles. Princeps, & populus, velut in ſymbolo, ſtateram, & jugum invicem confundant: Non autem à mercatore, ab agricolâ mutuent. Hoc eſt ſuâ ſtaterâ, ſuóque utatur quiſque jugo: Iuſtè rex imperet, ſubditus vivat: Hic ei, legibus is pareat. Ars verò non regnanti, non civi, ſed civitati proſit. Vbi eorum aliquis propriam tranſilit ſtateram, proprium tranſgreditur jugum, alieníſque utitur, jam corruit civitas. Quo caſu agricultura ipſa non prodeſt, officit. Qui ultra neceſſitatis libram, uel meſſem admittit alienam, vel extrahit, aut oc-

cultat

Digitized by Google

cultat propriam, eâ ipſâ, quæ ſulco, ut vidimus condit urbes, more antiquo eas deſtruit. Vnde cum Lyrico experiri poſſis, quo pacto imprimat muris

hoſtile aratrum exercitus inſolens. Hor. l. 1. od 16.

IMPERITVS. Ea lyræ pars, quam ſiniſtrâ manu tenet lyriſtes, jugum dicitur. Ità Spondanus, ubi de Achillis citharâ Homerum legit. In eâ verò parte, ac manu, dum vario digitorum motu chordarum vel acuitur, vel obtunditur ſonitus, præcipua fidicinis virtus. Iugum igitur ne tranſgrediaris idem, ac ne imperitè agas: Immo vivas. Euryphamo enim pythagorico ſi hæc vita lyra est, qui vivimus, lyræ pulſatores jam ſumus. Quot verò ſunt, qui ad inſtar pueri ſinè arte, nulloque vocum diſcrimine, citharam pulſant? Se optimos tamen citharœdos credunt. Quot ea, in quibus tranſilientes jugum, ſtrepitum potius, quàm concentum edunt? Nec imperiti, vel potius mendaces, deſunt, qui plaudant. Qui magìs deliret, neſcio. In Iliad. l. 9. Stob. ſer. 191.

ARROGANTIA. Iugum idem, ac cæleſtis libra. Sic & inter græca notauit Stephanus. Hinc Tarutius, apud Ciceronem, ortam dixit Romam, *in jugo quum eſſet Luna.* O utinam hoc vaticinio tandem ipſa Roma thraciam ſub jugo mittat Lunam. Quid aliud igitur jugum, vel libram tranſire, quàm in Scorpionem incidere? Hic autem inter Stoephlet in Troci ſyn. de lib. Th. gr. t. 2. Cic. de diu. l. 2.

aſtra, ut hominibus documento ſit, ne cum Orione ſibi nimiúm confidant. Venatoris memoriâ cælum te alloquitur, ò ſuperbe, ut te venetur. Audi, cede. Iugo utitur; Bellua enim æffrenis ambitio. Exhibet libram. Te ipſum pondera. Quò magìs extolleris, eò es levior.

Hygin. de ſign. cæl. l. 3.

PEIORIS ELECTIO. Prô vitæ conditionem! Nullum hîc bonum, cum quo aliquid non miſceatur mali: Nemo ideò ſuâ ſorte contentus. At nec ullum malum, cui non immineat pejus. Nos tamen ſemper deſideramus. Quid mirum, ſi crebrò, ut cinerem vitemus, in prunas incidimus? In jugo, ut cum latinis loquar, felicitatis te poſuit fortuna, & adhuc aliud optans, jugum tranſgredi tentas? Quò pervenies? Hippocratem audi: *Qui ſummum bonitatis attingunt, reliqum eſt, ut decidant in deterius.* Quot manè ad jugum dignitatis elati, quibus jugum veſperì ſervitutis imponitur? A græcis rurſus jugum pro ſigno æquinoctiali ſumme. In librâ ſit. Hoc eſt in ſummo tranquillitatis æquilibrio tibi æqualis cum vigiliâ ſit quies. Nec quieſcit adhuc voluntas? Quid amplius deſideras? Libram ſi tranſgrederis, jam vel ad ſcorpionem declinas, qui amplexu necat; Vel ſi antiquis hæres, qui libram, & ſcorpionem in vnum redegerunt, ad ſagittarium pergis; En tranſitum ad pejus, in homine, qui deſinit in feram.

Eraſ. chil. 3. cen. 3. ad 72.

Aph. 3.

Steph. th. gr. to. 1.

Stoephl. in ſch. Procl. de ſign. cæl.

PRO-

PROPRIVM MVNVS tranſcendere nefas. Quis es tu, qui de moribus, de artificio, de ſcriptore cenſuram geris? Cave, ne ſutor ſis ultra crepidam, ne cæcus de colore judices, ne tranſcendas jugum. Dein es orator? Cur tota in centonem, aut hiſtoriam tranſilit oratio? Hiſtoricus? Ad quid cum veris figmenta miſces? Poeta? Imitari tuum eſt, non verba tantùm facere; Non tranſcribere. Seruus es? A miniſterio ad rei dominium cur pergis? Herus? A dominio cur ad tyrannidem? Miles? Cur à bello ad rapinam? Medicus? A medicamine, cur ad venena? Homo, cur ab homine ad feram? Stateram ſervat pater, qui educat prolem, non qui depravat: Filius, qui parentes honorat, non qui vexat. Magiſter, qui docet, non qui corrumpit; Puer, qui ſtudet, non qui petit magiſtratum, Senex, qui prudens, non qui amans. Mœchiſſat cauſidicus, vlciſcitur judex, cauponatur conſul, glubit princeps, conſiliarius decipit, deſciſcit ſubditus? Stateram tranſiliunt omnes,

Eraſ. chil. 1. cen. 6. ad. 16.

PEREGRE ABIENS, AD TERMINOS NE REVERTARIS.

Symb. XIV.

Var. Lect.

Cum profectus fueris, ne redeas. D.Hieron. *Peregrè proficiſcens.* Ambr. in Diog. *Eundo ne retrovertaris.* In Pyth. præc. à Plutar. *ap.Gyrald. Per eandem viam ne revertitor.* Calcagn. *Ne retrovertare, cum ad terminos perueneris.* Gyral & Thuil. *Ne reflectas.* Eraſ. & Rhencl. *Ad finem ubi perveneris, non revertito.* Xyl. in Plutar. *Peregrè abiens in finibus ne reſpectа.* Volf. in Suid. *Ad fines, unde proficiſceris, ne te convertas.* Port. in Svid. *Cum domo diſceſſeris, ne revertaris; Furiæ enim congredientur.* Ficin. *Peregrè è domo proficiſcens ne convertere; Furiæ etenim tranſeunt.* Scutel. in Iambl. *Peregrinationem inſtituens longam, domum ne reuertitor; Furiæ quippe ſimul comitantur.* Arcer. in Iambl.

Int. Var.

DE SAPIENTIA: VIRTVTE: INCONSVLTIS: PROFECTV: VITA: RECIDIVO ERRORE: MORTE: IMMORTALITATE: INEVITABILIBVS: DEO.

SAPIENTIA. Qui veritatem querit, ſe à ſenſualibus, corporeíſque ſeparet, nec ad ea convertatur; Secus, ad inſtar furiarum, comitabitur pœnitentia. *Iambl. protr. c.21.*

VEritatem à ſapientiâ exquiris? A ſenſualibus, corporeíſque te ſejunge. Quæ in his veritas? Hæc ſemper eadem; Ea perpetuò mutantur. Audiat Epicureus ille, qui nihil credit,

dit, niſi quod ſenſibus patet: Avarus, impudicus, heluo, qui aliud neſcit Numen, quam illud, quod viſu, tactu, guſtatu adorat. Ab ijs, viator ad philoſophiam, te ſegregaſti? Cur denuo reverteris, ac deorſum ad ea traheris? Terminos ità confundis? Non proficis ad ſapientiam; Ad ignorantiam remigras: Tuus ad metam non pergit equus, redit ad carceres. An potius in medio curſu cadis? At non cadis; Te deijcis. *Furiæ ideò comitantur*. Quid hoc? *Pœnitentia*, ſubdit Iamblicus. At hæc cæleſtis miniſtra, non infernalis. Pœnitentia hîc fortaſſe pro conſcientiâ, quæ ſcelerum pediſſequa impium quenque vexat. Hanc in Eumenidum fabulis deſignatam indicant Mythologici. De Nerone ità Svetonius. *Neque ſceleris conſcientiam ferre potuit, confeſſus exagitari ſe verberibus furiarum, ac tædis ardentibus*. Diſce homo. Statim, ac peccas, in furias incidis. (Nat Com. myth l. 3. c. 10.)

VIRTVS. Hujus vitam ingreſſum pœnitere non debet. *Plutar. de præc. Pyth. int. ap. Gyral. tom. 2.*

Quid hoc? Pœnitere vitij proprium, non virtutis. Hîc pro retrocedere, aut relinquere, non me latet ſumptum. En illud *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*. Tale & magorum fuit præceptum, ne quis, quum rectè quid inſtituerit, reſpiceret. De hoc infra. Nunc revocor ad aliud. Accedat (Luc. c. 9. n. 62.) (Calcagn. de prof.)

dat querulus ætatis noſtræ objurgator,

Horat. de art.

Laudator temporis acti:

Philom. Muſ. n. 59.

Nec ſe priſca ferat gloria poſteris
Majorem.

Antiquitus etiam ità corrupti erant mores, ut ſapientibus opus eſſet, nedum hortari homines, ut vitij eos pœniteret, ſed ne virtutis. Hæc enim crebrò, magìs quàm vitium, & olim noxia videbatur. Hoc in Arionis caſu expreſſum, qui canorâ virtute divitias, ac ideò pericula, ſibi comparavit. Flagitioſo viro nunquam defuerunt patroni, fautores, amici; Literis, ac probitate præditus, à paucis amatus, deſtitutus à multis. Innocentiam irriſio, veritatem odium, ſapientiam infelicitas raró non inſectata eſt. Sæpe ingenuitatem fraus decepit, fidem perfidia, beneficium ingratitudo. Non ſemper Trajani tempus, in quo dicas, *tutum eſt, reverentiam, tutum charitatem mereri*. Ità impia hominum natura, non apem, ſed viperam æmulata, ex ipſis virtutum floribus, non mel, ſed venena concipiens, ad pœnitentiam quodammodo virtutem, ac meritum coegit. Hoc autem non florum, ſed viperæ culpa; Non artis citharedi, ſed aviditatis nautarum opus. Quid verò? Virtutem poſſides? Inſidiantur æmuli? Pœniteat iſtos, tu gaude. Aliquid tuum probitas; Alienum inſidiæ. Faſtigium ſapientiæ cum Epitecto non attigiſti, niſi

Herod. in Clio.

Plin. in Traj.

In Enchir.

niſì cures illud, hoc ſpernas.

INCONSVLTA. Nihil agendum inopinatè. *Georg. Ven. tom. 5. probl. 458.* Nam turpe in arenam congreſſum terga vertere, ac Euridice cum Orpheo amiſsâ, dicere non putaram. *Calcagn. de prof.*

Inconſultò quò tendis? Ad malum? Quæ cæcitas? Ad bonum? Quæ virtus? Antequam in hâc vitæ peregrinatione pedem moveas, ità quenque greſſum perpende, ut poſtea, vel malè actum, vel ſaxo impactum retroſpicere, non cogaris. Prius quàm agas, quæ actionem comitantur bene cogita. Secus, opus non aggrederis; In opere incidis. Quid mirum, ſi potius deſeres, quàm aſſequaris? Opus autem relinquere, turpius, quàm non adire. Hoc aliquando ſuadet prudentia, ſtultitiam illud ſemper indicat: Qui enim deſerit, ſe aut inconſultò, aut temerè aggreſſum fatetur. Inconſultum hìc appello, qui caſu agit, qui nihil conſiderat; Temerarium, qui deligit, ſed pericula ſpernit. Malum utrunque: Pejus verò ſinè conſilio, quàm cum temeritate agere; Hoc tandem hominis, pecudis illud eſt.

PROFECTVS. Qui ad fines, unde profectus, convertitur, nihil proficit in itinere. *Svid. Aemil. Port.*

Opus tuum, quærit amicus? Te literarum, ſeu armorum alliciunt ſtudia? Te conſiliarium, te ſenatorem quis deligit? Aut abſtine, aut age;

Nec

Nec in viâ reuertaris. Hominem malum induere nefas: Bonum dum induis, uſque ad exitum fabulæ ſerva. Ne ſtadium pene ingreſſus, quaſi cum Græcis alteri cedens facem, curſum ſiſtas in limine, ac te optimum jactes curſorem. Solis retroceſsio, abſque ſolſtitio, nulla; Nec aliqua, ſinè quiete, reflexio. Sic qui probo in itinere convertitur, jam ſiſtit gradum: Non currit. Hoc eſt progreſſum vel retardat, vel deſerit. Quid autem retardare, nisì tunc temporis deſerere? Bona verò, quæ decuit aliquando, non aggredi, ſi aggrederis, relinquere, ſemper dedecet. Profectui ergo ſtude. Longum ſapientiæ iter ignarus capis? Ne ignarus iterum *per eandem viam redeas* cum Britannione illo, qui nec poſt ultimum laboris annum, prima literarum calluit elementa. Sed cum imperito Heraclide ſic diſcede, ut cum eo proficiens, ad facundiæ ſcopum aſsiduitate progrediaris.

Herodot. in Vran. — Procl. de cir. ſph. & ib. Stoephl & Ariſt ph. ſ. l 8. tex 65 — Bapt. ?gnat. — Rodig l. 21. c. 27.

VITA. Sic componenda, ut bonâ eius parte, jam tranſactâ, non capiat nos, ad pueritiam redeundi, iners, vanúmque deſiderium. *Thuil. de Symb. Pyth*

Stultum illud, quo Vergilianus Evander, Homerum imitatus, ità deliravit,

Oh mihi præteritos referat ſi Iupiter annos.

Quæ major deſiderij vanitas?

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet:

Nam,

Aen 8. ac ibi Iamb. Hort. — Manil. ſtr l. 4.

Quam

Quam dederunt vix, repentè Philom. muſ. n. 3.
Abripiunt elementa vitam,

Id avertere, ac tempus ſiſtere quis valet? Vanus, qui ſinè ſpe cupit: Magìs qui impoſſibilia ſperat. Vtrunque ridiculum. *Quis mihi tribuat, vt ſim juxta menſes priſtinos?* Ajebat ille. Quid Iob. c. 29. n. 2. indè? *Nunc autem derident me.* Iners porrò cu- C. 30. n. 1. piditas, vel cum priſcis, vel cum junioribus in- Cic. 3. de finib. ertis vocem ſumamus: Quæ enim ars, quæ dies renovet? Nunquid faciei fucus, capillorum tinctura? Quid otioſius? Speciem, non ætatem revocant; Colorem, non calorem addunt: His qui utuntur, & alios, & ſe ipſos eludunt. Senem juventuti non reſtituunt; Iuvenem effingunt in ſene: Senium non tollunt; Operiunt. Sic mathios pellem ſerpentis, non ſerpentem, Lact. Theb. 4. inſtaurat. Fabuloſa Medeæ miracula ſuum ha- Ovid me- tam. l. 7. beant Æſonem: Iuventam dum quærit Pelias, in Diod. Sic. l. 5. c. 3. obitum incidit. Iners, & vanum. Animum ad pueritiam revocat verè, ſed turpius, qui annis jam ſenex, moribus, ac ingenio repueraſcit: De quo, tanquam de Callicle, dicere poſſis,

Hic ille eſt, ſenectâ ætate qui factus eſt puer. Plaut. in Trinum. act. 1. ſc. 2.
Inſcipiens, qui pueritiam ſic affectat corpore: Stultus, qui animo: Vterque ſenectâ indignus. Vis veriùs, vis digniùs renovari? Sic vive, ut non in homine, *qui foris eſt*, ſed in eo, qui *intus*, Paul. ad Corint. 2. c. 4. n. 16. feliciter ſemper vivas; Ille enim *corrumpitur*, hic *renovatur de die in diem.*

S. RE-

RECIDIVVS ERROR. Mutata vitæ ratione, haud amplius redeundum ad concupiſcentias. *Gyrald. de Symb. Pyth.*

Audi, tu in vitæ ſpatio peregrinus: Qui à profanis laribus, ab improbâ ſocietate, à præcipiti genio, ab occaſione, ab errore, à ſeculo, Michae. c. 6. nu. 4. à *domo ſervientium* diſceſſiſti. Quare viam mutaſti? Vt malam relinqueres? Egregiè. At cur dein retrocedis? Vel relictam meliorem putas, vel pejore gaudes. Illud conſilium defeciſſe, Chryſoſt. ad. Antioch. hom. 15. hoc mentem, ſuadet. *Cervus, & avicula ſemel capti ſi effugiunt, difficilè iterum capiuntur.* Homo igitur, recidivo errore, deterior. *Aegrotare melius,* Ad. hom. 25. *quàm ità convaleſcere, ut denuo cadas.* Caſu enim recidiva pejor. Ille actus, hæc habitus. Error ille, hæc vitium.

MORS. Eam trepidare, non licet. *Rheucl. de art. cab. l. 2.* Nec ejus metu vitæ curſus perturbandus. *Plut. de præc. Pyth. myſt. int. ap. Gyral. tom. 2.*

Ariſt. Rhet. l. 2. c. 5. Timor, ex Philoſopho, circa id, *quod aut dolorem, aut interitum afferre, poteſt*: Poſſibile igitur, non certum inſpicit. Hinc non metuenda mors, quâ nihil certum magìs. Ambigua, dicis, hora: Tempus ideò non mortem, time. Tu verò ætatem, annos, vitam cupis, è quibus ipſa mors. Quid ergo paves? Id, quod ex tuis votis eſt? Dein ſi formidanda, *quæ aut dolorem, aut interitum afferre poſſunt*, non dolorem, non interitum, ſed cauſam formida. Intellige tu inſidiator,

tor, vorax, impudicus, improbus. Offenſa, voracitas, libido, culpa mortem pariunt. Non hanc, ſed ob hanc ea metue. Mortem ille tantum horreat, cui mors malum afferre poteſt, morte pejus. Quid hoc? Pœnalis immortalitas. Hic verò timor, vitæ curſum ne perturbet; Corrigat.

Vbi ad vitæ finem perveneris, ne revertito; Id enim citra mœrorem ferendum. *Plut. de lib. educ.*

Hæc vita peregrinatio. Mors igitur meta, & quies. At ſi ortus in hoc mundo, ais, mundus mihi patria. Falleris. Qui oritur, peregrinationem inſtituit: A Deo diſcedit, qui cunctorum pater: Qui moritur, ad Deum, ad patrem, ad patriam revertitur. Quæ doloris cauſa? Dic, nónne vitæ mala expertus es? Mors malorum finis. Triſtaris, quia ſenſus jam tu amittis, quibus mala ſentis. Nónne ſolùm ſenſus amittendo, nec mala ſenties, nec triſtaberis? Qui angitur ob mortem, ſtultus ob nihil angitur, ajebat Socrates. Ea enim nec in vivente, nec in defuncto eſt: Nec ad vivum, nec ad mortuum ſpectat. Sed adhuc mœres? Aut immortalitatem neſcis, aut perditionem cogitas. Eam ſi noſcis, hanc evita. Sic vive, ut mors tibi ſit malorum finis, non tui ad pejora tranſitus. Ità non reſpicies: Hoc eſt citra mœrorem ad mortalitatis metam pervenies.

Plat. in Axioc. & Geneſ. c. 41. n. 19.

Plut. ibi.

S 2 Nam

Nam poſt mortem hæc vita non iterum deſideranda. *D. Hierony. adv. Ruf. Ita & Diog. & Svid.*

Ab ortu ad interitum hujus vitæ peregrinationem egiſti? Dum reſilire, tentas, præpoſterè à morte ad pueritiam tendis. Quid enim puerile magìs, quam poſt mortem illam optare vitam, in quâ toties mortem optaſti? Si denuo deſideras vivere, denuo angi, denuo mori cupis.

IMMORTALITAS. Inſpicienda. *Gyrald. vbi ſup.*

Quæ longa in ſymbolo peregrinatio? Hæc vita? Nequaquam; Quid enim brevius? Hîc animæ igitur immortalitatem, quam novit, inſpexiſſe Pythagoram, credere, par eſt. Eam ſanè peregrinam voluit, ſi continuâ loci mutatione, tum in bovem ex viro, tum ex boue in avem. Nec à nobis omnino metempſychoſis neganda. Noſter nunquam non peregrinatur animus; Advena ſemper. *Peregrini enim ſumus coram te, & advenæ.* In hâc vitâ, in hunc pulverem à Deo labitur; Ac *dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Inter leges fit ſubditus, inter ſenſus princeps, in adverſis ſcopulus, amicis amicus. Impudicis ab homine in ſuem tranſit, obtrectatoribus in ſoricem, ferocibus in tigridem: Quid aliud hoc, niſì quædam vitæ hujus metempſychoſis? Poſt hanc vitam peregrinus in barathro, cui minimè ortus; In gloriâ, cui maximè impar: Nova ſemper in eo ſupplicia, in hâc gaudia: Il-

Paralip. 1. c. 29 n 15. & Pſal. 38. n. 14.

Paul. ad Corinth. 2. c. 5 n 6.

ſis nunquam aſſueſcit, iſtis nunquam ſatiatur. Quæ verò longior peregrinatio, ſi abſque metâ? Dum reverteris, tu metam præfigere tentas. Quum poſt obitum hanc vitam cupis, mortalitatem immortalitati præponis. Illam nequis negare, ſi mortem horres; Iſtam aut non credis, aut non juvat credere, ſi mortalem te iterum aves. Ità vive, ut poſt mortem hanc vitam de integro agere non exoptes, vel ut melius in hâc mortalitate vivas, vel ut nequaquam in immortalitate moriaris.

INEVITABILIA. Non debemus ea, quæ in Fatis ſunt, timere, aut ab iis reſilire. *Rheucl. vbi ſup.*

Ab inevitabilibus reſilire, quis poteſt? *Non eâ lege in hanc vitam venimus, ut ei leges præſcribamus; Verùm ut iis obtemperemus, quæ præſcribuntur à Fato.* Sic Plutarchus. Inevitabilia timere, quid juvat? In Conſol. ad Apol.

Non ſollicitæ poſſunt curæ
Mutare rati ſtamina fuſi:
.... Multi ad Fatum
Venere ſuum, dum Fata timent. Senec. Oedip. act. 5. c. 2.

Nec metus, nec fuga valet. Qui mortem fugit, propinquior fit morti. Fuga enim tempus interjectum terit. Qui metuit, moritur antequam moriatur. Eáque mors durior; Illa enim multiplex, ac durabilis, hæc vna, & momentanea: Ad dolorem ea ſenſus addit, hæc adimit.

mit. Quid agendum, petis? Dicam. Sapienti nihil omnino inevitabile. Si mortem fugere, nequis, malam fuge. Si bonam tibi paras, quid metuis?

DEVS. Cui terga non obvertenda. *Scutel. in Iambl. in marg.*

Quid hoc ad ſymbolum? Qui ſe convertit ad finem, unde profectus, Deo terga obvertit? Sic Scutellius, à quo nulla hujus ratio. Aenigmatis reſolutionem ſcrutari, quis prohibet? Forſan, cum hæc vita via ſit, cujus initium à terrâ, qui nimis terram diligit à Deo recedit? An qui nimiùm proprij ortus nobilitate ſuperbit? Verùm nónne pium Eccleſiæ monitum, *Memento, homo* Geneſ. c. 3. n. 19. *quia pulvis es?* Vt igitur ad initium ſuæ peregrinationis revertatur, eſt neceſſe. Fallor. In hoc differunt voluntas, & memoria, ut ab ijs, quæ diligit, illa trahatur, hæc ea, de quibus recordatur, ad ſe revocet. Sic terræ dilectione ad fines quidem revertitur voluntas; Non autem, genealogicum pulverem ad ſe revocans, memoria. Hîc de voluntate loquutus propriam fortaſſe reperio ſymboli cauſam. Sola in peccato voluntatis pravitas ea eſt, quâ homo ad fines, unde proceſſit, converſus Deo terga obvertit. Hujus vitæ via ſuis continetur terminis, à quo, & ad quem. Ob primi parentis errorem quiſque noſtrum à diabolo ſuam incipit peregrinationem; Quiſque

debet,

debet, ob fidem, ac per virtutem, ad Deum dirigi. Dic, tu; Quem in itinere habes ducem? Vitium? Prô infelix. Deo ſanè, qui profectionis eſt meta, ſic terga obvertens ad diabolum, cujus in nativitate fuiſti mancipium, reverteris. Quid mirum, *ſi furiæ te comitantur?*

Meæ Coniect.

DE OTIO: INGRATITUDINE: ANIMA: FINE.

OTIUM. E domo egredi, ac ad domum reverti, quæ Ficini lectio, quid aliud, quàm, vanum deſidioſi opus? Quàm inanis otioſi peregrinatio? En illud *internam animi alacritatem diſſolvunt otioſæ ambulationes*, de quo Theoctiſtus: Ap. Stob. in fin. ſer. 283. Illud *circuire in otio ferians infeſtiſsimum vitæ malum*, de quo Alexis: Ser. 28. *Illud in circuitu impij ambulant*, de quo David. Certè advena, qui ſic, Pſalm 11. n. 9. non dicam agit, ſed perdit vitam. Ad quid homo in loco voluptatis conſtitutus, niſi *ut operaretur?* Geneſ. c. 2. n. 16. Deſidioſus igitur longè à ſe ipſo diſcedit. Quæ major peregrinatio? Sanè à ſe diſcedit, ſi otium, ut ajebat Moralis, mors quædam eſt. Senec. ep. 82.

INGRATITUDO. Precationibus, votis, aſſentatione, ſervitute quò tendis? Ad beneficium? Ardua quidem peregrinatio. Sed finem aſſequutus, cur, ingrate, reverteris? Beneficium ſic conſideras, ſic rependis? Eum profectò, qui ter-

terga dat Gratijs, in Furias incidere, par erat.

ANIMA. Senſualibus, & corporeis relictis ad Deum redeat. In hujus vitæ lineâ per eandem viam, ut legit Calcagninus, non redeundum: Hoc eſt linea, non rectè ſed in circulum ducenda: Non in quo *impij ambulant*, cuncta, præter Deum, amantes; Verum *in circuitu timentium eum*. A Deo anima in hoc corpore, in his ſenſibus peregrina: Ad Deum redire ipſam, eſt neceſſe. Quod nî corpus, & ſenſus deſerat, impoſſibile. Platonicum igitur agat circulum. Secus per lineæ rectæ retroceſſum eâdem viâ, ideſt per corporea, nec non ſenſibilia revertetur. Ideò non ad Deum.

Pſalm. 11. n 9. & ibi. Bernard.

Pſalm. 33. n. 8.

Plat. in conu. & ibi. Ficin

FINIS. Eum ſelige, à quo retroverti minimè debeas. Longam peregrinationem ad divitias per terram, & mare inſtituat mercator. Finem nactus quoties zelotypus ad inſidias, ad pericula retroſpiciet? Extremos fortunæ, ac felicitatis gradus jam victor teneat, jam oſtentet Xerſes. Nónne eleſpontum retro ſuis copijs obductum, aſpiciens, lachrymatur? Mundum pro regno habeat Alexander. Nónne regnum extra mundum quæritat? Cauſam petis? Nihil inter nos, cui aliquid non deſit, præter virtutem, ac Deum. Sola virtus, Deus ſolus, & omnia. Illa verò ſinè hoc nulla. Ea ſit medium, hic finis. Virtute in Deo deſine, haud erit cur revertaris.

Herod. l 7.

Plutar. de an. tranq.

AD-

ADVERSVS SOLEM NE MINGAS.

Symb. XV.

Var. Lect.

Ad ſolem verſus ne mingas. Ficin. *Ad ſolem converſus*. Volſi. & Poſt. in Svid. & Arcer. in Iambl. *Converſo ad ſolem vultu*. Alb. in Diog. *Adverſus ſolem*. Eraſm. & Thuil. *Contra ſolem*. Polit. *Ad ſolem ne micturies*. Scutell. in Iambl.

Int. Var.

DE NVDITATE: VERECVNDIA: INHONESTIS: REVERENTIA: SAPIENTIA: SACRIS.

NVDITAS. Adverſus ſolem non mingendum, ne Deum aliquem offendat nudatio. *Plin. nat. hiſt. l. 28. c 6. ex carminibus Heſiodi, à quo ſymbolum tulit acceptum Eraſmus de Symb. Pyth.*

SIc mingendi cauſâ contra ſolem, lunámque nudari, à magis vetitum. Etiam Turcis flagitioſum, in publico meiere. Sed hæc ſilenter, ac ea, quæ de lotio contra maleficia, & ad ignominiam copioſè retulit Gyraldus, prætermitto. Hic enim non ſuperſtitionem, vel hiſtoriam, ſed ſymbolum, non verba, ſed arcana exquirimus. Id tantùm ſubdere, fas ſit. Ad ſolem nefas, mingere, ne Deum lædat nuditas? Profectò. Ideò fortaſſe in ipsâ Lydiâ ſordidiſſimo impudicitiæ thea-

Plin. l. 28. c 6

Ex not. in Heſiod de op & di. l. 2. Schievel.

In hoc ſymb.

Herod. l. 1.

theatro nudatum virum conſpici, magnum erat probrum. Ideò maledictus Cham, qui patrem nudum oſtendit fratribus. At non Deum tantùm, ſed & homines lædit nuditas: Quapropter eos morti adjudicarunt Romani, qui ad Liviæ conſpectum nudi apparuere.

Geneſ. c. 9. n. 22. & 27.

Dion. Caſſ. hiſt. rom. l. 58.

Huc hodiernus, ac impurus accedat mulierum uſus, & luxus. Dic tu, quæ medio nudata corpore, ſumptuoſo, ac inſano illo ſyrmatis tractu, quem pectori, humeríſque debuiſſes, terram potius, quàm te ipſam veſtis; Quæ oculis nimiùm ſpoliata, nimiùm expenſis amicta in defectu ſuperfluitatem oſtentas, dimidiato, gemmatóque indumento ſæpe integram denudas familiam. Dic: Nuditate ne magis Deum offendis, an veſtitu? Ad luxuriem ſanè, ad faſtum, ad vanitatem, ad perditionem utrunque.

VERECVNDIA. Commendatur à ſymbolo. *Eraſm. ub. ſup.*

Hîc non de vili dyſopiâ, ob quam, nec virum intueri, nec alloqui audet quiſpiam, de quâ Plutarchus: Non de pudore, qui ob turpe aliquid patratum à probis abeſt, de quo Philoſophus. Non de illo vultûs rubore, qui nec prohibetur, nec adducitur, ſed injuſſus accedit, ac diſcedit, de quo Seneca: Verùm de verecundiâ illâ, quæ mentis, ac rationis actus, modeſtiæ, ac innocentiæ comes, nedum mala odit, ſed vitat, de quâ Iamblicus.

De pud. vit.

Eth. l. 4. c. 9.

Epiſt. 11.

Ap. Stob. ſer. 9.

Eam

Eam è virtutum choro trudat Ariſtotiles. Plato- Eth. l. 2. c. 7.
nicis eadem videtur, ac temperantia; Virtutum Ficin. in Prot.
cuſtos nuncupatur à Tullio, virtutis color à Dio- Cic. in part.
gene, virtus ab Ambroſio. Mála quidem inſpi- Laert. de Diog.
cit, ſed ut ab illis declinet. Sic & ipſa virtus ab Amb. de off. l. 1. c. 9.
extremis, quæ mála, refugit ad medium.

Servanda in rebus omnibus. *Gyrald. de Symb. Pyth.*

Et in omni ætate, adderem. Afferat, quod li- Eth. l. 4. c. 9.
bet, Ariſtotiles. Quoad res, quidquid immineat, verecundus eſto. Si málum, ſic evitabis. Si bonum, aut indifferens, niſi aliud, verecundi laudem aſſequeris. Quid verò, aut indifferens, aut bonum, quod ſæpe inverecundis non tranſeat in málum? Quoad ætates, iuveni tantùm vere- Ib.
cundiam concedit Peripateticus. Cur hoc? Nam *ſenem, ait, cenſemus, nihil acturum, in quo pudor conſiſtat*. Senectúſne idem, ac probitas? Qui ſic putat, longè fallitur. Vnà cum ætate malitiam creſcere, jam experimento patet: Pluréſque ſe- Ariſt. Rhet. l. 2. c. 12. & ibi Major. 128.
nes improbi. Cauſam petis? Nam inverecundi. Freno igitur validiori ſenecta, quam iuventus eget. Inſuper tunc afficimur verecundiâ, quum aliquod málum conſideramus, utpote non deceat. Quis autem melius dignoſcet, quid liceat, ſenéxne, an iuvenis? Ille profectò. Malè agere quem eorum plus dedecet? Vtrunque ſanè; Ait ſenem magìs. Suâ ergo teneatur verecundiâ iuvenis ob málum. Suâ ſenex, & ob málum, & ob ſenectutem,

Præcipuè in loco publico per ſolem deſignato, *Rheuc. de art. cab. l. 2.* Immo ubique. *Gyrald. vbi ſup.*

Et in publicum, & ubique verecundus eſto. Si te pudet, ab hominibus erubeſcentem videri, cur non à te ipſo, cur non à Deo? Vel hominem te non eſſe, fateris, vel Deum eſſe, negas. Vis, non erubeſcere coram alijs? Erubeſce coram te, ait Teophraſtus. Quid verò? Vana ex Epicuro Senecæ hortatio, ut, ne pecces, tuarum actionum eligas teſtem aut Catonem, aut Lælium. Quære ſolitudinem, ſpeluncam ingredere: Quocunque in loco teſtes habes; Immo in publico ſemper agis. Nónne ubique Deus, qui ſol, qui omnia? Locus ergo nullibi non publicus. Nónne *in Deo uivimus, & movemur* omnes? Coram omnibus igitur ubique ſumus. Palam ergo erubeſce, ne turpe agas, ex quo palam turpius erubeſcas.

Stob. ſer. 29. — epiſt. 11. — Act. Apoſt. c. 17 n. 28.

INHONESTA, Cùm nobis mentis illuceat ſol, inhoneſta, vel cogitare, vel dicere nefas. *Far. in ſept.*

Mentem à ſole habemus apud Plutarchum. Ménſque ſol eſt optimarum rerum oculus, ajebat Architas. Et peſſima, & tenebras exhibet, qui inhoneſta cogitat, dicit, operatur. Amplius mentem in nobis Deum eſſe Mercurius, Hermotimus, aut Anaxagoras, & Menander crediderunt. Vel cum ijs ergo demens, ac ſine Deo, vel mente Deóque indignus, qui honeſtate poſthabitâ, Deo, & mente indigna præſtat. Co-

De fac. in orb. lun. — Iambl. protr. c. 3 — In ſimil. c. 12 Iabl. protr. c. 8 Plutarch. in quæſt. plat.

Coram Deo, vel ijs, qui Deum repræſentant, nihil, quod parum honeſtum, ac decorum ſit, faciendum. *Gyrald. ubi ſup.*

Quid, ò profane, agis in templo? Quid in foro, quid domi? Non in ſole tantùm Deum cernimus. Cuncta, quæ videmus, cùm à Deo ſint, ſpeciem Dei quandam nobis exhibent. Mercurium audi: *Omnia operatus eſt, ut per omnia eum cernas.* Quidquid ergo tibi occurrat, honeſtatem ſerva. Cæcus es? Niſi vides, videris. Es ſolus? Deum in omnibus habes. Nihil, præterquam de te ipſo, cogitas? Cùm ſis homo, nónne magìs, quàm cætera, in te divinam geris imaginem? Ideò ſi coram ijs, quæ Deum repræſentant ab inhoneſtis abſtinendum, coram te ipſo magìs abſtine. In Piman. c. 11.

REVERENTIA. Contra magnos, & honeſtos viros nihil protervè, ac irreverenter agendum. *Scoliaſt. in Heſiod. Schevel. de op. & die l. 2.*

Solem inſpicis, cælum intueris? Fac ea, quæ ſole, quæ cælo digna. Ne ſtultus cum rege Perſarum, & Cælum, & ſolem ſagittis impetas. Verùm ſi humanam dignitatem protervè, ac irreverenter nefas lædere, quò magìs divinam? Si hæc de ſole, de lotio, quod à naturâ, quid de ſolis autore, de adulterio, de ijs, quæ adverſantur naturæ? Senec. in ſap. non cad. inju. c. 4.

SAPIENTIA. Ad quam per ſolis, ac Cæli conſiderationem, nihil belluinum agentes, debemus aſcendere. *Iambl. protr. c. 21.*

Dum

Dum Cælum, ac ſolem vides, ab ijs ad rerum naturalium, ac divinarum cogitationem te converte. Qui mingit, non extollitur ad ſapientiam, *ſapientiam commaculat*, velut notavit Scholiaſtes in illud Heſiodi. *Nec ſupra fontes meito*. Quoad & in flumine vetitum apud Perſas. At ſolem verſus mingis tu, qui ſolem cernens, deliras cum aſtrologis; Qui Cælum aſpiciens, illi æquiparas amaſiam; Qui Deum videns, Deum lædis. Erubeſce.

Wo op. & di. l. 3. Schievel.

Herod. l. 1.

SACRA. Ad ea priuſquam accedamus, fluxas voluptatum ſuperfluentium appetentias emingere, neceſſe eſt. *Io. Pic. Mir. ap. Gyral.*

Antequam ad Principem accedamus, minus civile deponimus indumentum. Quid cum Deo præſtandum? Cultum antecedat expiatio. In hoc elephas ipſe magiſter. Præpoſterè qui agit, non colit, lædit. Serpentis pictura pueros terrebant priſci, ut priuſquam loca ingrederentur ſacra, micturirent; Vnde illud Perſij,

Pier. hier. l. 2.

> *Pinge duos angues: Pueri, ſacer eſt locus: Extra Meïjte.*

Sat. 1. & ibi. Sarrab.

Vtinam verò nonnulli ante ſolem voluptuoſas cupiditates potius emingerent, quàm augerent.

Meæ

Meæ Coniect.

DE IMPIORVM ABVSV: VITIOSO, AC IGNARO IACTATORE: PRAVIS CVPIDITATIBVS.

IMPIORVM ABVSVS. Contra ſolem meit profanus ille, qui, ut ſcribit Lactantius, *admirabile Dei opus, ad propagandam ſucceſsionem, inexcogitabili ratione proviſum, & effectum*, in ipſius Dei contemptum, ac offenſam inhoneſtis actionibus, vel illicitis voluptatibus convertit. Quod Pythagoras de pudendis ait, de cæteris tui partibus tu repete. Abſolutiſſimam corporis ſtructuram, quam à Deo habes, ad quem traducis uſum? Linguâ Momum geris, fronte Ianum, Mercurium manu, pede Lunam, corde Martem. Sic univerſis tui partibus, velut adorandis, novam tibi paras gentilitatem. Vt pereas potius, quàm ut videas, tibi magis noxia quæritat oculus: Aſſyrios, Perſicóſque odores naribus admoves ad vanitatem, ad crapulam, ad libidinem: Dum aures inter Lydios vocum, & inſtrumentorum concentus debacchantur, à ſe ipſo tuus diſſonat animus: Aegyptiâ, Cipriâque aſſuetus mollitie tactus, & luxu, & luxurie delirat: Conchas à Lucrino, alites à Phaſide, à Pucino, & Aminæâ potum, exigit guſtus, ut Bromio, ac Veneri magis, quàm neceſſitati lites. Contra ſolem ſic min- De opif. Dei c. 13.

gis.

giſ: Hoc eſt contra Deum Dei abuteris munificentiâ; Senſibuſque ipſis, quibus te Divinitas perfecit, imperfectam, immo ream in te conſtituis humanitatem.

VITIOSVS, AC IGNARVS IACTATOR. Ad ſolem converſus mingit, qui vel impius, vel imperitus in lucem ſua edit pudenda: Qui ad inſtar *Sybaritæ per plateas*, & palmarias ineptias, & baſilica facit ſcelera. (Eraſ. chil. 2. cen 2. adag 67.) Qui bullatis & nugis, & flagitijs propria dedecora è ſinu extollit in fronte; Quaſi aliquis non ſit, qui vel non delirat, vel non audet

aliquid breuibus Gyaris, et carcere dignum, (Iuven ſat. 1.)

Audiat impurus adulter, barbarus homicida, qui ea luci, ac ſoli exponit, quæ ſolus, ac in tenebris geſſit. Audiat inſipiens ille ſelliſſans, ille Calyphanes, qui & Gabriæ corniculam, & Mineruæ noctuam ſe noſcens, palam glorioſus diem adit. (Svid in hiſt eraſ. chil 4 cē. 3. ad. 31. Gabr in Fab Gral de pyſ. Synth. 31.) Sceleſtè, ac inſipienter agere, málum. De ſcelere, ac inſipientiâ gloriari, peſſimum: Illud málum facere; Hoc & málum, & málos. Inſipientem ſibi eſſe illud, hoc ſibi, & alijs. Amplius, illud non ſemper málum; Non enim ex electione ſemper; Nec ſemper inſipiens; Nam errando & diſcimus aliquando: Hoc dupliciter málum; Quia electionem jactantia & fatetur, & confirmat; Errat ſemper, nunquam diſcit, qui tanquam virtutem proprium canit errorem.

PRA-

PRAVÆ CVPIDITATES. Contra ſolem nedum mingere, ſed micturire, nefas. Nempe máli deſiderium málo pejus. Cum opere interdum vel tranſit, vel mutatur electio; In deſiderij pertinaciâ eſt magìs permanens; Ac ideò magìs contumax. Non ſemper abſolutè opera cernit homo; Ea enim ſæpe involuta. Semper & opera, & cogitationes videt Altiſſimus; Etenim apud eum nil prodeſt ſimulatio, nullum datur ænigma. Extrinſeca, quocunque id eveniat modo, humanus intuetur oculus: Intrinſeca intueri, ſolius Dei proprium; *Homo enim videt ea, quæ parent, Dominus verò intuetur cor*. Cupiditate igitur peccare præcipua intuitus divini offenſa. 1. Reg. c. 16. n. 7.

V CON-

CONTRA SOLEM NE LOQVARIS.

Symb. XVI.

Var. Lect.

Adverſus ſolem ne loquitor. Eraſm. *Contra ſolem.* D. Hjeronym. *Ad ſolem verſus.* Ficin. *Converſo ad ſolem vultu non clamandum.* Int. Plut. de præc. Pyth. ap. Gyral.

Int. Var.

DE VIRTUTE, AC RATIONE: DIVINITATE: PROVIDENTIA DIVINA: MANIFESTIS: VERITATE: PUBLICA LOCUTIONE.

VIRTUS, AC RATIO. Contra eas non pugnandum. *Plutarch. in libel. de præc. Pyth. ap. Gyral. tom. 2.*

Sen. epiſ. 92. Plut de fortun. INſtar ſolis virtutem Seneca, Plutarchus rationem dixit. Contra ſolem loquitur impurus, qui odit lucem, maledicus, qui & in ſole maculas exquirit; Curialis, qui & Aſtreæ in Cælis abſconditæ, aulicus, qui & innocentiæ in ipſo aulæ aſylo, amator qui & in amatâ ipsâ honeſtati ſemper inſidias parando, ſplendori tenebras offundunt. Idem facis tu, qui filiorum negligis educationem, qui ſicarios, ac lenones foves, qui probo anteponis divitem, ſapienti morionem. Idem paraſitus, adulter, avarus, iners, & cæteri, qui

con-

contra virtutem, ac rationem pro ſenſu militant. Adverſus virtutem qui pugnat, homo nequam; Qui adverſus rationem, vel ſibi hoſtis, vel non homo.

DIVINITAS. Contra ipſam non loquendum. *Gyrald.*

Audiat ſuperbus, fur, mœchus, homicida. De locutione hîc agitur: Fateor. Num verò id ſolius mendacij, calumniæ, perjurij, execrationis flagitium? Vlterius progreditur. Contra divinitatem loquitur, quicunque contra Dei mandata impius agit. Nónne loquuntur & opera? *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me.* Gen. c. 4. n. 10.

PROVIDENTIA DIVINA. Contra quam loqui ſumma cæcitas. *Ferd. à Belu. in Pyth. Symb. 8. c. 2.*

Oculos in cælum tolle, diceret Lactantius: Annuum, ac diurnum ſolis motum inſpice. Si idem ſemper, cur caſu, non prouidentiâ id putas? Hoc eſt *contra ſolem loqui*. Hunc tibi fulgentem haud vides? Profectò cæcutis. Vides? Cave. Pejus eſt cum Gigantibus lædere, quam cum Diagorâ Deum non videre. De falſ. rel. l. 1. c. 2. Aeſchyl. in Prometh. Lact. ibi.

MANIFESTA; Quibus non repugnandum. *Eraſ. chil. 1. cen. 1.*

Perſpicua nec argumentis probanda, cenſet Philoſophus, ne illis ex ignotioribus notiora confirmentur: Eo magìs non reprobanda. Cum Zenone, aut Heraclito, neganti motum dialecti ci fiunt ambulantis pedes. Hæc ſtulta illorum va- Rhet. ad Theod. l. 3. c. 17. Laert. in Pyth. & Plutar. de plac. phil. l. 2.

CONTRA SOLEM NE LOQVARIS.

Symb. XVI.

Var. Lect.

Adverſus ſolem ne loquitor. Eraſm. *Contra ſolem.* D. Hjeronym. *Ad ſolem verſus.* Ficin. *Converſo ad ſolem vultu non clamandum.* Int. Plut. de præc. Pyth. ap. Gyral.

Int. Var.

DE VIRTVTE, AC RATIONE: DIVINITATE: PROVIDENTIA DIVINA: MANIFESTIS: VERITATE: PVBLICA LOCVTIONE.

VIRTVS, AC RATIO. Contra eas non pugnandum. *Plutarch. in libel. de præc. Pyth. ap. Gyral. tom. 2.*

Sen. epiſ. 92. Plut de fortun. INſtar ſolis virtutem Seneca, Plutarchus rationem dixit. Contra ſolem loquitur impurus, qui odit lucem, maledicus, qui & in ſole maculas exquirit; Curialis, qui & Aſtreæ in Cælis abſconditæ, aulicus, qui & innocentiæ in ipſo aulæ aſylo, amator qui & in amatâ ipſâ honeſtati ſemper inſidias parando, ſplendori tenebras offundunt. Idem facis tu, qui filiorum negligis educationem, qui ſicarios, ac lenones foves, qui probo anteponis divitem, ſapienti morionem. Idem paraſitus, adulter, avarus, iners, & cæteri, qui

con-

contra virtutem, ac rationem pro ſenſu militant. Adverſus virtutem qui pugnat, homo nequam; Qui adverſus rationem, vel ſibi hoſtis, vel non homo.

DIVINITAS. Contra ipſam non loquendum. *Gyrald.*

Audiat ſuperbus, fur, mœchus, homicida. De locutione hîc agitur: Fateor. Num verò id ſolius mendacij, calumniæ, perjurij, execrationis flagitium? Vlterius progreditur. Contra divinitatem loquitur, quicunque contra Dei mandata impius agit. Nónne loquuntur & opera? *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me.* Gen. c. 4. n. 10.

PROVIDENTIA DIVINA. Contra quam loqui ſumma cæcitas. *Ferd. à Belu. in Pyth. Symb. 8. c. 2.*

Oculos in cælum tolle, diceret Lactantius: Annuum, ac diurnum ſolis motum inſpice. De falſ. rel. l. 1. c. 2. Si idem ſemper, cur caſu, non prouidentiâ id putas? Hoc eſt *contra ſolem loqui*. Hunc tibi fulgentem haud vides? Profectò cæcutis. Vides? Cave. Pejus eſt cum Gigantibus lædere, quam cum Diagorâ Deum non videre. Aeſchyl. in Prometh. Lact. ibi.

MANIFESTA; Quibus non repugnandum. *Eraſ. chil. 1. cen. 1.*

Perſpicua nec argumentis probanda, cenſet Philoſophus, Rhet. ad Theod. l. 3. c. 17. ne illis ex ignotioribus notiora confirmentur: Eo magìs non reprobanda. Cum Zenone, aut Heraclito, neganti motum dialectici fiunt ambulantis pedes. Laert. in Pyrrh. & Plutar. de plac. phil. l. 2. Hæc ſtulta illorum va-

nitas, qui ſolo contradicendi ſtudio ducti, lucem affectant in tenebris. Declinantes à viâ, in foveam incidunt; Quærentes gloriam, veritatem amittunt: Sapientiam diſſidijs potius dilaniant, quàm aſſequantur. *Contentioſo funiculo* facilius Minervam ſuffocant, quàm teneant. Sic ingenium jactanti ſæpe illud convenit,

Eraſm Chil. 3 cen. 8. ad. 77.

Infelix, tua te vis perdet.

ap. Plutar. de Stoic. repugn.

VERITAS. Contra eam loqui, dedecet. *Pieri. Hierogl. L.* 44. Nec multum in re literariâ proficit, qui veritati repugnat. *Thuil. de Symb. Pyth.*

Hìc aſſerenda magìs, quæ de notis rebus jam dicta. Notæ etiam fabulæ: Attamen mutare illas, & ipſis poetis vetitum, quibus cum pictoribus

Ariſ. poet. c. 11.

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Horat. poet.

Quid de veritate dicendum? Immo quid de ſeculi more, quo fatuus, qui contra veritatem loqui neſcit? Hujus praxim exhibent forum, aula, emporium, cathedra. Quid verò indignius in homine ad Dei ſimilitudinem edito, qui *veritas?*

Iohan. c. 14. n. 6.

PVBLICA LOCVTIO. A quâ abſtinendum. *Ità videtur ex Hebræorum adagio innuere Cyrald. de Symb. Pyth.*

Cæteri arduum oratoris opus expendant: Me aliò revocat ſymbolum. Publicè fari non ſemper idem, ac è ſuggeſto apud populum concionari. Quid præſtas tu, qui amico, uxori, ſervo clam committis arcana? In publici ſermonis diſcrimi-

ne

ne jam verſaris. Fide nîl magìs *rarum*; Nîl magìs lubricum linguâ. Iam publicè loqueris. Tu ipſe fiduciam, & facilitatem doces. Hor. car. l. 1. od 35.

Servi ut taceant, jumenta loquentur, Iuvenal Sat 9.
Et canis, & poſtes, & marmora.

Ità factum ex ore in os tranſit ad populum. Qui unum ad binarium traducit, ſtatim, ait Plutarchus, *ad multitudinem vergit. Ac orationi è portu ſemel egreſſæ nulla ſtatio*; Nam verbum De Garrul.

Fertur rotans volucres alas; Hom. Odyſ. 2.

Hinc illud

Arcaníque fides prodiga. Horat. car l. 1. od. 18.

Quid autem? Quicunque veri ſermonem habet, maximè timeat; Publicum enim facit arcanum, vel amici, vel animi. Sic

Qui modo ſecretum commiſerat, ardet, & odit, Iuven. ſat. 9.

Nam

Scire volunt ſecreta domus, atque indè timeri. Sat. 3.

Vis publicè loquendi pericula evitare? Tace. Silere aſſiduè nequis? Te ità conſule, ut noſcas, te aſſiduè periclitari.

Meæ

Digitized by Google

Meæ Conieẞt.

DE GARRVLITATE: POTENTIVM COMMERCIO: INGRATITVDINE: TEMPORIS OBIVRGATORIBVS: FAMÆ STVDIO: CONCILIANDIS PRINCIPVM ANIMIS: INFELICITATE.

GARRVLITAS. *Ad ſolem ne loquaris*; Quod cum apud Græcos *ad tempus* importet, idem eſt, ac totam diem ne vanâ conſumes garrulitate. Dic verboſe; Tu è domo diſceſſiſti manè, redis veſperè: Interim quid feciſti? Verba? Vnde tot? Ex regum contentionibus, ex moribus prætereuntium? Quid hæc ad te? Quo conſpicillo interna, & longinqua intueris? Hoc idem aſſiduè præſtas, nec, ut alios, te ipſum tedio afficis? Argumenta, & voluptatem ſuggerit curioſitas; Tum politicus, tum militaris, tum moralis eſt ſermo. Quid tu ad hæc? Præterita reminiſcor, præſentia recenſeo, de futuris conijcio. Voces in nihilum redactæ otioſum te redarguunt. Omnes te loquacem fugiunt, detractorem timent, vanum digito demonſtrant. Age potius, ne cum illo te diem *ſine lineâ* perdidiſſe, pœniteat.

Steph. in theſ. gr. to. 3.

Eraſ. chil. 1. cen. 4. ad. 12.

CVM POTENTIBVS COMMERCIVM. Perſæ imperij majeſtatem ſole indicabant. *Ne ad ſolem igitur loquaris* idem, ac illud *Sis procul à Ioue*: Aut

Viue tibi, & longè nomina magna fuge.

Pier. hier. l. 44.

Eraſ. chil. 1. cen. 3. ad. 96.

Ovid. de triſt. l. 3. el. 4.

Sic

Sic & divinus vates; *In loco magnorum ne ſteteris*. Quod magis affirmandum, ſi ex græco illud *loqui* pro *inconſideratè, ac temerè verba fundere* accipias. Qui præpotentes alloquitur, nedum periodos, verùm & ſyllabas æquè libret. Quinimmo cum principibus, quàm minimè loquendum, ajebat Aeſopus. Proverb. c. 25. n. 1. Steph. ibi gr. l. 2. Plutar. in Solon.

Quid violentius aure tyranni? Iuven. ſat. 4.

Cum illis, quàm nocua ſit colloquij familiaritas, refferat Solon, qui & de felicitate reſpondens, infelix. Plutar. ib. Magis funeſta ætati noſtræ plurima non deeſſent exempla. Princeps cùm plurali de ſe utatur numero, nunquam ſolus: Quid mirum, ſi tum ipſe amat, tum à ſeipſo diverſus odit? Quem ideo prius causâ vel joci, vel animi perturbationum in familiarem admiſit, demum reſipiſcens, jam æqualem, propriaéque imbecillitatis teſtem abhorret, ac perdit.

INGRATITVDO. Briareum centimanum ſolem dixerunt Græci. Rhodig l. 24. c. 14. Quis enim erga nos ejus nedum rependeret, ſed dinumeraret beneficia? Quid aliud igitur, *contra ſolem loqui, ac mingere*, quàm verbis, & operibus extremas ingratitudinis partes exercere? In Apollinis manu Charites viſebantur; Gyral. ſynt. 7. Ejus enim eſt, non tantùm gratias nobis elargiri, ſed à nobis relatas accipere. Sol autem ſi vitæ genitor, ac naſcentis dæmon, tu qualem te parentibus exhibes? Macrob. ſat. l. c. 19. Luminum ille princeps, Cic. in ſom. ſcip. ac ibi.

Macrob. l. 1. c. 20. ceps, ac moderator: Qualis tu principi? Sol Dei
Pier. hiero. gl. l. 44. ſimulacrum: Tu qualis Deo? Parentes alit cico-
Ionſt. thaum. cl. 6. c. 15. nia, feſsóſque fert humeris; Regem colunt apes;
Ouid. Ap. l. 1. Lunam adorat elephas: A rationis expertibus in
Pier. hierog. l. 2. te ratio, gratitudinis mutuetur officia.
Id. l. 44. TEMPORIS OBIVRGATORES. Aruſpices
pro annis accipiunt ſolem: Hícque idem, ac Sa-
Sat. l. 1. c. 22. turnus apud Macrobium. Ità pro tempore ibi,
Pſalm. 71. c. 5. *& permanebit cum ſole*. In tempore quid mali?
Tranſitus irreovcabilis? Te ipſum accuſa, qui eo
abuteris. Viciſſitudinum infelicitates? Non tem-
poris hæc, ſed rerum: *Peregrinum, aut novum ſa-*
Laert. in Anthiſt. *pienti nihil*. Nullum aliud bonum, niſi tempus,
Plutar. in quæſt. plat. agnovit Pythagoras; Illúdque mundi animam
& Iambl. de Pyth. c. 9. nuncupavit. Dic tu, qui alienæ laudator ætatem,
quâ frueris, abhorres. Præterito ſeculo te potius,
quàm tuo vixiſſe, cupis? Iam ſic interijſſe,
aves. Ita vive, ut tibi ætas inſerviat, non tu
ætati. Querule adoleſcens, contra tempus cur
loqueris? Nondum enim annos ad dignitatem
nactus? Annis potius ità utere, ut ipſam merea-
ris. Tu ſenex ad quid ſenectam ipſam, quam ex-
optaſti, odio habes in te ipſo, eludis in alio?
Vel pueritiam, vel necem ſic mavis. Deſunt vi-
res? Crevit prudentia. Oris amiſiſti formam?
Quære animi. Accedit mors? Recedet mortali-
tas. Dic tu, censûs creditor, cur tempus incre-
pas? Ejus potius celeritatem lauda. Si debitor

es,

es, tempori gratus eſto. Longum tibi morâ favet, breve à curis te citò eximit.

FAMÆ STVDIVM. Eam in Solis claritate agnovit antiquitas. Ad hanc ne tantùm verba fundas. Non ſolis vocum, ſed rerum, & actionum alis erigamur ad immortalitatem Pier. hier. l 44.

ſeduli,

Non verbis decus extendere longiùs, Philom. Muſ. iuv. n.59.
Sed geſtis.

Audiat verboſus ille, qui ad inſtar cuculi, nihil niſì vox, & pluma. Totâ die loquatur; Magnum ſcribat volumen: Quid aſſequetur? Scitè avis illa ſuper Iunonis ſceptrum inſidebat: Hujuſmodi enim viri ſuam in aere ſtabiliunt gloriam. Nat.Com. myth. l. 2. c. 4. & Pier. l. 25.

CONCILIANDI PRINCIPVM ANIMI. Ad hoc *ne*, cum Indis phialam roſaceo plenam geſtantibus, duodecies repetitâ oratione, *loquaris ad ſolem*. Non ſuperſtitiones, non patrocinia, ſed virtutem conſule. Verum adis principem? Tibi ſola virtus faciat benevolum. Tyrannum? Nec odium, nec amorem cupias: Vtroque periclitaberis. Cum hoc laudare, largiri, tyrannidem augere, cubicularium, citharœdum, coquum, amaſiam, cinædum rogare, mercaturam, cædes, proditiones, lenocinia, ſcurrilitatem exercere, ſat erit. Sic benevolentiam forſan, ſed indignè aſſequeris: At momentanea citò lethale in odium vertetur. Hæc eorum natura, qui improbis patroci- Pier. hierogl. l. 55.

trocinantur; Propriam denique in alienâ improbitate deteſtantur; Ac ſæpe, ut cauſam propriæ, alienam cum viro perimunt.

Ad princ. incrud Pſalm. 18 n. 6. INFELICITAS. Plutarchus Dei ſimulacrum, David tabernaculum *in ſole poſuit*. Stultus qui ad eum converſus *ultro clamat*: Hoc eſt amplius dolet. Quid enim máli, ubi Deus, in quo omne bonum? Infelicem te putas, quereris, ploras? Ad eum confuge, in eo quieſce; Iam felicitatem, ſolatium, gaudium nanciſceris. Clamáſne ob pau- Eccli. c 29 n. 14 pertatem? *Pone theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi, & proderit tibi magis, quàm aurum*. Ob infirmitatem? *A Deo, qui medicum creavit, eſt omnis* C. 38. n 1. & 2. *medela*. Ob exilium? Si ortus à Deo, tibi vera in illo patria. Ob carcerem? In Deo tuæ libertati non deerunt ſpatia, quæ *Cælum, & Cæli* Iohan. c. 14. n 6. *Calorum capere non poſſunt*. Ob mortem? Deus ipſe *vita*.

OLEO

OLEO SEDEM NE ABSTERGAS.

Symb. XVII.

Var. Lect.

Sellam. Eraſm. Volff. & Port. in Svid. *Sedes non tergenda*. Ambr. in Laert. *Oleo non commaculanda*. Inter Plutar. de præc. Pyth. *Lampade ſedem ne abſtergas*. Scutell. in Iambl. *Facula ſedem ne extergito*. Arcer. ibi.

Int. Var.

DE QVIETE: REBVS OPTIMIS: ADVLATIONE: SAPIENTIA.

QVIES. Nihil agendum, quod cuique otium perturbet. *Plutarc. in libell. de prac. Pyth. int. ap. Gyral. tom. 2.*

SEdentis otium hîc pro quiete ſumendum. Si laſſitudini medetur, importunus, & impius qui vetat; Si reficit ad majora vires, qui eam turbat, hæc impedit. Sed hinc, ſi placet, aliò ſymbolum revocemus. Literis incumbens, velut *ſuper cathedram ſedens*, proprio quieſcit in genio filius: Tu pater, cur eum ad arma impellis? Heu quot pro ſapiente ſicarium ſic educarunt? Aulicus in regis benevolentiâ ità ſuâ fruitur tranquillitate, ut ferè *ſedeat cum principibus*. Invide, cur eum vexas? Vel innocentiam lædis, vel te ipſum,

Matth. c. 23. n. 2.

1. Reg. c. 2. n. 8.

ſum, qui contra jacentem pugnas. Iam *ſedet po-*
Iſai. c. 32. n. 18. *pulus in pulchritudine pacis ;* Tu princeps, belli
cauſam cur, aut præbes, aut quæritas? Cave, ne,
Eraſm. chil. 3. cē 5. ad. 88. ſi *claſsicum* hodie *canis*, cras lugeas. In Deo, ut
Prov. c. 21. n. 9. & ibi Bed. & Oſe. c. 14. n. 8. & ibi Hiez. *ſedens in angulo domatis*, aut *in umbrâ olivæ* re-
quieſcit ille? Cur eum alliciens, à cœnobio ad
aulam, à divinis ad humana revocas? Deo ſic
eripis: Hominem ſic diſperdis; Quietem ſedenti
ſic turbas.

OPTIMÆ RES. Illis non abutendum ad ea, quibus neque dignæ, neque utiles. *Eraſm. in Symb. Tyth.*

Laert. in Diog. 1. Reg. c. 10 n. 1. Hominem cum Diogene lucernâ pete, non
ſubſellium. Reges unge, non ſedilia. Sellam
qui ungit, nec dignè agit, nam oleum ſpernit,
nec cum utilitate, nam ſedentem conſpurcat.
De art. cab. l. 2. Reuclino ſedere humilitatis eſt nota: Oleum
Hier. l. 53 Cant c. 1. n. 3. Pierio divinitatis proprium; Hinc *oleum effuſum*
Alex ab Alex. l. 5. c. 28. *nomen tuum*. Ejus patet in ſacris uſus: Præter
antiquum expiandi modum, ſanctum id compro-
bat Chriſma. Eos pudeat, qui dum ad vilia ſa-
cris abutuntur, immo ad impia, *oleo ſedem com-
maculant* potius, quam *abſtergant*. Hîc non vene-
ficum tantummodo, aut hæreticum alloquor, qui
crebrò, & perversè divinis utuntur oraculis.
Audiat etiam ſcurra, qui hominem admiratione
dignum inſervire facit cachinnationi: Perjurus,
qui ad mendacia Deum adhibet teſtem: Sacrile-
gus, qui fanum adit ad colloquia, ad amores:
Hypo-

Hypocrita, qui ſub religioſo palliolo ſcelera magìs fovet: Audiat, qui templi proventum in Numinis offenſam impendit: Qui divina cum pſeudapoſtolo nundinatur: Accedat ſuperbus, popino, ganeo; Animum in facis lumine cum Plutarcho, in ſede aſpiciant corpus: Eum huic inſervire, nefas: Illi verò totum impendunt animum, ut excogitent, parentque corpori ornatum, edulia, voluptates: Nec pro animi nuditate, eſurie, ac felicitate viliorem corporis partem impenderent. Quæſt. Rom.

ADVLATIO, *CVM AMICO*. Veritas amicitiæ ſedes blanditijs non deturpanda. *Rhencl. de art. cab. l. 2.*

Veritatem ad quid ungis? Quoniam virtutum regina? Vel potius nam eam opus eſt, luctari cum odio? Vtrunque ſit. Quo ungis? Fictæ aſſentationis oleo? Iam ad extremum laborare, indicas. Quid magìs veritati contrarium, ac lethale? Deſine. In amicitiâ comparanda *modius* requiritur *ſalis*; Tu *olei* plus, quàm *ſalis emiſti*. Si amicitiæ ſedes veritas, veri ſtabilitatem in ſede agnoſce. Dum eam oleo perfundis lubricitatem addis: Amicitia hinc præceps ruit. Quid mirum? *Non potes me, & amico uti, & adulatore*, Phocion reſpondit Antipatro. *Nulla in amicitijs peſtis major, quàm adulatio*, Cicero ad Pomponium Atticum. Ideò *amicitiæ nomen*, quaſi mortuæ, *in adulatione inſcriptum, velut in ſepulchro*, inſpexit Diogenes.

1. Reg. c. 10. u. 1. Mercurial. gymn. l. 4. c. 8 & l. 3. c. 8. Plutarc. de amic. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 24. Plutar. in præc. coniug. De amicit. Ap. Stob. ſer. 13.

genes. Tu verò ſi fictus in veritate, quis eris in mendacio? Si mendax cum amico, quis cum hoſte?

CVM PRINCIPE, AVT IVDICE. Palpi, & ficti ſermonis oleo thronum, ac tribunal dedecet, abſtergere. *Gyral. de Symb. Pyth.*

Pſalm. 140. n 5. En illud *oleum peccatoris non impinguet caput.* Adulatio ubique noxia; Sed magìs in aulâ, & in foro: Hinc pellit juſtitiam, illinc veritatem, utrinque fidem. De judice ſileo, cujus ſedes aliam palpi admittit ſpeciem. Petis quam? Iuvenalis
ſat. 5. verba conſule; *Munere palpat Carus.*

Eraſ. chil. 8. cen. 5. ad. 63. Steph. th. gr. to. 2. *Sic oleum* non fertur *in aurem*, ſed in manum. Ad principem redeo. Hìc liceat græcum verbum expendere, quod in *thronum*, aut *ſedem* vertitur: Circumflexo notatum, eum etiam Thebarum locum ſignificat, è quo ſua edebat vaticinia Tireſias. Principis conſiliarius, ac vates in eo con-
Rhet. l. 2. c. 24. veniunt, quod uterque de futuris agit. Filius ille ſacerdotis, de quo Ariſtotiles, in oleo aſſenta-
Eraſ. chil. 1. cen. 1. ad. 12. tionem, in ſale veritatem poſuit; Sal verò, non oleum in divinationibus apponebatur. Stultus qui, ut Phœbades, non vera, ſed grata promant, oleo tripodem conſpergit. Quid petis à conſultoris oraculo? Vt futura veritatis arcana tibi referet? An potius, ut inſanam tui mentem divinet? Vt
Plaut. in Mercat. placeat, hoc eſt ut *percutiat palpo*, an ut iuvet? Poterit quidem aruſpex, aut aſtrologus, vel reve-

vela-

velare, vel diſſimulare fata, non poterit componere, aut tollere. Dominus ad ſui placitum vaticinantis vocem flectet, non vaticinium. Delet-ne, mentiri ſervus? Vates non erit, ſed mendax; Non conſiliarius, deceptor; Non ſervus, hoſtis, ut ajebat Pythagoras *hoſte pejor*. Ità ò princeps, vel ineptum potius, vel nullum habeas: Mendacij ſaltem vitabis culpam. Ità ò aulice, ſi principem nactus veritatis amicum, iratum pave, ſi adulationis, indignum noſce, cui ſervias. Stob. ſer. 12.

SAPIENTIA. Cujus propria non commiſcenda ijs, quæ propria Zoodiæ, vel cantus animalium. *Iambl. protr. c. 2.*

Hic ſe neſcire, fatetur Arcerius, quid Zoodia ſibi velit. Cur autem pro cantu animalium interpretatur? Amplius quærit, in quo cum oleo quadret; Quærendum potius erat, in quo cum ſede conveniret, cui ſenſus animalium, non cantus comparatur. Nos interim aſſerere indè liceat, ingenuam ſapientiæ libertatem nimiùm diſtare à canoris avieulis, quæ ligneis, ferreiſque cancellis detinentur; Quod idem, ac ſapientis non eſſe, alteri ſervire, vel aſſentari: Aut potius non debere prudentem ab oſcinis auguria capere: Vel illum ſapientem minimè dicendum, qui ad inſtar picæ, loquitur; Sicut pſittacum religionis compotem, qui apoſtolicum recitabat ſymbolum; Nec Deum, cujus propria tantùm eſt ſapientia, Pſaphonem, In caſtig. in Iambl. protr. Scalig. exercit. 36. Eraſm. chil. 1. cent. 2. ad.

quan-

quanvis ab eo edoctæ aviculæ Deum canerent?

Nec miſcenda cum ſenſualitate ſapientia; Illudque non inquinandum, cujus proprium eſt inquinamenta diſpellere. *Ex Iambl. Scutell. ibi.*

Alex. ab Alex. l. 4 c. 17. & Pier. hier. l. 53. Facula, & oleum hîc pro ſapientiâ; Olea enim Palladi ſacra literatis lucubrationibus lucernas alit. Sedes pro ſenſu, & animalitate; Inferior Plutar. ſymp. 7. q. 1. enim hæc hominis portio. Nulla cum re permiſcetur oleum: Nec ſedet, ſupernatat. Sic ſedere animalitatis, erigi ſapientiæ proprium. Quomodo hæc jungenda? Earum diſcrepantiam novit Iambl. Plato, qui ad ſapientiam comparandam prorſus animum à ſenſuum, corporíſque fallacijs revocavit. Ille hinc diſcat, qui nullam, niſi in ſolo ſenſu, fidem habet. Non vult ſapere, vult decipi; Ac illud *inquinatum, cujus proprium eſt, inquinamenta diſpellere*. Idem præſtat qui ex ingenio doctrinæ pervertit uſum: Qui famam in diverticulo quærens, non vera jactat, ſed nova. Sic ſapientiam adulterant: Hinc ſpuriæ ſuperſtitio, hæreſis, mendacium. Eam nedum commaculant, ſed delent: Immo in ſtultitiam vertunt. Ignem quis Gerald. ſynth. 17. poterit fœdare? Faculæ proprium in luſtrationibus erat, ſordes ipſas tollere: Sapientiæ pari modo erat, ab animo ignorantiæ, vitiíque labes removere. Ad quid ergo faculæ ſedem detergere? Qui eam inquinavit, naturali ejus repugnavit officio.

Meæ

Meæ Conieɛt.

DE ANIMO: BENEFICIO CORRVPTO: ILLICITIS AMORIBVS: SAPIENTIA: PACE DESIDIOSA: PROPRIO MVNERE: PROBI OBIVRGATORE: FAMÆ STVDIO.

ANIMVS. Faculæ non *abſtergenda ſedes*; Id eſt cum Iamblico *non inquinanda*. Quid hoc? Paraphraſíſne, an paradoxum? Nil mirum. Qui extergit, jam inquinatum habet. Ne ſit opus, extergere, ſinè labe ſit. Quid autem pro face? Animum lumen eſſe, Philoſophorum nonnulli cenſebant: Hinc animæ hieroglyphicum in lucernâ. Quæ verò facis ſedes? Quæ animæ. Cor cum Epicuro, cum Eraſiſtrato cerebrum, utrunque cum Pythagorâ. De hoc in ſymbolis de corde, ac cerebro. Interim quid diſco? Inſcitiam, ac perturbationes prius eijciendas eſſe, quam fœdent animæ ſedem. An potius cujuſque mores, ac ingenium criticè non exagitandos?

(Plutar. an laten. vin.) (Pier. l. 46.) (Plutar. de plac. philoſ c. 5. & Iambl. de vit. Pyth. c. 24.)

BENEFICIVM CORRVPTVM. Sedem feſſo paras? Oleo conſpurcans, uſum prohibes. Vana oſtentatio. Quid *lapidoſus* exurienti *panis*? Quid Heliogabali cerea, ſeu marmorea paraſitis bellaria? Te correptum à ſymbolo intellige tu, qui ore, non manu, liberalis, offers, non ut conferas, verùm ut ſolâ oblatione devincias. Fragile vinculum, ſi vocibus compactum. Dein oleo

(Senec. de benef. l. 2. c. 7.) (Lamprid. in Heliog.)

dum ſellam tergis, quietem ſorde, munus offenſâ libras. Improba liberalitas; Vnde ille diceret,

Philomet. in Pomp. act 4 ſc 3. *timeo donantis manum*.

Compediens quid proderat aurum Ariſtippo? Eraſm. chil 2 cen. 4. ad. 25. Diſce, qui beneficium neſcis conferre, niſi cunctabundus, niſi aſper, niſi cum eo permiſcens damnum.

Horat. l. 2. ep. 1. *Nil moror officium, quod me gravat.*

Plutar de prim. frig Sedile ungere quid aliud, quàm *alterâ manu aquam*, quæ libramento ſedet, *alterâ geſtare ignem* ex oleo, quorum eſt proprium erigi, & ſupernatare? Speciosum malum. Subdolus audiat irriſor, qui laude ipsâ vituperat. Perfidus amicus, Eraſ. chil. 4. cen 7. ad. 70. qui & blandè nocens, *philoteſium* veneno inficit *poculum*.

ILLICITI AMORES. Fax præcipua amoris Hierogl. l. 46 nota ex Pierio: Oleum, quo faces ardent, etiam Cant. 1. n. 3. divini ſignum. *Oleum effuſum nomen tuum: Ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.* Quid ergo innuat, faculâ ſedem abſtergere, jam patet: Hic nefandum maſculæ Veneris flagitium modeſtus objurget Harpocrates; Ac ad generalia revocetur ſymbolum; Suâque lampade illorum tenebras excutiat, qui ſponte cum Amore cæcutiunt. Scortum, ſcurram, ſicarium in delitijs habent: Quid aliud hoc, niſi face ſellam tergere? Hoc eſt ordine inverſo naturæ, id amare, quod potius odio dignum?

SAPIENTIA. Neque comparatur, neque exerce-

ercetur inertiâ . Oleum in ſede? Nimiùm hæc
diſcrepant . Olea eſt ſapientiæ , ſedere deſi- Gyral. ſynt. 11.
diæ . Hâc verò nihil penitus diſcit animus, aje- Pier l.43. Plat. in
bat Socrates . Sudorem , non inertiam ante Theaeth. Xenoph.
virtutem poſuere Dij . *Qui addit ſcientiam , addit* de Soc.l 2. ecclesiaſt. 1. n.18.
& laborem , ajebat ille. Vt exeat Pallas , Vul- Philoſtr. icon.l.2.&
cani artium præſidis accedat opus . Ea ità Plutar. aqu. an.
otio naſcitur adverſaria, operíque dedita, ut ar- ign. ut.
mis undique muniatur . Phidias Athenis ejus ſi- Philoſtr. ibi.
mulacrum ſtantem voluit: Sola ſedens Perina mu- Pauſan. l.5.
lier ſedentem contexuit . Hinc ſe correptum in- Gyrald. ſynt 11.ex
telligat ille, qui ſedens in otio abſque ſtudio, ac Euſth. in Iliad.6.
labore ſapientem ſe, vel ſperat, vel jactat . De-
cipitur . Poetam , vel oratorem agit . Quid in-
de? Agere non idem , ac eſſe . Loqui , & verba
facere à naturâ ſemper ; Non ſemper à ſapien-
tiâ: Haécque jam ſcit, illa ſcire deſiderat. Illud Ariſt. metaph. in
Philoſophi non me præterit; *Quieſcendo, ac ſeden-* princ. Phyſic.l.7.
do animus ſit ſapiens . En Pirinæ ſedentem Miner- tex. 20.
vam. Prius verò à Magiſtro dictum, *motione per-* Plat. in Theæt.
ficitur animus . En Phidiæ ſtantem . Quæ contra-
rietas? Nulla. Solutus à perturbationibus apud
Ariſtotilem ſedeat ; Hoc non ſemper otium .
Diſciplinæ , ac meditationis habitibus apud Pla-
tonem moveatur ; En labor . Hinc diſcant illi,
qui ſedentariam lychnobij ſapientis vitam , ve-
lut otioſam accuſant . Quamplurimi artificum ſe-
dent , nec otiantur . Sæpe animi etiam ſedentis

Y 2 labo-

laborioſum magìs, ac dignum, quàm ſtantis corporis opus.

DESIDIOSA PAX. Pacis olea otij ſedem neſciat; Alioquin paveat Ilij fatum;

Verg. Aen. l. 2. *Invadunt urbem ſomno, vinóque ſepultam.*

Iob. c. 7. n. 1. Iam ceſſit bellum? At ſi vita hæc militia, continuum ergo belli tempus. Externum ſuperaſti? Quid ſi in civili, ac domeſtico ſuccumberes? Hęc ſedaſti? Adhuc reſtat trux magìs, ac verè inteſtinum. Quid hoc? Inſcitiam, vitia, perturbationes hoſtes quiſque habet. Nullus otio major, quod belli dux. A Pallade mutuatus arma ſapientiam quære, diſciplinis, & artibus incumbe, te ipſum exercitationibus auge. His utere ſinè periculo, ut vel pericula vites, vel ſuperes.

MVNVS PROPRIVM. Alteri non cedendum. Lampas, & ſedes? Quid aliud, quàm dignitatis fulgor, & otium? In ſede ab opere ceſ-

L. 43. ſationem agnovit Pierius; Lampas Vulcani, ſeu

Eraſ. chil. 1. cen. 2. adag. 38. Promethei memorat ludum: Lampada geſtabant currentes; Feſſus à curſu deſiſtens cedebat: En

In Vran. *oleum*, ſeu fax *in ſede*. Hinc Herodotus. *Primus mandata ſecundo tradit, hic tertio, eáque in alium, atque alium pertranſeunt, quemadmodum apud Græcos fax.* En proprias partes in alio translatas. Age quod tuum eſt. Si munus à Deo, vel ab hominibus habes, cur alteri defers? Tibi datur, ut

De ling. lat. l. 4. exerceas: *Honos, ab onere*, ait Varro: Qui hoc ſuſti-

ſuſtinet, eo potitur. Rex, qui imperat, qui regit, non qui coronatur: Nil tibi reſtat, niſi nomen. Vtilitatem percipis? Quo titulo, ſi officio non fungeris? Nam tibi credita dignitas? Si tibi, non alteri. Tibi, ut agas, non ut nundineris. Emolumentum à moliri, quod eſt operari. Dein ſi te ipſum, & gradum negligis, aliorum negotijs ſaltem conſule. Principem adit pauper, ut cauſa expediatur à Principe, non ut protrahatur à miniſtro; Qui interdum venalis, juſtus raro, ſæpe cunctabundus, elatus, difficilis. Huic etiam in levioribus obtemperat invitus, qui regnanti lubens obtemperaret in arduis.

PROBI OBIVRGATOR. *Quaſi facula juſtus, aut ſapiens ardet*. Tu nimiùm diligens cur eum derides, cur ſpernis? Phrygij fabulas, Epicteti enchiridion, Horatij carmina culpare nequis, faciem, crura, oculum culpas. Philoſophiâ, moribus, ac ſtrenuitate poſthabitis, tu Socratem ſimum, Annibalem luſcum, monoculum Philippum increpas. Age de faculâ, non de ſede. Lucernâ uteris? Cum Diogene quere hominem, qui verè animus, cujus in lumine hjeroglyphicum, non corpus lampadæ ſedem. Illud moralis repete; *In deformi corpuſculo formoſus animus*. Morati, ac ſapientis viri tu viſcera ſcrutaris; Exquiris *nodum in ſcirpo*: Severitatis juſtitiam, imprudentiæ veritatem, ſtultitiæ innocentiam, modeſtiam

Eccli. 48. n. 1. Rhod. l. 15. c. 26. Macrob. Sat. l. 1. c. 11. & Horat. Sat. 1. Plat. in Theæt. Juvenal. ſat. 10. & Plutar. in paralel. Laert. de Cynic. & Plat. in Alcib. Pier. l. 46. Senec. ep. 66. Eraſm. chil. 2 cen. 4. ad 76.

deſtiam ruſticitatis ream citas: Odyſſeam, & Iliadem negligis, ranarum, murium, aranearum, gruúmque certamina derides; Ovidij cætera prætermittis, amandi artem accuſas. Præclara, & innumera gerat Ageſilaus; Tu in arundine cum pueris equitantem indicas. De Architæ doctrinâ, cubo, columbâ nihil ais; Crepitaculum tantùm commemoras. Aphricanum cum Iove de republicâ conſultantem præteris, conchas legentem objurgas. Catonis mores, & gravitatem diſſimulas, cum famulis ludentem arguis. En *lampas contempta*, de quâ Iob. Olei ſummum optimum ex Plutarcho: At imo etiam ſplendet lychnus. Et in exiguis magna exercentur, ac dignoſcuntur ingenia. Sic à ſerijs ad ludicra ſe transferre nîl aliud, quàm ludicris ad ſeria parari. Ideò

* Plutar. in Ageſil. Arch. l. 12. c. 6. Diog. in Archit. & Gell. l. 10. c. 12. & l. 7. c. 1. Cic. l. de orat. 2. & Val. Max. l. 8. c. 8. Iob. c. 12. n. 5. Symp. 7. qu. 3.

Nec ſemper rigidos arcus intendit Apollo.

Philom. muſ n. 19.

FAMÆ STVDIVM; Virtute ſectandum. *Oleum effuſum nomen tuum*. En nominis claritatem, in lychno apud Pierium, hîc in oleo Palladi, hoc eſt virtuti ſacro. At

Cant. c. 1. n. 3. L. 46.

Major famæ ſitis eſt, quàm
Virtutis,

Iuvenal. ſat. 10.

ajebat ille. Oleum qui ponit in ſede, famam vel contemnit, vel in deſidiâ ſtatuit. Stultum utrunque. Laborum, ac ſudorum teſtes fuerunt celebratiſſimæ Demoſthenis, Ariſtophanis, Cleantis, Epicteti lucernæ. Tu ſedentes facis, dum eis

otioſè

otioſè magìs, quàm ſplendidè abuteris. Quam gloriam indè ſperas? Cum luminibus acta junge, non cum ſede lumina: Immo lumina operationibus accende, nec pigritiâ extinguas. Fama non ſedendo, ſed eundo creſcit; Eam ſub lanceæ formâ poſuit in Alexandri manu Liſippus: Indè operationis filiam noſce. Ità ſedi gloriæ ſtudium adverſatur, ut eo expergefactus, & in ipſo cubili, fateretur, ſequieſcere nunquam potuiſſe, Themiſtocles.

Verg. Aen. 4.

Pier. l. 42.

Plutar. in Themiſt.

A GAL-

A GALLO CANDIDO ABSTINE.

Symb. XVIII.

Var. Lect.

Albo gallo ne manum admoliaris. Eraſm. *Abſtine*. Ambr. in Laert. *Album ne edas*. Volf. & Poſt. in Svid. *Gallum nutrias*. Ficin. & Pier. *Alite, ne autem occidito*. Arcer. in Iambl. *Ne tamen ſacrifices*. Arcer. & Scutell. ibi, Ficin. & Gyrald. *Albam gallinam*. Vulter. in Aelian.

Int. Var.

DE AVE NOTA: PURITATE: SALUTE: CORRUPTIBILI: MENTE: MILITIBUS, GLORIOSIS, STOLIDIS, ET AMANTIBUS: CONCIONATORE: SYNTERESI.

AVIS. Hanc inſpiciunt quamplurimi: Sed non ſymbolicè. Ideò forſan ab alijs, Eraſmo excepto, ſe hoc tanquam ſymbolum haud inveniſſe teſtatur Arcerius: Verùm ſi ab autore ſuo id habuit, quæ dubitationis cauſa? Non me latet, quod de Pythagoræ, ac ſectatorum ejus in gallum obſervantiâ traditur. Quod, datâ metempſychoſi, & cæteris animantibus commune. Hinc ſatyricus Luciani Gallus Pythagoram ſe jactat. Sed de ave interpretationem tueri quis poſſet? Samius tum eſui, tum ſacrificio permiſit;

In caſtig. in Iambl.

Iambl. de vit. Pyth. c. 28. Plutar. ſymp. l. 4. q. 5. Rhod. l. 19. c. 7. Luc. in Gal.

Quod

Quod ex Diogene, Iamblico, Svidâ, & alijs. Non igitur de albo gallo. Sed ne aliorum de hoc documenta prætereantur, ea leviter hîc attingere, libeat. Puritatem interim quanti faciendam percipiat quiſque. Si venerabilis in plumâ candor, quantò magìs in corde? Si in alite, quid in homine?

Diog. in Pyth. lib. in vit. Pyth. c. 28. S. d. port. Alex ab Alex. l. 3. c. 12. & Gyral. de ſymb.

Ne occidas; Nam gallinacea ſpecies alioquin conſervari nequiret: *Georg. Venet. tom. 5. probl. 444.*

Hócne inter abſtruſa? Quis negaret? Quis longe à ſymbolis diſtare, non fateretur? De ſolâne galli ſpecie ſolicitus Pythagoras? Nullum ex animalibus injuriâ voluit, affici. Quid ex hoc? Iamblici verba ſubdo; *Quantò magìs de ijs, qui communionem habent animæ, quæ ejuſdem eſt generis?* Nec inhumani deſunt, qui ſævientes in hominem, integram familiam, uſque ad lactantes, delent: Qui totam civitatem unicâ cervice detruncatam cupiunt: Qui leviſſimis ex cauſis ultro neci phalanges innumeras exhibent. Prô ſtultam feritatem! Mortalem non ſat eſt, naſci virum: Studium, laborem, theſauros impendimus, ut naturam in hoc arte juvemus, excitemus, efferemus,

De vit. Pyth. c. 28.

Sveton. in Calig.

Nam Soli, & Lunæ ſacer gallus. *Pyth. in Symb. ap. Ficin. & Iambl. protr. c. 21. Aut* Iovi & Lunæ *cum Thuil. & Gyrald. de Symb.* Menſi *Ambroſ. in Diog.*

Iupiter idem, ac Sol, menſis, ac Luna, à quâ

menſes: Vtrunque ex Macrobio. Soli etiam gallum dicatum ſcripſerunt Chæremon, & Porphyrius. De Lunâ præter Pythagoram, nullum habeo; Niſi de nocte Ovidium. Exoriênte quidem Lunà eum exultantem retulit Ælianus. Profectò inter munera Numinibus oblata eum recenſuit Ariſtotiles. Quid verò? *Ne edas, ne ſacrifices?* Nil mirum: Et Britannis gallinam in cœnis apponere, ac Dijs offerre vetitum. Sed quoniam gallus Cælitibus dicatus, arcendus ab ara? Ideò, potius dixerim, ſacrificandus? *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Meam hìc fateor inſcitiam. Si avem conſidero, Nocti, Laribus, Marti, Mineruæ, Mercurio, & Aeſculapio, cui dicabatur, immolatam invenio. Si albedinem, hæc ità Dijs grata, ut ex agro Faliſco albæ captarentur victimæ. Quo pacto contrarietati occurrendum? Dicam, quod ſentio. Deo jam ſacra ne Deo immoles: Id eſſet reſtituere, non offerre, non dicare. A corde ſit ſacrificium, non à lege. Ne debitionem alieno pendas ære; Officium ne oſtentês pro beneficio; Ne vendas debitum. Audi tu, qui penſionem, qui mercedem non ſolvis, niſi fruſtra decies rogatus; Niſì fori diſpendio carè emptam. A præmio donum diſtingue. Audi, qui famuli aſſiduitatem, ac fidem tenui, & ſæpe inutili gratiâ remuneras. Ideò ceu ſolemniter litans, liberalitatem jactas? Deſi-

ne.

Satur. l. 1. c. 24. & in ſomn. Scip. l. 2. c. 11.
ap. Pier. l. 24.
l. Faſtor.
De hiſt. anim. l. 4. c. 29.
De hiſt. anim. l. 9. c. 8.
Alex. ab Alex. l. 3. c. 12.
Matth. c. 22. n. 21.
Ovid. faſt. Juvenal. ſat. 13. Plutar. de init. uac. in Pyr. Gyral. de Dys Synt. 9. Nat. Com. myth. l. 4. c. 11.
Plin. l. 2. c. 103.

ne : Auariſſimus de eo, quod ſuum eſt, quid minimum illi reddis. *De te largitor puer*, ajebat ille. Terent. Adelph. Act. 5. ſc. 8.

Amplius te alloquor, cui ſenſus Numen. A Cryſippo edoctus album gallum, tanquam ſuaviſſimum, exquiris? Abſtine. *Soli enim, ac Lunæ dicatur*. Quæ Deo ſacra, ipſe proprijs ſenſibus ne ſacrifices. *Neſas eſt*, ajebat Pythagoras, *Dijs eadem, ac hominibus apponi, ſervis, ac liberis*. An potius quoniam ex eodem verbo græco utrunque habet Arcerius, non *ne ſacrifices*, uerùm *ne occidas* legendum? Hoc eſt, *ne manum admoliaris* cum Eraſmo, ne *edas* cum Volfij, ac Porti Svidâ? Hinc eorum pateat culpa, qui vel in ea, quæ ad Deum, aut Eccleſiam ſpectant, iniquè ſæviunt, vel ijs indignè crapulantur. Athen. l. 9. c. 4.

Nam menſi ſacer, utpote horarum nuntius. *Laert. in Pyth. &* *Eraſm. de Symb.* Indicat tempus, *addit Iambl. in vit. Pyth c. 18.*

Quod tempori ſacrum ſervandum? Eo magìs tempus ipſum. Hoc verò ut prætereat, ſede immobilis, ac ludibundus hæres: Tax illis, & aleà dilapidas, perdis, acceleras. Pejus; Eo impijs operibus abuteris. Gallum Soli, ac Lunæ ſacrum ſic otio, ſic vitio ſacrificas.

Nam Gallus eſt ſupplex horarum nuntius. *Laert. Ambr. in Pyth.* Menſis ſupplicator. *Iambl. Arcer. de vit. Pyth.*

Quid hoc? Suppléxne pro imbelli, quem nefas lædere? Sic apud Flaccum *imbellis oliva*, quæ Statio *ſupplex*. Ità precationem tanquam imbe- Argon l. 5. Teb. l. 2. & 12.

 cilli-

In Verg. Aen.8. cillitatis argumentum, notat Servius: At hoc potius de cuniculo aſſerendum. Gallus Martis pullus maximè animoſus, & pugnax leonem ipſum terret; Præcipuè albus. Diſce hinc: Sæpe imbelles, qui fortes aut videntur, aut ſe jactant. Quamplurimi *domi pugnant more galli*: Extrà criſtatam etiam gerunt galeam, ſed calcaria pedibus addunt. Verùm à cortice ad medullam penetremus.

Ariſtoph. in aub & Plutar de inv & od. D. Ambr. in Hexam. l. 6 c 4. Eraſm chil. 4 cen. 8. ad 75.

PVRITAS. Ab albâ gallinâ abſtinendum; Incertum enim eſt, an ſit pura. *Aelian. var. hiſt. l. 4. c 7.*

Hinc ne credas externis. Album non ſemper, quod album. Subſtantiam, non accidens, conſidera. Quot *in veſtimentis ovium ſunt lupi rapaces?* In adulatione, in pulchritudine, in utilitate ſirenes habes? Vliſſis mutuare ceram: Non ſomnum, ſed mortem averte. Dein externorum in curâ ne aquieſcas. Purpurâ, & auro filium veſtis? Quis interiori nuditati virtutum parabit habitus? Faciem tergis? Non ideò formoſus. Veſtem induis candidam? Non ideò purus. Vera in animo forma, vera puritas. Poſtremò ab impuris abſtine ſemper. Simile ſi gaudet ſimili, cave, ne ità propriam indices impuritatem. Quid vitiorum impurius labe? Tu verò cur famulo iraſceris? Nam calcei extremitatem cœno parum infeſtam neglexit? Tecum potius iraſcere; Qui non pedem, ſed animam immundiſſimis vitiorum

Matth c. 7. n 15. Odyſſ. l. 12. Ariſt. ſect. 10. probl. 52.

ſor-

ſordibus, nedum negligis, verùm & vis inquinatam.

SALVS. Cujuſque ſaluti puriſſimè favendum. *Plutar. de prac. Pyth. int. ap. Gyral. tom. 2.*

Gallus in Aeſculapij manu ſalutis exhibeat hieroglyphicum: Hæc nutrienda; Non ſatietas, non libido, non morbus. *Alito* quidem, *non autem occidito*. Síque corporis favendum ſaluti, magìs animæ, cui duriores imminent infirmitates. *Cujuſque ſaluti*: Non enim tantùm critico pharmaco aliena curanda, ſed & propria. *Puriſsimè*: Non odio, non invidiâ, non ſimulatione, ſed charitate, ac ingenuitate duce. Plutar. de Pyth. orac. Maxim. Tyr. ser. 41.

CORRVPTIBILIA. A Philoſopho haud negligenda, ut perfectè univerſi contemplationem aſſequatur. *Iambl. protr. c. 21.*

Hæc interpretatio, ſi eſt, mihi ſanè magìs ænigma, quàm ſymbolum. Hæſitat Scutellius; Ac nî fallor, Davus potiùs, quàm Oedipus, longè diſcedit ab oraculo, dum notat in margine, *Gallum enutri, igniculos mentis ale*. Sanè claris verbis corporea, & corruptibilia ex ſymbolo eſſe alenda, vult Iamblicus: Non igitur de mente. Ne ſileam penitus, hoc tantum dicam, vaticinium potius, quam explanationem tentans. Petebat Iulia, utrum eſſet marem paritura. Naſcens gallus Tiberij portêndit ſexum, qui ſpectat ad corpus. Quis prohibet, quin gallus hîc pro corpore ſumatur? Cùm ſapiens univerſi quærat naturam, Terent. in Andr. Art. Niph l. 1. de augur. & Plin. l. 12. c. 11.

ram, nihil ab eo prætermittendum: Hinc Ariſtotiles, *philoſophi eſt de omnibus ſpeculari*. Quid enim tam vile, parvi ſit pretij, ſit corruptioni obnoxium, cui luminis tantum non inſit, vel artis, vel naturæ, quantum pro viatico ſufficiat philoſophanti? Gallus abjectus ales valeat ſolùm *in ſuo ſterquilinio*. En corporeum, periturum, & vile. *Soli, & Lunæ ſacer?* En lumina. Hinc moralitatem diſco; Nedum animum, ſed corpus etiam erudire debeo. Ità edocti à magiſtro Pythagorici curſu, haltere, pilâ, cæteríſque gymnaſticis exercebantur: Hoc erat, gallum alere. Qui otio torpere, ſinit, non alit, occidit. Inſuper leue ità nihil, in quo cuncta ſpernenda reperias. Niſì aliud, eſſe à naturâ, & à Deo, cogita. E vilioribus etiam vermiculis pharmacopolæ medicamina, eſcam deſumunt hamiotæ. Quid humilius cinere? Lintea verò mundat. Quid fimo ſordidius? Pretio tamen ad agrorum fœcunditatem comparatur. Ipſa

Metaph. l. 4. tex. 1. — Eraſ. chil. 4. cen. 4 ad. 25. — Iambl. de vit. Pyth. c. 21. — Plin. l. 30. c. 14.

uirtus ſe minoribus inſerit
Perſæpe.

Philom. Pomp. act. 2. ſc. 2

MENS. Naturalium, ac divinorum contemplationis ambroſiâ eam debemus nutrire. *Pier. l. 24. Pic. Mir. ap. Gyral. Farr. in ſept. & alij.*

Gallus pro mente; Vnde ille
Perſica avis mens.

Acchil. Bocch. ſimb. 54

Hìc verò id nonnulli ex teſtamento Socratis depro-

promunt. Malè, ut puto. *Aeſculapio gallum debemus*, voce protulit extremâ: Sed ſi de mente, ad quid addidit, *quem reddite, neque negligatis?* Cujus erat Socratis animam Deo reddere? Cliti? Debebátne hic, veneni præveniens vim, jugulare magiſtrum? De gallo ipſo loquebatur profectò; Quem forſan medico Numini pro ſanitate voverat: Vel hanc ſe, à vitæ hujus ægritudinibus jam liber, adeptum cenſuit; Vel vitam etiam deſerens, pro voto jam facto ſe adhuc teneri, fatebatur. Hinc diſce mortalis: Qui ut Socrates moritur, è vitæ morbis evadit. Si ut ille mori cupis, ut ille, quoad mores, vive: Sícque vive, ut etiam in morte, nedum ſanitatem, ſed ſalutem, ac vitam aſſequaris. Dein pro libertate, pro filio vota reiteraſti; Adhuc ſervis, eum amittis, hæc negligis. Ingrate: Votum ſolve. Aut neget, aut concedat, imperſcrutabilis Deus tibi favet ſemper. Ad gallum redeo. Proclus angelos in galli effigie conſideret: Cum Pierio tantùm ex leonis formidine, ſeu potius reverentiâ, in ave quid divinum arguo. Non ergo mirum, ſi pro mente accipitur, quâ, extra Deum, nil divinum magìs: Ambroſiâ igitur dignè paſcendus. Quis eam parabit? Sol, qui divinarum, Luna, quæ naturalium contemplationem, ex ipſo etiam Pythagorâ, indicat. Illis ideò gallum voluit ſacrum. Te hîc pudeat, qui mentis divini-

Plat. in Phedr.

De mag. hierogl. l. 1.

Triſm. Pim. c. 10. & 12. & Macr. ſat. l. 1. c. 19.

Pier. l. 44.

tatem

tatem improprio cibo alis, quinimo venenato necas.

Mentem ſenſualitatibus inſervire nefas, quod idem, ac occidi, *Farr. in Septen.*

Quid agis tu, ò ſenſualitatis mancipium? Totam mentem occupas, ut oculis, auribus, gulæ delitias pares. Quid agis? Ridicula Saturni, Mercuriíque renovas convivia, quibus heri ſervis famulabantur. Expers artis ille pictor, qui penicillo inſervit potius, quàm dominetur. Senſus, tanquam notionum janitores, ut cum Philone loquar, miniſtrent menti, non illis hæc. Libertas mentis propria: Serviat; Non amplius mens: Tu ergo, qui ſervituti damnas, verè occidis, verè demens.

Athen. dip. l. 14. c. 17.

De ſomn.

MILITES, GLORIOSI, STOLIDI, ET AMANTES, Admittendi quidem, ſed non ad ſacra, & arcana. *Gyrald. de Symb. Pyth.*

Gallus Martis ales, Temiſtocli fortitudinis exemplar militem ſignificet. Ex Anterotis arâ, & ob Venerem cucuriens, denotet amantem. Criſtatus, ac elatús canens, regnúmque in quacunque domo exercens, indicet glorioſum. Quid cum ſtolidis habet, ſi de ipſo Iob, *quis dedit gallo intelligentiam?* Hic ſtoliditatis, ac ſtultitiæ ſpecies quaſdam ſuperbiam, & amorem vocaret Menander, militiam Antiphanes. De ijs age. In gallo excubiarum hieroglyphico milles ad cuſto-

Ariſtoph, in auib. & Aelian. var. hiſt. l. 2. c. 28. Pauſan. in Att. Eco. Nol. ap. Eraſm chil. 3. cen 7 ad. 66. Plin. l. 10. c. 21. Iob 38. n. 36 Stob ſer. 30. & 42. & 51. Pier. l. 24

diam

diam urbium admittatur. Ad quid glorioſus, & amans? Hic fortaſſe, nam in propagandâ ſobole reipublicæ valde prodeſt: Ille, quia quidquid provenit à naturâ, impiè deijcitur. At cur *in arcanis*, *& ſacris* non recipiendi? Abſit ſuperbus: In jactatore, qui ad inſtar galli ad Solem canit, periclitaretur arcanum; Soláque in ſacris requiritur humilitas. Cur amans? Illud audio; In Symb. 3. *Nam infidus eſt amor, & peſſimum quenque animum inhabitare ſolet.* Stob. ſer. 43. Verùm ſilere amantis proprium; Sacraéque Cupidini non defuerunt aræ. Cur miles? En Lucanum;

Nulla fides, pietáſque viris, qui caſtra ſequuntur. De bell. civ. 10.

Militibus tamen arcana dat nomina, & ſigna princeps; Illíſque urbis mœnia cuſtodiuntur, quæ ſacra. Aetatis abuſum ità corripi à ſymbolo crederem potius: Plutarch. quæſt. Rom. 26. Amantes inter ſacra non aſciſcendi; Nam incongruum nimis eſt in ſacrarijs terrenos exercere amores: Inter abdita; Vbi enim fœmina, ibi loquacitas. Milites ab arcanis repellantur: Hoc eſt, contentiones domi haud nutriendæ. Amplius, bellum indicere, ne ſecretiorum affectuum, ſed apertæ juſtitiæ ſit munus. A ſacris; Quoniam illis violentiam inferre nefas; Ea petens ne precibus, ne donis, ne autoritate obſideat. Inſuper non ſicariorum ſatellitio, ſed demiſsâ pietate accedendum ad divina: Vsûs aut lêgis non impellat vis; Arbitrij excitet libertas.

CONCIONATOR. Ab eo abſtine, qui ad inſtar galli, divinum tibi prænuntiat Solem. *Nonnull. ap. Gyral. de Symb.*

Pier. l. 24. Be. in proverb. 30. Hie. in I. b. 38. De ſacris doctoribus, & prophetis hoc idem notant Valerianus, Beda, Hieronymus & alij. A gallo non abſtines tu, qui de concionatoris elocutione, geſtu, vitâ malè agis. A candido me contineo, ais. At viſcera ſcrutari tuum non eſt; Plumam, & vocem conſidera. Candor inſpiciendus in gallo; Id eſt in eo, ut concionatore, non ut homine. Gallum inſuper voras tu, qui temerè conſilia deglutis, non mandis. *Ale*. Attentio, emendatio ſit eſca. Non aures tantum, ſed animos appetit. Eum denique *ne ſacrifices*. Vicem Sacerdotis gerere illius, victimæ tuum eſt.

SYNTERESIS. Fovenda & excitanda. *Georg. Venet. tom. 5. prob. 444.*

Hujus conſilij uſum volumus? Extra muros ne quæramus. En Petrus, & Iudas: Audit uterque gallum; Hoc eſt à conſcientiâ excitatur, & Matth. c. 26. n. 75. angitur. Alter dum foras exit, quaſi gallum ſequitur, & plorat: Vocem internam deſpiciens C. 17. n. 4. Plat. in alter à ſe gallum laqueo extrudit, ſcilicet ſynte- Phæd. & Acchil. reſim, & animam. Ille vitam, hic mortem aſſe- Bocc. Symb. 54. quitur.

Meæ

Meæ Conieɛt.

DE MATVTINO TEMPORE: CONSILIO: ASTROLOGO: BELLO, ET VICTORIA: MORTVIS: SACRIS: HYPOCRITA IACTATORE.

TEMPVS MATVTINVM. Immortalitati dicandum. Gallus adoleſcens jam ſomno in Martem peccavit: Hinc quaſi pythagoreâ traſmigratione avis factus garrulus, excubiarum anteſignanus alieno incommodo proprij erroris luit pœnam: Síque tunc mutus, ac dormitans lucis autorem excitavit, nunc mutos, ac dormientes antelucanus expergefacit, Lucian. in Call.

Auroram clarâ conſuetus voce vocare. Laert. l. 4.

Hinc apud Mercurij ſimulacrum vigilantiæ in Aeſculapij manu matutini temporis exhibet ſignum. In albo igitur gallo albeſcentem habes auroram. *Ne mactes:* Quod eſt ab interitu eam exime. Quid hoc, ſi pene orta occidit? Claris vigilijs, dignis operibus, ac ſtudijs immortalem redde. Quid aliud pegaſus virtutis, & famæ hieroglyphicum auroræ datus? Interim cave tu, qui diluculo amoribus, graſſationibus, cæteríſque vigilas. Gallum ità necas. Pegaſum auroræ ſic præbes, ut ad mortem citius volet; Ac potius, quàm tuos ad perennitatem evehat dies. Quod de aurorâ, diéque dictum, de juventute, ac vitâ repete. Cæl. Aug. Cur. hierogl. l. 1. Plutarch. de Pyth. orat. Pier. l. 4. & Lycophr. in Caſſ.

CONSILIVM. In gallicinio conſilij noſce pretium; Alióque ſenſu illud lege,

Horat. l. 2. ſat. 2. *Sub galli cantu conſultor vbi hoſtia pulſat.*

Gnomonibus horarijs nondum repertis, animatum dedit horologium natura: Hoc eſt ad nos è Ap. A-tlen. *lecto* cum ethymologicis, cum Plinio *in opera ex-* Deice l. 9 Plin. l. 10. c. 21. *citandos* conſiliarium: Quod ſacrum quid; Nam Eraſ. chil. *res ſacra conſultor*: Admittendus ideò. Tu verò 2. cen. 1. ad 47. quid præſtas? Dic, ſi corriperis, ad inſtar Ger- Plutar. de inu. & od. manici, galli vocem fere nequis: Ne corripia- Eraſ. chil. 3 cen 3. ris, Theſſalonicum adis vicum, ubi gallus tacet. ad. 47. Plin. l. 29. Vel aureum, ſi alij è ſarmentis, collo addis vin- c. 4. culum, ut obmuteſcat. *Ale; Ne occidas.* Troe- Pauſan. in Lacon. zeniorum more, quot vindemiæ, aut potius ebrietati, album gallum diſcerptum litant? Sic Cli- Plutar. in Alex. tum Alexander. Quot cum Sybarritis arcent à civitate, ne excitentur à ſomno? En Dionis exi- Athen. l. 12. c 6. lium, Quot aſſentatorem, ſannionem, ſicarium, Plutarch. in Dion. ganeonem, ſimiam, canem potius alunt? Ac nedum ipſo dormitant gallicinio, ſed gallum occî- Sveton. in Neron. dunt? En Senecæ interitum.

ASTROLOGVS. Sidera gallus noſcit, ait Pli- Plin. l. 10 c. 21. nius; Victoriam præſagit, fabulantur aruſpices. Gallicinium inſuper avîs cum ſidereo gallo col- Xech. in phyſic. loquium putantes delirant Maumethani. Pro aſtrologo igitur gallum ſummere, quid prohibet? Quoties uterque ſolem pollicetur mane, qui nec pomeridianus apparet? Candidum, ſi quis ob diffi-

difficiles doctrinæ caligines datur, amplexare: At *ne ſacrifices*. Ne arâ, ne fide, uſque ad religionem, dignum cenſeas. Vltra, ſupráque ipſum Deus eſt; A quo & aſtra, & aſtrologus, & humanæ voluntatis libertas. De futuris agit ille, hic futura. Ea prædicit aliquando; Nunquam facit. Divinat interdum; Non ideò divinus. Eorum unicus autor Altiſſimus, qui à nullo pendet, à quo pendent omnia. Ex naturali planetarum motu eclypſim prænuntiet ille; Hic Solem aut morari, aut retrocedere jubeat, jam mentitur ephemèris. Ioſu. c. 10. n 12. & 4. Reg. c 20. n. 11.

BELLVM, ET VICTORIA. Gallus utriuſque ſignum. Pierius de hoc multa. Sit albus; Hoc eſt innocens pugna: Citra ſanguinem, ſi fas eſt, vince: Hoc te in Antonij Pij nummis doceant galli. Verùm *ne edas*. Væ illis, qui ſolis nutriuntur contentionibus. *Ne ſacrifices*. Vbi de ſacris, ac divinis agitur, non pugnandum: Vicit ſolum, qui fide cedit. Inſuper templum petis? Accedis ad aram? Extra parietes, immo extra cor linque odium; Nec *turba more ſatelitij* tuo *lateri ad-vigilet*, nec ſint L. 24. Ibid. Philomat. n. 13.

numerus, junctaéque umbone phalanges. Iuvenal. ſat 2.

Si Deum adis, jam tutus eris.

MORTVI. Gallum ſacrificantes, additis characteribus, Cecropis animam in leonem tranſmigratam evocari, putabant: Scitè illorum deridet ſtul-

vict. l. 1. ſtultitiam Euxitheus. Nos gemmam eliciamus
è cœno. *Gallum ne ſacrifices*. Ne Cecropem re-
vocare, tentes. Qualis ille? Biformis. Cur?
Tzez. in Caſſ. Lic. Nam duplicis naturæ, aut linguæ, ajunt nonnul-
Euſeb. in præf. clero li: Subdolum videlicet, ac mendacem fuge. Nam
bi. & Iuſtin. l. 2. conjugio marem, ac fœminam junxit, alij: Abſit
Hygin. fab 170 ille, Danaidum ſubderent viri. Nam tyrannus
plutar. de ſer. num. ab initio humanus, poſtmodo rex imperavit, alij.
pun. Te viventem corrige; Ad pœnitentiam poſt mor-
Ibid. tem non regredimur. Theſpeſius redivivus ex-
tra fabulam non datur. An potius dicendum mor-
tuorum pacem non perturbandam, ſed quæren-
dam? Profectò. Perturbas tu quodammodo, qui
legata non ſolvis; Qui filiorum voras hæredita-
tem; Qui patris virtutes negligis, vitia renovas.
Quære precibus, quære ſuffragijs.

SACRA; Quibus indecora non miſcenda.
Gallus extra fores ad vigilantiam, ſeu potius ad
pænitentiam concitandam,

Embl. 40. & ibid. Thuil. *Turribus in ſacris*
cum Alciato pone; At ne ſacrifices. *Vbi enim ad
aram ſine fœminis munerarij, dicatique verſantur
galli, eum qui nuper dicatus acceſſit, ſubigunt omnes.*
De hiſt. anim. l. 9. c. 8. Ità refert Ariſtotiles. Quid turpius? *Gallum ſi
gallus, abſente, gallinâ, conſcendat, comburitur vi-
vus, aruſpice id grave, atróxque oſtentum pronun-*
In Gryll. *tiante*. Sic Plutarchus: Ità oſtentum verentur
potius mortales, quàm venerentur aram? Augu-

rem

rem colunt magìs, quàm ſacerdotem? A nobis hoc Deus avertat. Quid verò? Deſúntne adhuc impij, qui templum ingreſſi, oculis, ac deſiderio delirantes, nefandum galli renovant ſacrificium? Vtinam mentiar.

HYPOCRITA IACTATOR. In ſacrificijs ad quid gallum exhibes? Apud Græcos ille vel avis, vel tibia; Hinc illud, *Gallus Idæus Achivorum laudes canebat.* (Athen. l. 4. c. vlt.) In ſacris vel cum ave jam (Plin. l. 10. c. 21.) victore, vel *tibijs*, ut dicitur, *apertis*, cur proprium canis opus? (Eraſm. chil. 1. cen. 6. ad. 96.) Pietatem jactantiâ ſic deles. Ità de te veriùs illud dici poterit, *ſtatim, ac tibiam inflavit*, pietas *avolat*; (l. 8. c. 5. Dalec.) Ne *mens* cum Athenæo legam. Quis prohibet? Stulta oſtentatio à ſapientiâ ità diſſidet, ut Minerva tibiam, ne deformaretur, abijceret; (Hyg. fab. 165. Fulg. l. 3.) Hinc ab Alcibiade Athenienſes edocti. Amplius tibiæ non me latet in ſacris uſus: (Gell. noc. At. l. 15. c. 17.) Coronabantur etiam victimæ. Tibijs, & coronis utere. (Rhod. l. 9. c. 3.) Pyram, faces, cultrum, (Gyral. ſynt. 17.) bipennem, vannum, verva, thus, caniſtra, molam, ſimpulum, guturnia, lebetes para. Vbi taurus? Acceſſorijs tantùm non perficitur ſacrum. Templum ingrederis, genua flectis, hymnos canis, linum, aut impluviam induis? Egregiè. Ad uſum, ad decorem, ad oſtentationem cuncta. Nil aliud? Sic amens gallum ſacrificas. Non canens gallus, verùm animus humilis, integer, indiviſus, & purus victimæ gerat vicem.

CHOE-

CHOENICI NE INSIDEAS.

Symb. XIX.

Var. Lect.

In chœnice ne ſedeto. Gyral. *Super chœnicem, vel modium*. Volf. in Cyril. *Chœnici*. Reuchl. *Modio*. Svid. Volf. *Supra modio*. Ficin. *Supra ſextarium*. Polit. *Ne conſideas ſuper ſemodio*. Nat. Com. in Athen.

Int. Var.

DE MENSVRIS: VICTV: OTIO: FVTVRIS: VITA: MORTE: ANIMO: RATIONE.

MENSVRÆ. Non ſunt premendæ, aut occultandæ: Sed palam his utendum. *Georg. Venet. tom. 5. probl.459.*

IN *chœnicis* verbo nonnulli romanarum, græcarúmque menſurarum nuncupationes, & ordines mirè confundunt. Deficiunt in ſextario, qui ſemichœnicem tantum continet: Excedunt in ſemodio, qui chœnices quatuor capit: Magìs in modio, qui octo; Hoc eſt quartam unius demenſi partem. Hæſitant fortaſſe nihil habentes in Latio, quod huic verbo reſpondeat. Inexcuſabilis tamen Vallæ ſolertia, qui chœnicem, nedum in Herodoti tertio vertit in *ſemodium*, ſed in ſexto, ac ſeptimo chœnicem legens, *id eſt ſe-*

me-

modium, de proprio addit. Henricus Stephanus In theſ. tom. 4. ob ſcriptorum hæſitationem tutius cenſet, græcum retinere vocabulum; Sed poſtrema Herodoti loca ſilentio præterit. Solùm in tertio, ubi Valla *ſemodios binos* legit, *binos chœnices* ille notat, ſeu potius corrigit in margine. De hoc nihil in ſua editione Sylburgius. Magìs quàm de cæteris, de Portio, ac Volfio miror. Vbi Svidas, per chœnicem, quotidianum cibum notari, ait, *modium* pro chœnice habet alter, ut etiam Spondanus in Homero, alter *ſive modius eſt*, ſubdit. Quis Odyſſ. 19. neſcit modium non unius, at octo dierum victum, hoc eſt octo chœnices continere? Sed quid quid de hoc ſit, ad ſymbolum revertamur.

Menſuram premis? Non metiris, decipis. Eam tegis? Fraudem vel foves, vel indicas. Verùm ſi mála, cur agis? Si bóna, cur cælas? Probas operationes alter oſtentat, operit alter: Malus uterque. Oſtentatione tamen occultatio pejor: Illa iactantem ſolum impium habet; Eos omnes hæc tolerat, quibus negat exemplum. Quid agendum? Iuſtum ſemper: Ità verò ut juſti menſura non oſtentetur, ſed pateat. *Cum eleemoſynam facis, ne tubâ canas*. Matth. c. 6. n. 2. At *nec ſub modio, lucernam ponas*; Sed *luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona*. Ibi. c. 5. n. 16 & 17.

VICTVS. Debemus proſpicere de neceſſario. *Plutar. de lib. educ.* Déque craſtino cogitare. *Bude. de .ſſ. l. 5. & Alcia. parerg.*

l.1. c.17. Ac imitari formicas futuri memores. *Heſſ. Scot. in coloq.* Nec non ſemper aliquid de præſenti menſâ in futuram relinquere. *Plutar. ſymp. 7. qu. 4.*

Ex his omnibus ab humano ſenſu manatum hoc ſymbolum, ac lêgi evangelicæ contrarium arguunt Budeus, Alciatus, & alij. Decipiuntur.
De Symb. Pyth. Non barbarorum, ut Beroaldus ait, ſed belluarum eſt, in diem vivere. Nónne ſacra inter ora-
Prouer. c. 6 n. 6. & 8. c. 30. n. 24. cula illud *vade ad formicam piger, quæ parat in æſtate cibum*; & ſapientiam diſce? En ſymboli documentum ab Heſſio. Nónne ſaturatâ jam tur-
Iohan. c 6 n. 12. bâ illud ex ore Domini, *colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant?* En interpretatio Plutarchi. Nec ità ſymbolo quiſquam illud putet ad-
Matth c 6. n. 34. verſari, *nolite ſoliciti eſſe in craſtinum:* Ibi enim ſolam *ſolicitudinem ſuperfluam* excludit Lyranus;
In Matth. 6. ap Godef. Tilm. alleg. *Futuræ gloriæ deſperationem* Hilarius; *Majorem temporalium, quàm cæleſtium* Petrus Ravennas. Ego divinæ providentiæ minimè diffidendum, adderem; *Scit enim pater veſter, quia his omnibus*
Matth ibi. n. 32. *indigetis*. Solicitudinem id prohibet; Non cogitationem, non prudentiam. In diem precamur, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie;* Si *quo-*
Luc. c. 11. n. 3. *tidianum* petimus, nónne & hodiernum, & craſtinum? Solicitum eſſe dedecet, precari oportet: Diffidentiæ illud, & ſuperfluitatis, hoc neceſſitatis, ac fidei ſignum.

De victu non ſemper cogitandum. *Gyráld. de Symb. Pyth.* So-

bric-

brietáſque ſectanda. *Ferdin. à Belued. in Symb. 3. c. 3.*

Dic tu obſodedale; Corpore ſuper chœnicem ſedens,

guſtus elementa per omnia quæris, Iuvenal. ſat. 11.

nec non à prouintijs remotioribus cupedia petens, & ſumptu peregrinaris, & animo: Dic, opſonia tibíne paras, an venena? Edíſne, ut vivas, an ut pereas? Mihi, ait ille,

in ſolo vivendi cauſa palato eſt. Ibi.

Vivo, ut edam. En idem prorſus. Vitæ metam in edacitate ponis. Qui, ut edat, vivit, ſanè dignus, cujus vita finem ſuum in eſu reperiat. Prępoſterè qui termino ad medium utitur, terminum nanciſcatur in medio.

Paraſiticum eſt, per inertiam cibum alienum ſectari: Sed oportet conſilium capere, ut de noſtro, & nobis aliquando vivamus. *Eraſ. de Symb. Pyth. & Pieri. hieroglyl. l. 56.*

Græcis cathizo, & ſedeo, & militaribus copijs obſideo ſignificat. Tu qui amici chœnicem Steph. in th. tom. 8. importunè obſides; Qui ejus es conſilij,

Vt bona cuncta putes, alienâ vivere quadrâ; Iuvenal. ſat 5.

Quale opus præſtas? *Gratíſne panem manducas ab aliquo?* Paul. ad Theſſal. 2. c. 3 n. 8. Sic alienâ quidem vivis, non tuâ. Ità ſuper chœnicem quieſcis. At, ſi plena, dum hæres illi, ſede uteris, non cibo: Si vacua, dum operis quis implebit? Thelemacum audi: *Otioſum non tolerabo, qui meam chœnicem guſtet;* Hom. Odyſ. l. 19. Ex

In Symb. Pyth. quo ſymbolum, cenſuit Roterodamus. *Nullus*,
A. Stob. ſer. 28. ajebat Euripides, *colligere victum ſine laboribus po-*
Geneſ. c. 3. n. 19. *teſt*. Quid mirum? *In ſudore vultus tui veſceris*
pane tuo. Sic panem petimus quotidianum; Sed
Luc. 11. n. 3. *noſtrum*, non alienum; *Ne ſimus, ut fures, verùm*
Savonar. exp. 1. *de noſtro labore vivamus*, notat quidam. Petens
Gen. l. c. 2. n. 15. abſque opere ſportulam jumento pejor: Dans necat hominem, cujus vita in operatione. Ità ſi
Hom. Odyſ. l. 19. nunquam non ignaviter ſedes, aliquando fortaſſe
à novo Telemaco alienus tibi cibus denegabitur. Si operoſus es, vel de tuo ſaltem quanvis
& alieno, & alteri vives; Vel eas parabis opes,
quibus nec alteri, nec alieno, ſed ſic vives de
tuo, & tibi, ut digniùs tandem vivere poſſis alteri.

OTIVM. Ignaviter non vivendum. *Cyril. in Iulia. l. 9.*

Deſidioſus, velut ſellâ, nedum chœnice, ſed
horologio, id eſt ipſâ motus, & quietis abutitur
Ariſt. phiſ. l. 4. tex. 112. menſurâ. Sic dum premit victum, vitam, ætatémque conterit. Stando jam voluit mori
Menout. apoph. l. 6. Turbo: Sedendo iners vivere mavult. Quid indè?
Adhuc inter mortuos viget ille; Inter vivos hic
Epiſt. 82. jam perijt. Nec mirum; Otium apud Senecam
eſt mors. At quidem mortuus, & ferians in quo
Ariſt. phiſ. l. 4. tex. 124. diſcrepant? Neutri motum metitur tempus, quietem utrique. In eo tantùm diſtant, quod tempus morienti eripitur, otioſus tempori ſe rapit,
Ille perditur à tempore, ab hoc tempus.

FV-

FVTVRA. Curanda. *Diog. in Pyth. & Suid.*

Qui præſens tantùm exquirit, ſtultus abſque fine operatur. Apud ſapientes futurum ſub ſpecie finis primum in intentione tenet locum; Ità ſi futuro inſervit præſens, quis famulum ſpectabit magìs, quàm herum? Anguſta nimis cura, ſi tantùm de præſenti: Hoc quid aliud, niſì *nunc* illud, quod cum aliud non ſit, præterquam præteriti, ac futuri terminus, & continuatio, proprij nihil habet? Parvulum ità, ut ſe nec puncto æquet; Hoc enim *permanet, recedit illud cum tempore.* Futurum potius ſpectandum, immenſa cujus ſpatia vergunt ad perpetuitatem. Quid autem? Futurum negligis? Ergo & præſens, quod futuri principium. Immo eo nunc, quo de præſenti cogitas, præſens ipſum jam præterit; Iam advenit, ſitque præſens futurum. Ratio ſic igitur de præſenti habenda, ut contemplatione futurum etiam, tanquam mox præſens, complectatur.

Ariſt. phiſ. l. 4. tex. 121. ibi. Tolet.

Ariſt. phiſ. l 8. tex. 11.

VITA. Secundùm hominem vivendum, non in feras, vel plantas abeundum. *Cæl. Rhod. l. 16. c. 17.*

Brutorum animalium, & plantarum eſt ſuper chœnicem ſedere. Illa paſcuis, hæc alenti ſolo hærent ſemper. Tu homo à terrâ diviſus, cur nihil, niſì terram conſideras? Ad cœlum à naturâ converſus, cur omnia, præter cœlum, ſpectas? Munitus ratione, cur te rationalem non oſtendis? Nedum chœnice, ſed otio in plantam, ſenſu abis

in

Pſalm. 31. n. 9. Iob c. 24. n. 20. & E-zech. c. 13. n. 4. 1. de ira. c. 2.

in belluam. *Nolite, fieri ſicut equus, & mulus:* Vel *quaſi lignum infructuoſum;* Aut vitis *igni datum.* Quid autem? In adjutorium mutuum Seneca hominem voluit genitum. Super chœnicem tu sédes, tibi tantùm vivens, ac petenti negas offitia. Vtinam in arborem, aut in feram potius abires: Laborem, cibum, cuſtodiam, uehicula, veſtes nobis vltro exhibent animalia: Cunctis arbor ipſa vel fructibus, vel lignis, vel umbrâ quaſi officioſa favet. Sunt plantæ, ac feræ tibi humanæ, tu homini hominem eſſe neſcis. Pejùs. Ea ipſa voluntatis, ac libertatis dignitas, quâ ſecundùm hominem tibi eſſet vivendum, vitio plantis, feríſque te facit deteriorem. Sic de te illud dicendum, quod de leone, ac Cæſare;

Philem. Muſ. n. 6.

Quàm mutat natura vices? Fit bellua Cæſar,
Et capit ingenium Cæſaris arte leo.

MORS. Tantùm non ſpectanda, quæ in præſentem diem accidunt, ſed expectandum craſtinum: Mors enim vitæ finis. *Byzant. ap. Athen. l. 10. c. 17.*

In hodierno victu quieſcis, nec de morte cogitas, ad quam, & quieſcendo, pennato gradu properas? Vera vitæ menſura non chœnix, non ſextarius, ſed tumulus. In hoc inſide, ſi conſultationis hieroglyphicum ſeſſio. Lapide ſolo ſepulchrali tenue vitæ filum fatali recidendum forfice, metitur mors. At chœnix quam vitam nutrit? Diurnam. Quid hoc? Brevem, mortalem.

Non

Non igitur in victu de vitâ ſolâ; ſed etiam de interitu cogita. Non tantùm, quo vivas, verùm & quomodo moriaris: Ideò & quomodo vivas. Quibus verò victum paras? Vt plurimum cadaveribns. Nec de morte cogitas? Morte aleris, & sédes?

ANIMVS. In corporis curâ non conſeneſcendum: Sed animus philoſophiâ nutriendus. *Iambl. protr. c. 21. & ibi Vulcan.*

Super chœnicem sédes? Hæc corporis cura, quod ſemper ſeneſcit, ſemper moritur. Quæ animi cujus perpetua juventus? Cuius certa immortalitas? Vel perfunctoria, vel nulla. Opiparè dummodo epuletur illud, jejunus eſuriat iſte. Surge. Animo ampliorem exquire menſuram. Non modium, non medimnum: Hæc nimis anguſta cum eſuriente non æquantur; De cujus magnitudine dictum, *Deus eſt in humano corpore hoſpitans;* Senec. ep. 31. De cujus fame, *naturâ omnis homo ſcire deſiderat.* Ariſtot. metaph. in princ. Iucundioribus ſtudijs animum, ais, alo: Poeſi, picturâ, muſicâ, venatu, piſcatione, latrunculis. Hæc bellaria, non dapes; Vel non alunt, vel ad necem. Replent, coinquinant potius, quàm nutriant. Animo ſola philoſophia vera chœnix: Ab hac proprium contemplationis hauriat alimentum. Verùm chœnicem dixi, & alimentum; Non ſedem, non ſomniferum, non venenum. Qui ſuper ſapientiæ humanæ chœnicem ſedet? Qui nihil credit, niſi quod natura docet; Cujus fidei men-

Iſai. 47. v. 10. ac ibi Lyman. menſura ſenſus; Cui diceres, *ſapientia tua decepit te*. Qui dormiunt? Quibus *contemplatio*, *dum actionibus abſtinet*, *inutilis*, ajebat Plutarchus: De lib. educ. *Dormierunt ſomnum ſuum*, *& nihil invenerunt in manibus ſuis*. Pſalm. 75. n. 6. Qui veneno inficiuntur? Qui ſapientiâ ipsâ utuntur ad pravitatem. Pſal. 1. n. 1. *In cathedrâ peſtilentiæ ſedent*: Pſal. 13. n. 3. Ac *venenum aſpidum ſub labijs eorum*. In Sophiſt. En Platonis conſilium; Diſciplinis alitur animus. Verùm caveat, ne ſophiſta decipiat velut faciunt, qui corporis epulas vendunt.

> Non ſedeat in corporeis animus: Verùm extollatur uſque ad intuitionem idealis mundi. *Fart. in ſepten.* Vſque ad Deum. *Ferd. à Belved. Symb. 3. c. 2.*

Sedere ita eſt animi naturæ contrarium, ut flammæ non aſcendere: Quidquid afferat Ariſtoteles, Plutar. de plac. phil. l. 4. per ſe cum Thalete, Pythagorâ, & Platone movetur ſemper animus, velut per ſe calet ignis. Quid mirum? Motus illius eſſentia, iſtius eſt calor: De hoc Macrobium, & Ficinum conſule. In ſomn. l. 2. c. 15 & 16. At nónne animus apud Philoſophum, ſedendo, fit melior? In Plat. Phæd. c. 5. Aliquando igitur non ſedet. Sedando potius, dixerim, perturbationum motus, Attamen ſedeat: Verùm in ſe ipſo agens. Non ità corpus. Hoc ſedet patiens, nam ſiſtitur à laſſitudine. Sedere in corpore, hoc eſt à corporeorum curâ ſiſti, animus dedignetur liber, indefeſſus, alas gerens, Deo natus. Plat. in Phæd. & Ficin. Aliter eum ciconiæ ſimilem diceret Pierius non in abiete, ſed Hierogl. l. 17. humi

humi ova deponenti. Corpus in humo, Deum, ſupernorúmque contemplationem in abiete conſidera. Quæ verò præcipua in te animi ſolicitudo, qui motus? Circa veſtes, peripetaſmata, equos, canes; In menſâ, in muliere, in horreo, in theſauro. Ità dum ſiſtitur ab his, jam ſedet in chœnice; Immo *ſedet cum vanitatis conſilio: Super immunda: In tenebris*. Veriùs *in ſterquilinio*; Surgat. *In forti*, vel *umbrâ olivæ*, hoc eſt in ſolo Deo *ſedens* veram, inconcuſſam, perpetuam nanciſcatur quietem. Qui aliunde quærit, ſtultus. A corpore quam ſperat? Nullam. Nec in morte, ſi tranſit in vermes, in cinerem. Lactantium conſulat. *Ità res ſe habet, ut quiſquis animam ſuam, cujus origo de cælo eſt, ad inferna, & ima proſtraverit, eò cadat, quò ſe ipſe dejecerit.*

Pſalm. 2. n. 4. Levit. c. 15. Iſai. 45. n. 8. Iob. 3. n. 8. Lyran. ſup. Geneſ. 49. De orig. err. l. 2. c. 19.

RATIO. Hæc vera rerum menſura deſidiâ non amittenda. *Pic. Mirand. in orat. ap. Gyrald.*

Propria homini chœnix ratio; Quâ non cibum, ſed cuncta metitur. Homini propriam dixi, eâ enim propriè vivit homo. Hac verò non vivit, abutitur, ſi deſidioſus ex menſurâ in ſcdem mutat. *Remittere*, inquit Muſonius, *animum, quaſi amittere eſt*. Pejus, prope dixerim, abuti. Qui amittit, bono privatur; Qui abutitur, bonum in malum vertit: Ratio igitur menſura ſit, non ſcamnum. Finem, locum, perſonam, rem metire, nec te locutum pœnitebit: Vires, difficultates,

A Gell. noct. l. 18. c. 2.

juſtitiam, nec opus tibi aggredieris impar: Facultates, familiam, viciſſitudines, nec nimio ſumptu in egeſtatem incides: Fortunæ varietatem, nec te obruent infortunia: Incommoda ſenectutis, & priuilegia, nec infirmitatem, ac lippitudinem accuſabis: Totum corpus, totam ætatem ut plurimùm ſanitate, ac fertilitate refertam, nec capitis languore, nec unius anni ſterilitate gravaberis: Vitæ noſtræ fragilitatem, nec ob amici funus nimiùm torqueberis.

Meæ Coniect.

DE MENSA: INGRATITUDINE: MESSE: IUDICIO: MALO: INSTABILIBUS.

Plutarch. ſympoſ. conv. l. 2. c. 5. Plutar. in Cat. Ut. — *Iambl. in vit. Pyth.* — *Schol. Sal. c. 1. & 76. & ibi Arnold.*

MENSA; In quâ nec otiandum. In convivijs, antiquorum more, diſcumbendum: Poſt cum Uticenſe Catone, aut ſtandum, aut ambulandum: Super choenicem igitur nunquam ſedendum? Profectò. Sic ante, aut poſt cibum, vel in reipublicæ adminiſtratione ſtabant, vel ambulationibus exercebantur Pythagorici. Samij ergo præceptum ſervans, & corpori, & menti conſule: Illi, nam Salernitano conſilio ſurgens faciliùs concoctionem maturabis; Huic, nam te haud totum in ſolâ corporis curâ occupans, nutries & animum. Turpe nimiùm in menſâ, extranea inter cupedia, quaſi provintias omnes, expletum peragrare corpus, men-

mentem verò ſedere jejunam. Ientaculum ambulatorium, prandiúmque ſtatarium hîc lubens prætereo: Ideò in convivijs acroamata; Ideo librorum lectio, quæ ad noſtros uſque pervênit. Vnum illud Horatij perpendo;

Patreſque ſeveri
cœnant, & carmina dictant.

Apul. met. l. — Mamerg. ap Steuck. cont. ant. l. 2. c. 34. — Plutarch. ſymp. l. 7. qu. 8 — Steuc. ibid. & Geli noct. l. 3. c. 19. — Horat. l. 2. epiſt. 1.

INGRATITVDO: Fugienda. Chœnicem accepiſti, ac ſuper eam ſédes? Ità in beneficium terga vertis. Exurge. Ne operias gratiam: Redde. Nullam, ais, debeo? Fortaſſe delevit oblivio. At hæc non datur, ubi nova ſemper augentur officia. Hemerotrophida, ſubdis, à nemine gratis recepi; Sed juſtâ operis impensâ comparavi. A nemine? Forſan verè dixiſti; Hoc eſt ab homine nullo. A Deo id aſſerere nequis, à quo gratis & omnia, & te ipſum habes. Dei *effecerunt beneficia*, inquis cum Furnio, *ut vivam, & moriar ingratus:* Sedeo nihil habens, quod pari referam menſurâ. Falleris. Te ſtantem, ideſt paratum exhibe. Vbi aliquid non adeſt, Senecâ ipſo autore, ſola ſufficit voluntas. Verùm cave, ne gratijs in offenſas verſis, ingratum magìs hæc ipſa te faciat.

Ap. Senec. l. 2. c. 25. de benef. — Ib. l. 4. c. 21.

MESSIS. Pro meſſe chœnicem ſumo: Super eam ſedere idem, ac deprimere, abſcondere, occupare, ſiſtere. Quid impium magìs? At qui ſedet? Avarus præcipuè, ac tirannus. Quid de-

primere? Agri penuriam prænuntiare. Quid abſcondere? Penuriam efficere. Quid ſi prævideatur? Id non ab avaro, ſed à prudente; Hic verò non deprimit, dubitat; Non abſcondit, tuetur. Non ergo ſedet. Occupare quid? Proprium reddere, quod commune. Siſtere? Servum quod liberum. Quid autem, ſi, ut ſit commune, ſiſtatur? Id à Principe, non à tiranno. Ille tantum ſubditis neceſſarium in tuto ponit: Non occupat, non ſiſtit: Ergo non ſedet.

IVDICIVM. Xenijs, vel comeſſationibus jvdicia non corrumpenda. In ſeſſione judicium pono: In chœnice comeſſationes, & xenia. Quid Authent. de Iud. §. ſedebunt. hoc ſuadeat, petis? Sedent judices: Ac vox Step. theſ. gr. tom 1. præcipuè *catizo*, Græcis ad ſedentem judicem ſpectat. En in ſeſſione judicium. Regibus ipſis Herod. l. 6 chœnices dabantur in epulis. Ad cœnam non euntibus dono mittebantur. Xeniáque tantum, ad inſtar chœnicis, eſculenta, & ferè diurna judi- v. plebiſc. & [illegible] off. preſ. cibus non prohibuit lex. En in chœnice comeſſationes, ac dona. Quid inde? A ſympoſijs, ac muneribus abſtineat judex. Vtriſque indiferenter gratiam judicum aucupari ſtudentes, judicia I. 1 epiſt. 19. corrumpunt. Ideò Lyricus,

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Impenſis cænarum.

Exod. c. 23 n. 8. Ideò *nec accipies munera, quæ excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum*. Lucium Murenam

ſic

ſic multos ad prandium vocantem accuſavit Cato; Síque *Xenia, & dona excæcant oculos judicum*, idem prorſus de convivijs prolatum, quibus *magiſtratuum ora, velut injectis oſſis, obturantur*. Adde vinum, quo mente privamur, ajebat Euripides; Vnde illud in Minervæ oleâ Bromij ramis implicatâ, *prudentes vino abſtineant*. Non me latet Perſas, Græcóſque inter pocula deliberaſſe: Quod mihi prorſus abſurdum. *In vino* quidem *veritas*: Verùm hæc à bibente imprudentiæ filia: Non promitur, excidit; Ac nedum veritas in deliberatione requiritur, ſed judicium: Nullus verò inter Cererem, & Baccum Palladi locus. Ortum ex cerebro traxit hæc, non ex ore; In judicio, ac digeſtione impediunt ſe invicem intellectus, & dapes: Ille virtutem diſtrahit, hæc obruunt. A poculo ebrietatem diſtinguant Plutarchus, Gellius, Macrobius: Ad hanc tollendam, ſympoſijs arbitri præſint, ac magiſtri: Prochoidas ne inferant in convivium. Quid? *Vinum clavo caret*. Quis imponeret modum? Quis te ſobrium pollicetur? Ideò Cartaginenſium lege milites, cives, magiſtratus, gubernatores, judices, ac deliberatores vinum nec libare quidem, voluit Plato. Non ubique Romulus, qui ad cœnam vocatus parcè bibat, quia poſtridie negotium habiturus. Ideo Sacerdotibus interdictum; *Vinum ne libetis, ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſan-*

Cic. pro L. Mur. Eccleſ. c. 20. nu 31. Steuck. conv. ant. l. 3. c. 9. Ap. Stob. ſer. 16. Alciat. embl. 24. Plut. conviv. Fulg. myth. l. 2. Symp. 7. qu. 10. noct. l. 15. c. 2. & Saturn. l. 7. c. 1. Gell. noc. l. 15. c. 2. Xenoph. ap Athen. l. 11. c. 15. & Eraſm. chil. cent. 3. ad. 18. Plat. l. 2. de leg. Gell. noct. l. 11. c. 14. Levit. c. 10. n. 8 & 10

ctum,

ctum, & pollutum. Quæ igitur ab illo ſperanda judicia, qui nedum perpetuis non ſatiatur muneribus, verùm crebris comeſſationibus imiſcetur? Aut convivio, aut convivatori, vel muneri, vel vino cedet judicium.

Steph. in theſ. gr. to. 4. MALVM. Chœnicem à Græcis pro pedicâ ſume: In pedicâ omne málum. Quid pejus? Libertatem amittere idem, ac ſeipſum. Nec ſtulti

Eraſm. chil. 2. cen. 4. ad. 25. deſunt, qui *ſuas compedes amant*, qui ſuper vincula ſedent: Compedibus, vinculis verè digni. Ac ità ſedent, ut quieſcant; Hoc eſt ut málum pro bono jactent; Vt nec, ſi poſſent, velint aut ſurgere, aut ſolvi. Hoc non ſolius aulici delirium; Compedes ubique ſunt in hâc vitâ, quam ſcitè car-

Antiph. ap. Stob. ſer. 46. & Iambl. de vit. Pyth. c. 36. cerem vocavit ille; Hinc *circumdediſti me carcere*. Ità corpus animi carcer, ac vinculum ab ipſis Pythagoricis dictum. Suis tenetur nodis amans; Vnde

Iudit. c. 9. n. 13. 1. Timot. c. 6. n. 9 *capiatur laqueo oculorum ſuorum in me*. Aureis catenis obſtringitur avarus; *Qui volunt divites fieri incidunt in laqueum*. Compedibus vinciuntur, qui

Iob. 18. n. 10. terrenis hærent; *Abſcondita eſt in terrâ pedica* eorum. In his tamen ſedent, quieſcunt; Quaſi *de*

Iſai. c. 42. n. 7. *domo carceris ſedentes in tenebris*; Quaſi *dormientes*

Prouerb. 23. n. 34. *in medio mari*. At voluntaria ſunt hæc vincula; Abijcienda ergo, non adijcienda. Invitus vin-

Iob. 36. n. 8. cior, ait ille, *funibus paupertatis*, ærumnarum, infirmitatis. Nónne sédes? Non ergo invitus. Laqueus tenet pedes, tu animum. E nodis eximere

mere corpus nequis? Potes mentem; Vel igitur ne ſedeas, vel *ſurge, poſtquam ſederis, qui manducas panem doloris*. Verùm quæ homini arctiora vincula? *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*. Et ſedet? Sic agis tu, qui perſiſtis in pravitate. In nodos incidere, málum; Sedere pejus. Illud ſit fragilitatis, & casûs; Hoc electionis, & pravitatis eſt. Dum ſuper vincula sédes, obſtringis magìs. Laqueis laqueos addis: Ab his cæteri ſiſtuntur; In his etiam tu ipſum te ſiſtis. Audi Samium; Super chœnicem, aut pedicam ne ſedeas; Immo Prophetam; *Conſurge; Solve vincula colli tui, captiva filia Sion*. Te ipſum erudiat illud de Petro catenis vincto in carcere dormiente. *Surge velociter: Et ceciderunt catenæ*.

Pſalm. 126. a. 2.
Prover. c. 5. n. 22.
Iſai. c. 52. n. 2.
Act. apoſt. c. 12. n.

INSTABILIA: Quibus non fidendum. Chœnicidem, hoc eſt rotæ modiolum, cum Heſychio, in chœnice conſidera; In modiolo inſtabilitatem. Vbi ſedet, cui fidet amans? In mulieris formâ. En chœnicidem? Quid formâ, quid muliere inſtabilius? Vbi mercator? In oceano, in viri fide. Nil magìs infidum, varium nìl magìs. Vbi miles? In robore. Levis ephemera in debilitatem vertit. Vbi ſcriptor? In calamo. Quid pennâ mobilius? Vbi aulicus? In principis aurâ. In aurâ quæ ſtabilitas? Vbi princeps? In chœnicide: Hoc eſt in fortunæ rotâ. Cuncti denique mortales

Steph. theſ. gr. tom. 3.

tales in quo confidunt, ſedent, quieſcunt? In Mundo, qui continuâ includitur vertigine. In chœnice ſedent omnes: Ideſt in motu, in lapſu. Inſtabilia non sêdes, decipulæ ſunt; Non quietem, præcipitium præſtant: Immo ſupplicium; Vnde illud *pone illos, ut rotam*. Quæ in rotâ ſit quies, referat Ixion. Chœnicem, rotam, inſtabilitatem deſere; Ad Deum totius univerſi axem, rerum omnium centrum confuge: In hoc tantùm vera quies, nam vera ſtabilitas; In cœteris motus, cui nulla, nisì poſt ruinam, quies.

Pſalm.82. n.14.

Fulg. myth.l.2.

EA,

EA, QVÆ VNCOS HABENT VNGVES, NE ALAS.

Symb. XX.

Var. Lect.

Incurva ne comeſto. Cæl. Calc. *Nihil eorum, quod curvos ungues habet, guſtato,* aut *nutrito*. Iambl. Arcer. *Ne educes*. Scutell. ibi. *Ne alito*. Volf. in Suid. *Animalia*. Poſt. ibi: *Vngui curvia*. Gyrald. *Aueſ*. Ambr. in Laert. *Domi ne alas*. Plutar. Xyland.

Int. Var.

DE RAPACITATE: CVPIDITATE: AMICITIA: DIABOLO.

RAPACITAS. Fugienda. *Triph. ap. Eraſ. Chil.* 1. *cen.* 1.

HOc Symbolum à divinis oraculis non diffidens, à quibus immundæ aves jam vetitæ; Alij Pythagoræ, Andocidæ alij referunt acceptum. Ab Etruſcis maximè ſervatum. Sed à quibus non ſervandum, ſi de rapacitate? A cunctis hæc profectò fugienda. Verùm dic; Quæ cauſa? Furari, ais, nedum vitium, ſed dedecus eſt. Dedecus fortaſſe magìs, quàm vitium horres? At quale vitium abſque dedecore? Prô improbè nimiùm ingenioſam ætatem! A dedecoris, vitijque notâ hæc jam ſua vindicat furta.

Levit. 11. & Deuter. 14.
Iambl. Protr. c. 21.
Gyral de Symb. Pyt.
Plutar. Symp. 8. qu 7.

D Rapi-

Digitized by Google

Rapinam ità ſibi operit uſus, ut eam pro virtute, pro decore habeat, venditet. Hic eos prætermitto verè ſcriptores, qui ſui nihil poſſidentes, autoritatis, eruditionis, ac imitationis prætextu inſulsè bibliothecas diripiunt, alienáque curviungues expilant. Quot domi, extra, in foro, in aulâ, ubique, ſub lucri, debitionis, induſtriæ, ac interdum pietatis velamine, larvata exercent, cohoneſtant, jactant latrocinia? Vitioſus ille tantùm, ac infamis, qui rudis in arte, vel pauca rapit, vel rapta neſcit tegere; Iuxta illud Epicuri, *furari non malum, ſed deprehendi*. Cautè maxima emptori, legatario, pupillo, clienti, hero, ſubdito eripere, hæc virtus, hoc decus;

Ap. Arrian. in Epiſt. l. 3. c. 7.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & umbrâ.

Iuvenal. ſat. 14.

FVGANDA; Parati enim, ad rapiendum, excludendi. *Plutar. in lib. de Symb. Pyth. interp. ap. Gyrald. tom. 2.*

Cur excludendi? Nocent enim. In quibus? In divitijs, in theſauro. Expelle. Sed cave, ne in divitijs, ac theſauro pernitioſos magìs recipias fures, qui te ipſum tibi eripiant. Melius dixerim Deo.

E CIVITATE: Summovenda rapacitas. *Pier. hyer. l. 1.* Nam reges populorum devoratores non admittendi. *Eraſ. chil. 1. cen. 1. ex Aeſchyl. apud Ariſtoph. in Ran.*

Eligere, inquis, regem, meum non eſt. Minus admittere. Falleris. De regno exteriori hoc fit:

Per-

Perfectiorem quiſque in ſe habet. Imperium inter ſubditos affectus petunt ſenſus, & ratio. Hæc regina ſuum cuique dabit; Ille tyrannus eripiet. Suffragia vel dare, vel abnuere liberum tuæ voluntatis eſt munus. Quid? Rapacem ſeligis, reijcis optimum. Hic hôdie comitiorum uſus. Tu ipſe in delecto rapax, tu ipſe tyrannus. *Leonis catulum* in tui pernitiem nutris. Eraſ.Chil. 2. cen. 8. ad.77.

E DOMO. *Plutarc. ſymp.* 8. *qu.* 7. Nam rapaces inter familiares non habendi. *Gyrald.* & *Thuil.*

Sic mihi vanum ex ſymbolo conſilium. Quis demens ità, ut ſciens raptorem inter familiares acciperet? Verùm id non de ſervis tantùm: De his potius crederem, qui te in ſervitutem redigunt. Suſurronem, aſſentatorem, ſicarium lenonem in domo ſuſcipis? Latrones, plagiarios habes undique. Requiem, veritatem, libertatem, opes, animam furantur omnes. Proprijs Penatibus admiſces otium? Hujus latrocinia temporis pretio metire. Avaritiam? Hæc uſûs neſcia ea ipſa expilat, quæ dat, quæ neceſſaria. Luxum, aut ludum? Vterque

Paupertate potens opulenta evertere regna; Philom. Muſ. n 30.

Ità curviunguis, ut eorum miniſterio ex Gyge illico in Aglaum tranſeas. Vtinam verò in Aglaum, cui læta ſaltem paupertas. Quid amplius? Val. Mag. l. 7. c. 1.
Nónne vernas excluderes, aut biarchos, qui ea

tibí ſurriperent, quæ magìs fortunæ, quàm tua? Profectò. Eos tamen admittis, qui te ipſum, & tibi, & Deo rapiunt?

CVPIDITAS. De cupiditate ſymbolum; Idque contra manus rapaces. *Rheucl. de art. cab. l. 2.*

Cupiditas, & mánus rapax ferè idem. Strenuus latro deſiderium. Hujus experimentum in amore pateat. Fur iſte noctis amicus per ſenſuum feneſtras intrat. Voluntatem rapit, quæ nummus Bernardo, theſaurus verè noſter: Diripit libertatem, quæ apud Horatium auro potior, & argento: Hominem totum expilat, in quo Deus, qui omnia. Rectè ideò à Crate laqueo, ab Heroinis cruce multatus. At in mulieris facie tu eo ipſo aleris: Tu ſpe, ac illecebris eum ipſum ális; Non tantùm *in civitate*, non *domi*, ſed in animo; Immo in animum, cóntra quem ſævit. De cæteris cupiditatibus idem repete. Síque prædones vitandi, qui homini furantur, quid de ijs, quæ hominem? Tu non vitas, nutris. Furtum ſic & facis, & pateris. Pravitatem cum miſeriâ ſic in te ipſo jungis.

In Iſai. 55 n. 1.

L. 1. ep. 12.

Laert. l. 6. de Crat.

Ap. Auſon. eclog. de iſt. Cupid.

AMICITIA. Mutuò inter amicos, & alios communicandum ità, ut accipiat quiſque, ac det ſinè pravitate. *Iambl. protr. c. 21.*

Amicitiam in ungue poſuerunt Iamblicus, & Rheuclinus. Curvitas in ungue amicitiæ profanat ſymbolum, in quâ nulla tenacitas. Verùm cur *inter amicos*, *& alios?* Vbi mutua, & innocens communicatio, quis non amicus? Hinc diſce;

Iamb protr. c. 21. & Rheuc. de art. cab l. 2.

ſce; Communicatione inter amicos amicitiam ſerva, inter alios compara: Hæc fermè à Pythagoricis non diſtinctæ: Altera viciſſim alterius eſt parens, ac filia; Híſque, ut apud Ciceronem, *ratio par* eſt *acceptorum*, *& datorum*. Quid hoc? Dicam. Nónne amicis tu, & ego, tuum, & meum ſynonima? Quis eorum igitur dare poterit, quibus nihil proprium? Quis accipere, quibus nihil alienum? At quis dare poterit, qui non accipiat, ſi dans, & accipiens idem? Nihil amicitiæ, & communicationi magìs contrarium, quàm unguicurvium natura: Eorum nullum, apud Ariſtotilem, gregatile; Quodcunque, apud Plinium, cibum ſibi tantùm parat. Nihil rationi magìs conſentaneum, quàm communicatio: Meum, & tuum inanes, immo inſanæ ſunt voces, ubi fortunæ, veriùs Dei, ſunt omnia. Ideò *meum*, *ac tuum frigida verba* apud Chryſoſtomum. Nil noſtri, præter uſum; Qui, nam de alienis, nec noſter abſque communicatione. Quid ais, ò Bias? *Mea bona mecum porto*. Mentiris. Quid tuum? Virtus. Animi, an corporis? Vtraque ſit. Ex his tuum nihil. Ea tibi commodavit natura: Terra corpus, animum Deus repetat, quid tui remanet? Hoc interim ſpacio his utor, inquis;

Pauper enim non eſt, cui rerum ſuppetit uſus.

At dum ſolus à civitate recedis, nec boni uſum tenes: Hic enim tantum in communicatione.

[Margin notes: Iambl. protr. c. 19. — De Amicit. — De hiſt. anim. l. 1. c. 1. — Plin. l. 16. c. 19. — Chryſoſt. de S. Phil. log. tom. 3. — Cic. parad. 1.]

Dic,

Dic, quid bonum? Pulchritudo? Vſus ubi reſidet? In oculis: En communicationis neceſſitatem. Sanitas? Quid prodeſt, niſi te uſu communem familiæ, amicis, reipublicæ facias? Divitiæ? Sinè communicatione qualis auri uſus? Sapientia? Vana profectò, niſi vel documentis, vel operibus tranſeat in alios. Perge, Bias. Quære amicum. Quæ ab alijs recepiſti, alijs communica. Ideò ſociabiles, non hamatis, non curviunguibus, verùm explanatis manibus, ad dandum non minus, quàm accipiendum aptis, nos edidit natura. Id autem ſinè pravitate ſit. Vbi hæc,
Cic. de amic. amicitia nulla, quæ nuſquam ſinè virtute. Mutua quidem communicatio inter dominum, & ſervum; Sed cum pravitate, ſi cædis, ac prædæ ſtudioſi, dat ille ſtipendia, hic ſcelera. Curuivnguis uterque.

DIABOLVS. In domum non admittendus. *Georg. Venet. tom. 5. ſect. 5. probl. 443.*

Nicol. Remig. in Dæmonol. l. 1, c. 27. An Pythagoræ ſit conſona interpretatio de ſpiritu, quem ſcitè curviunguem noſtri venditant pictores, hîc non diſputo. De inferis Dijs qui-
In Carm. aur. ap. hierocl. dem locutus: At colendos, præcepit. Non ergo ibi de illis, qui ſcelerum ultores. Nos interim, cum interprete ſymbolum ipſi nobis aptemus: Idque aliquo pacto fulciat horatianum illud;

Epod. 5. *Petamque vultus umbra curvis unguibus,*
Quæ vis Deorum eſt manium.

Omnis

Omnis dæmon ales, ait Beroaldus. Et curviun- In aſin. aur.
guis, nam Cyprianus eum cernit in vulture. At Epiſt. 1.
quomodo curviunguis, qui nedum accipit, ſed
dat etiam? *Hæc omnia tibi dabo*. Vbi mutuum? Matth. 4. n. 9.
Si cadens adoraveris me. En pravitatem. Quid
autem Altiſſimo dare poterat, in cujus manu cun-
cta? Promittit, non ut det, ut accipiat. Sic hodie
vana, ſic avara multorum liberalitas; Cui ſcitè
illud Pompei aptaretur,

Donare regis, fœnerari dixeris Philomuſ. in Pomp. act. 4.
In cive.

Sic de cive; Nam

Quicunque mores, Imperantis Philomuſ n. 71.
Ad genium, excoluiſſe gaudet.

A domo tentatorem arcere, nequeo, ait ille. Potes, non admittere. Quoties verò ſub viri, aut fœminæ figurâ diabolos habes contubernales, convivas, concubitores? Quoties in miniſtris, in familiaribus, in filijs dæmones admittis, eligis, educas, nutris?

Meæ Coniect.

DE IMPROBIS: TENACITATE: PRÆPOTENTIBUS, AC VIOLENTIS.

IMPROBI. Eijciendi. Animalia Pythagoricis edere nefas. Curvis unguibus prædita ergo, quæ admodum *fera*, *cediſque ſtudioſa*, animalia vorant, Plutarch. lib. 8.

non

non admittenda. Quid ex hoc? Nedum ab improbitate abſtinendum, ſed ab improbis. Non ſatis ab adulterio, vel homicidio expiatus acceſſiſti, cùm *domi* adhuc ſicarium nutrias, & adulteram. Si cum impijs agis, in te pietas, vel nulla, vel jam periclitatur. *Semitæ eorum incurvatæ ſunt eis*. Ab eorum conſuetudine

Iſai 59. nu 8.

Diſces & ipſe claudicare protinus;
Et cum perverſo perverteris.

Pindar. en nar. ap. Eraſ. chil. 1. cen 10. ad 71. 2. Reg 22. n. 27.

TENACITAS. Tenaciſſima unguicurvia facilè quidquid arripiunt, dimittunt difficilè. Nec álas, nec edas: Hoc eſt, nec in alijs, nec in te ipſo tenacitatem admittas. Tenax ingratitudo; Quam ideò curvatis unguibus notabant Ægyptij. Sic noxia, ut oblivione gratiam ipſam necet: Ingrato, nam beneficia remoratur; Benefico, nam odium rependit pro amore. Tenax avaritia ſemper officit, præterquam, cùm moritur avarus. Huic nocet, dum ſemper curviunguis ejus dilaniat viſcera: Cæteris, nam cuncta ſibi arripiens bona, uſu alios, & communicatione privat. Cui demum prodeſſe poteſt, ſi quod magìs amat, conijcit in carcerem? In ſepulchro ſi condit, quod velut Numen, adorat? Tenax pervicacia. Semper ſive loquatur, ſive agat, exitioſa. Loquitur? Pro opinione potius, quàm pro veritate pugnans, *toto corpore, atque omnibus ungulis contentioni vocis aſſervit*: In contentioſo ignorantiam fovet, in

Or Apol. l. 1 hyer. 56.

Eraſ. chil. 4. cen. 5. ad 6.

Cic. tuſc. 2.

alijs

alijs excitat moleſtiam. Agit? Quid pernicioſum magìs, & alijs, & ſibi, quàm pervicax in pravis operibus perſeverantia? Quid tenacius odio, quid amore, quid aleâ? Vindictam, ſcortum, lucrum guſtet aliquis;

Vt canis à corio nunquam abſterrebitur uncto. Horat. ſer. 2 ſat. 5.

Semel, tanquam Lotophagorum lotum, pravas ille attingat voluptates; Nec verberibus adactus redibit ad navim. Quid damnoſius? Tu verò in his vanâ ſpe aleris, vaníſque illecebris; Lenam, ſicarium, otioſum ális, qui etiam inſervientes, etiam ludentes, pauperem ſeriò te faciunt, veriùs te vorant. Hom. Odyſſ. 9.

PRÆPOTENTES, AC VIOLENTI. Hos in curviunguibus, *ad vim inferendam valde aptis*, cum Ariſtotile inſpicio. Eos nec nutrias, nec comedas. Vtrunque cum periculo. Qui præpotentes, ac violentos paſcit, Actæonis fatum paveat; Qui ab illis paſcitur, Senecæ. Illi quò magìs comedunt, ſæviunt magìs; Alúntque, ut pinguiores edant. Si ut cunctis noceat, graſſatorem nutris, demens cur profuturum tibi ſperas? Tibi etiam cùm prodeſſe credis, nocet magìs. Tu iræ deditus, & odium ális, & aleris odio: En præpotentes, & violenti. Viperam, qui nutrit, generat venenum; Qui vorat, venenum ſummit: Reus mortis uterque. De part. anim. l. 3. c. 1. Fulg Myt. l 3. Tac. ann. l. 15.

IN VIA NE SECES.

Symb. XXI.

Var. Lect.

In viâ ne ſcindito. Arcer. in Iambl. *Ligna ne ſeces*. Eraſm. & Gyrald. ex Olympiod.

Int. Var.

DE PVBLICIS REBVS: PHILOSOPHIA: ANIMO: HOMICIDIO.

PVBLICÆ RES. Non turbandæ. *Rheucl. de art. cab. l. 2.*

ADagium à plautino Palinuro prolatum ſymbolo valde congruum;

Nemo ire quenquam publicâ prohibet viâ.

In Curcul. Act. 1. Sc. 1. Ne igitur in viâ ligna ſecans, viam præcludas. Laert. in Cyn. Meritò Diogenes Alexandrum increpat, qui publicum ſolis radium impedit. Iuſta Catonis, ac Liu. 4. Dec. l. 9. Valerij cenſorum lex aquam communem in privatum uſum verſam inhibuit, extenſáque in loco publico ædificia ſtatuit demolienda. Qui communia turbat, turbat & propria: Eo ipſo enim & propria, nam communia. Qui verò communia ſibi tantùm propria facit, unico actu plura exercet latrocinia: Pluribus autem qui nocet, à pluribus caveat. Sed viâ, & ligno aliò forſan pergen-

gendum. Publica turbat avarus; Auri enim uſum prohibet; Hoc eſt id omnibus interdicit, quod propter omnes genuit natura; Id & auro, quo ſolo aurum omnibus, & pretioſum, & vtile. Ad cives cunctos civilia ſpectant munera. Quoties aut in paucos tantùm, aut in eoſdem ſemper collata? Sic verè

Publica materies privati juris erit. Horat. de art.

Publicus princeps; Ad populi enim bonum. Tu quid agis, ò tyranne? Ordine præpoſtero populum ad tui bonum trahis. Vnum tantùm audis; Vni tantùm faues; Tibi tantùm ſtudes; Civitatem exhauris, ut repleas domum: Tuis cuncta confers beneficia; Commune, ob tuæ mentis impetum, effundis ærarium. Sic non publicus; Ideò non princeps. Te pudeat: Sceptro in ſecurim verſo, lignum in viâ ſcindis.

PHILOSOPHIA. In hâc veritatem, quæ unica, non mendacium, quod multiplex quærat Philoſophus. *Iambl. protr. c. 21.*

In ſacris literis lignum vitæ ſapientia. Prudens agricola ſtolones, ac ramos reſecans, veritatis unitate interlucatum, ac unicum arboris caudicem colat. Ignarus non ſcirpiculâ, ſed bipenni plantam ſurculans, excidit. Dum vanis diſputationibus, ac ſæpe alienis, eam ad mendaciorum multiplicitatem, aut nutrit, aut in partes findit, quid mirum ſi areſcet, inutilis, vel digna tantùm, quæ in ſtipite comburatur, quæ in tabu- Geneſ. c. 2. n. 9. & Prov. c. 3. n. 18.

lâ conculcetur? Intelligat hinc quiſque interim: Philoſophia via eſt: Aliud igitur eſt meta; Sci-
Iphan. c. 19. n. 6 licet veritas, quæ Deus. Philoſophiæ ne ſtudeas ergo, ut philoſophus evadas: Verùm ut per philoſophicam viam ad veritatem, ac ſummum pervenias bonum. Vnica porrò veritas. Dic quotuplex tibi, ò juriſconſulte, qui reum eâdem lege abſolvis, & damnas? Tibi negotiator, cui perſonata fides, cui multiplex ſtatera? Tibi aulice, qui ad principis inconſtantiam Proteus? Tibi princeps, qui nec in ſermone unus?

Ideò fugiat corporalia philoſophus; Ea enim in partes ſciſſa. *Iambl. ibi*; Et progrediatur ad unum, maximum, & infinitum. *Farr. in ſepten.*

Sanè in corporeis nulla unitas, nulla veritas. Quod ex pluribus conſtat, pluribus nutritur, pluries mutatur, in plura diſſolvitur, in partes ſciſ-
In Pim. c. 15. & 16. ſum eſt, nec unum ideò, nec verum. At ſi multiplex, ergo non verum. Idem prorſus Triſmegiſtus putavit. Veritatem à viro ſperas, à muliere, à divitijs, à bonâ valetudine, à corporis robore, à fortunâ? Falleris. Hæc omnia in partes ſciſſa. Humanum genus, nedum Ariſtopha-
In Plat. conv. A-ſton. Laud. nis autoritate, ſed veriùs ob curas, & affectiones, nîl aliud quàm Androgyni diviſio. Aliò tendit animus, aliò lingua: Caſus, tempus, mors cuncta mutant, diſtrahunt, diſſolvunt. Fruſtra & in ſectionibus anatomicis unam veritatem ſperat medi-

medicus, qui multiplici experimento, circa illud corpus, in quo nihil ſimplex, ac ideò nihil verum, in tot incidit mendacia. Fruſtra unicam innumeris quærit aritmeticus, qui vel materialia, in quibus nihil veri, dinumerat, vel malitiá ductus figmenta ſuis involvit rationibus. Fruſtra chimicus in Mercurio, qui nec illi veridicus eſſe poteſt, nisì propriam mentiatur eſſentiam. Quid amplius? Fruſtra ſinè Dei cognitione, in quo ſolùm, & unitas, & veritas, hanc diſputationum diverſitate, ac innumeris diſtinctionibus quærit metaphyſicus in illâ ipsâ formæ abſtractione à materiâ, quæ verè nîl aliud quam mendacium. Fruſtra & in Cælo ipſo aſtrologus, ubi rarò aſpectus agnoſcuntur, ſæpe decipiunt, nunquam non mutantur, ſemper ab alio pendent. Vbi ergo veritas? Vltra Cælos progrediendum. In Deo tantùm illa, qui ex materia non eſt, unica, ſimplex, immutabilis.

In Plat. conu. Aſit. laud.

ANIMVS. In hâc vitâ nimijs curis, & inanibus cogitationibus non diſcrutiandus. *Gyrald. ex Olympiod.*

Via hæc vita; Nisì ad aliud, ad mortem. Hic animi conſtantia, & robur lignum eſt, ſi Riccardo credimus. Scindere, ut plurimum, in ſacris litteris doloris, ac infelicitatis proprium: Ideò ſcindebantur veſtimenta, montes, corda, templi velum. In viâ igitur lignum ſcindere idem, ac ob nimias curas, inaneſque cogitationes, mentem in-

Baſil. in conſide ſer. tempi. Ric. de S. vic. in Dan c. 4. Reg c. 2. n. 31 Zach. c. 14. n. 4. Ioel. c. 2. n. 13. & Matt. c. 25. n. 51.

in hâc vitâ diſcrutiare. Intellige, homo. Te non ſubijciunt, non diſcrutiant ærumnæ. Sed te ipſum tu illis, & ſubijcis, & diſcrutias. Verum fateatur amans, qui ultro ſe flammis exhibet; Ludens, qui ægeſtati; Sicarius, qui periculo, miles, qui morti. Canorâ delectaris luſciniolâ. Eam nam diligis, dirus in carcere detines. Quid inde? Alata fugit, mortalis interit. Cruciaris. Dic; Aviculane virum ſubiecit? Hoc non veriſimile. An potius vir ſe ipſum aviculæ? Veriùs. Ideò & mœrori. Inter cuncta in hoc mundo, & mentem eadem proportio, quæ inter aviculam, & virum. Nihil in hâc vitâ non minus animo: Fortis autem, ac ſapientis animi nihil prorſus infelix. Eum ſcindit, qui infelicem facit. Hócque præſtat, qui curis, & cogitationibus cedit; Immo ſe illis ultro ſubijcit, quæ forti ſemper nimiæ, ſapienti ſemper inanes. Nimiæ, ac inanes quidem. Infortunium ſi tolli poteſt, cur angeris? Tolle. Dum triſtaris non tollis: Tu ipſe in eo perſeveras, tu illud in te ipſo auges. At ſi removeri non poſſe málum credis, de eo quid cogitas? Audi. Vis removere? Ne cogites. Solus qui propriam mentem infelicitati ſubmit-
c. 10. n. 9. tit, infelix. En illud Eccleſiaſtæ. *Qui ſcindit ligna vulnerabitur ab eis.*

HOMICIDIVM. Non enim homines, qui arbores rationales, in vitæ curriculo interficiendi. *Georg. Ven. tom. 5. ſect. 5. prob. 454.*

Ligno

Ligno ſæpe ſacris in paginis æquiparatur homo. Sic *ligna regionis* in Exodo, *ſylvarum* in cantica, *ad decurſus aquarum* in pſalmis, *Ioſeph* in Ezechiele, frugifera in Matthæo. Platonis homo arbor inverſa, & mobilis: Idem Iamblico. Quid mirum, ſi vidit ille homines velut arbores ambulantes? Lignum igitur in via ſcindit homicida. A corpore tandem animam dividi, fatale quidem eſt. Verùm ne tu dividas, ne in via ſcindas. Vt morte, non vi, moreretur homo, fuit ſancitum. Moritur nunc rarò, nam mortalis; Crebrius, nam trucidatur. Animalium cædes in venatione homicidij origo apud Plutarchum. Meritò igitur animalia interficere à Pythagoricis vetitum. *Quanto magis hominem?* Intelligat, qui ſe ipſum in potu, ac cibo intemperans, in luxurie immoderatus occidit. Audiat, qui alios impius ultor, medicus inexpertus, judex ad decreta, princeps ad bellum, facilis. At progrediendum ulterius. Duplex mors; Corporis, & animæ. Duplex ideo & homicidium. Hoc autem illo veriùs, nam in anima, *qua verus homo*. Illo ſævior nam in ſe ipſo, nam in divinam ſui partem. Illud naturæ, hoc pravitatis eſt. Mortale illud perimit, hoc immortale. In corpore momento durat mors, in animo per ævum duratura. Vtraque ſcindit lignum. A terra illa hominis arborem dividit, hæc à Cælo.

Ex. c. 9. n. 25 Can. c. 2. n. 3. pſalm. c. 1. n. 3. Ezech. c. 37. n. 9. Matt. c. 7. n. 17. Ap. Plutar. de exil. Iambl. protr. c. 3. Mac. c. 8. n. 25. Gen. c. 2. n. 18. De ſolert. anim. Iambl. de Pyth. c. 30. Plat. in Alc. 1.

Meæ Conieꝰt.

DE PRAVO QVÆSTV: ARDVIS, ET DIVINIS: DIVISIONE PERFVNCTORIA: FINE: FORTVITIS: PROXIMI CORREPTIONE.

PRAVVS QVÆSTVS. Nonnulli, ut aurum quærant, ex corylo, improbâ ſuperſtitione, virgam *ſcindunt*: Hanc bifidam, quibuſdam prolatis verbis *per viam* geſtant; Vbi verò illa inclinatur, ibi latentem indicare theſaurum, credunt. Sic ad eos, qui mális artibus divitias perquirunt, ſymbolum trahere fas ſit. Opes quæris? Earum igitur es inops. Mális artibus? Paupertati pravitatem jungis. Pro theſauro, ſi carbones, teſtas, aut folia reperis, magìs fruſtrata his incenditur aviditas, augetur inopia; Si verè theſaurum, quod raro, optima in probo viro paupertas, peſſimæ in improbo divitiæ: *Malè parta, malè dilabuntur*; Duriúſque inopem fieri, quàm eſſe.

Robert. in vnguen arm. ruin. ſec. 16.

Eraſm. chil. 1. cen 9. ad. 30. & Remig. dæmonolat. l. 1. c 4.

ARDVA ET DIVINA. De quibus nec inſcienter, nec obiter diſputandum. In ligno boni, & máli ſcientiam poſuit Altiſſimus; Lignúmque vitæ ſapientiam ipſam vocavit Salomon; Inſuper *Ligna ſetim, plauſtri, & in utrâque fluminis parte* pro ſacris literis interpretantur nonnulli. Materiam ſcindunt, qui alternis diſputationibus in opiniones dividunt. Ne igitur in viâ lignum ſcindas;

Chil. 1. cen. 7. ad 82. Geneſ. c. 2. n. 9. Prou 3. n. 18.

Steph. Cantuar. in Exod. 25. Greg. 2. reg c. 6. & Hieronym. in Ezech 47.

das: Hoc eſt ne de arduis, ac præcipuè divinis obiter, aut inſcienter diſputes. Obiter ſanè quiſque agit in hâc vitâ, quæ viâ: Inſcienter, qui de divinis, quæ nimiùm remota, quæ tantùm credenda. Hoc ſymbolum, & illi audiant, qui non in gymnaſio eruditi, ſed rudes in viâ de arduâ quâque re diſſerunt; Non ad veritatem ſcitè indagandam, ſed ad propriam ſententiam pertinaciter tuendam; Ad alienam ambitioſè profligandam. Victores tandem evadant: Quid indè? Altercationibus myſteria non aſſequuntur, garrulitate obruunt, temeritate ſpernunt, mendacijs ſcindunt. Baſil. in conc. ser. temp. & Plat. in Axioc.

DIVISIO PERFVNCTORIA. Rarò diviſio bona, ſæpe mala. Præcipuè obiter facta. Nihil de fine cogitans, opulentam hæreditatem à ſe dividat ſtulta prodigi manus, inter ſe diſcors fratrum ſtultitia. En opulentiam in paupertatem verſam; Ità ut ille unicum faciat pauperem, iſti plures. Alter malignitate ductus, cupidus imperandi alter, populum dividat: En pax, & amicitia in diſſidium, en libertas in ſervitutem mutatur: Duo viri lætantur, plorant innumeri. Virtus ipſa, quæ in arbore deſignata, dividatur, jam infirma eſt. Continui diviſio vulnus, animæ à corpore mors. Et in viâ erit, hoc eſt obiter, qui ſcindet? Demens agricola, qui per viam, & præter propoſitum, incidens in arbo- Ori. in Leuit. hom. 16.

 rem,

rem, illi ſecurim admovet. Ex animo ſagax, prius quàm cædat, videt an operi, aut igni danda. Si de ligni diviſione ità conſulendum, quid de præſtantioribus. In viâ ergo ne ſcindas. In domum, in te ipſum prius ingredere; Indè ſi juvat, immo ſi licet, divide.

Greg. 14. mor. 16. & hom. 20. FINIS. Nec impediendus alteri, nec ſibi. Arbor in ſacris literis voluntas: Hæc dum tendit ad finem, in viâ eſt: In viâ verò qui ſcindit arborem, iter ad finem præcludit; Qui alteri, malignus, & invidus, qui ſibi, ſtultus: Vterque appareat in ſagittarijs. Plures jaculatores unicam inſpiciant metam, unicus plures. Illorum quiſque ſæpe impedit alium; Hic ſemper ſe ipſum. Bonum cuique deſiderabile: Tendant cuncti arcum, nulli deerunt præmia: Sed verè tantùm victor ille, qui ſcopum melius tanget. Qui alteri prohibet ictum, æmulum jam recuſat, æmulationem jam timet. Solus terminum feriat: Exigua laus, nulla victoria. Ille porrò, cui mens nunquam una, ſed in pluribus ſemper diviſa, in viâ ſcindens arborem, finem impedit ſibi: Qui enim unico ictu ſagittam in varias dirigit metas, vel nullam attinget, vel gloria non artis erit, ſed fortunæ. Omnes benè mori, cupiunt: Qui malè vivunt, propriæ obſtant cupiditati: Malè autem vivit, qui ſciſsâ in partes voluntatis arbore, alteram Dèo, diabolo alteram vovet. Sibi viam ad finem ità impedit.

FOR-

FORTVITA. Contra hæc paratus eſto. Lignum in viâ ſuſtinet, ac tuetur. Dum ſcindis, inutile ad utrunque reddis officium. Sanè antequam ad finem pervenias in viâ, ſemper es: Ac iter facienti raro non deficiunt vires, fures, aut canes non occurrunt. Sciſſo ligno, laſſitudinem quo fulcies, quo latrones, ac latrantes arcebis? Quod de baculo dictum, de animo repete. In cupiditatum varietate ſcindas mentem. Affectionum motus magìs, quàm Siſyphi ſaxum, animi, corporíſque robur enervant. Illis, qui ſævior in ſuum Actæonem cánis? Qui Cacus in pacis, libertatis, ac fortunæ bona rapacior? Alea ſpem fallit, mulier, amicus, ager, aula, forum; ac triſtaris? Mærore propter hæc nunc animum ſcindis, nam prius horum amore ſcidiſti. Si mentem jam inter terrena diſpertitam non habuiſſes, ob ea minimè hodie mærereris. In hâc igitur viâ fortuitis copioſâ lignum ne ſcindas: Hoc eſt omnes cogitationes, cuncta deſideria, te ipſum totum in Deum recipias. In eo nihil tibi, aut novi, aut mali; Nunquam triſtaberis, perpetuò tutus eris.

Hygin. fab. 60.

Fulg Myth. l. 3

Seru. in Verg. Aen. 8.

PROXIMI CORREPTIO. Ne fiat in viâ. In arbore hominem jam vidimus: Eam ſcindit, qui vitia reſecando, proximum corripit. Sic apud ſacros Autores *cæſores lignorum* pro illis, qui Dei verbum prædicant, pravéque agentes arguunt:

Greg. in 1. Reg. c. 6 in Ezec. hom 17. & 10 mor. 5 ac Hil. in Matt. c. 2 ad Njcob.

Id forſan reſpexit Gregorij Nazianzeni carmen;

Tu ſæpe monendo,
Ponendóque meos ante ora, oculóſque ſodales,
Amplius exacues animum; Nam ligna ſecanti
Per magnum robur, vis eſt per magna ſecuris.

In viâ verò id non præſtandum; Ab hoc Pythagoræ ſymbolo Apoſtoli non diſſidet oraculum; Matt. c. 18. n. 15. In quo, non eundo corripe, ſed *vade, & corripe*. Non eundo, igitur non in viâ: Quod eſt non obiter, non publicè non in criminis actu: Obiter id minimè agendum, quod de præſtantioribus: Symb. 2. ex Iambl. Ideò alibi *perfunctoriè templum ne ingrediaris*. Ad quid tendit correptio? Ad animæ curam: Quid præſtantius? Nec in viâ ergo ſit; nec eundo, *ſed vade, & corripe*. Non publicè; Aug in Matt. 18. ac de verb. Dō. Matt. 16. Nam qui *coram alijs arguit, non corrector eſt, ſed proditor*: Idcircò non in viâ, ſed *inter te, & ipſum, ſolum*. Nec in erroris actu: Hoc eſt, quum vel iræ, vel amoris magìs fervet ebrietas. *In convivio vini ne arguas proximum.* Eccleſiaſ. c. 31. n 41. Propterea non in viâ, ſed in termino: *Si peccaverit, non ſi peccat, frater tuus.* Matt. ibi. At nónne ſcriptum, *adhibe tecum adhuc unum, vel duos teſtes?* Quomodo igitur non in viâ, ſed *inter te, & ipſum ſolum?* Hìc de correptione, ibi de illis, qui correptionem non audiunt. Amplius, nónne *melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus?* Prou. c. 27. n. 5. Profectò. Dummodo ex amore ſit, cui proprium eſt etiam manifeſta non

ſe-

ſejungere à ſecretis. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum.* Id eſt proximi correptio ſit ex charitate, non ex odio; Amica, non maligna; Arguat, non detrahat; Medeatur animæ, non vulneret nomen; Sit palam, & coram ipſo, non clam, & coram alijs. Ideò non in viâ, ſed *inter te, & ipſum*. At nónne denique *ſapientia in plateis dat vocem ſuam?* Quis negat? Verùm quale inter viam, & plateam diſcrimen? Per eam ſæpe ſingulatim nonnulli tranſeunt; In hanc univerſæ convenire ſolent gentes. In plateâ igitur liceat corripere; Hoc eſt univerſalia tangendo, neminem lædere. Sic ibi *uſque quo parvuli, ſtulti, imprudentes? Convertimini ad correptionem meam*. Sed in viâ, ubi de proximo, de unico, abſque læſione, id fieri nequit. Rurſus ambulamus in viâ; In plateâ, vel ſtamus, vel ſedemus: In plateâ igitur corripe, non in viâ; Non enim, ut diximus, id agendum obiter, ſed ex animo, qui ſedendo ſapit.

Levit. c. 19. n. 17.

Prov. c. 1. n. 20.

Ibid.

HI-

HIRVNDINES IN DOMVM NE ACCIPIAS.

Symb. XXII.

Var. Lect.

In domum ne ſuſcipias. D. Hierony. & Volf. in Cyril. *Domi ne habeas*. Heinſ. & Hervet. in Clem. Alex. *Tecto ne accipias*. Arcer. in Iambl. *Sub tectum*. Herm. Heſſ. *Sub eodem tecto degentes*. Svid. Port. *Ne habeas*. Ambr. in Diog. & Beroal. *Intra domum ne admittas*. Politi. *Cohabitantes nobiſcum ne habeamus*. Rheucl. *Contubernales*. Volf. in Svid. *Familiares, aut domeſticas*. Gyrald.

Int. Var.

DE AVE: INCONSTANTIA: GARRVLITATE: INGRATITVDINE: ALIENIS: VANIS.

AVIS. Tragicam enim de Progne, ac Tereo fert hirundo memoriam. *Sylla ap. Plutar. ſymp.* 8. *qu.* 7. Quæ & in ſomnijs mala. *Mind. & Heliop. ap. Gyral. de Symb. Pyth; Clem. Alex. Strom.* 5. *& aly*.

NOn inficior metempſychoſis autorem in hoc ſymbolo ab Hetruſcis maximè ſervato ſpectare potuiſſe Prognæ, ac Philomelæ metamorphoſes; Nam longè ante Ovidium è Græcis fabula. Verùm quid hæc ad ſymbolum? Interim nos erudiat Syllæ interpretatio: Hirundo curviunguis âles; Et âles curviunguis dæmon. Illa domi non admittenda: Hunc, dum tu peccas, admittis

Plutar. ſymp. 8. qu. 7.

Heſiod. Hom. Odyſ. l. 19 & ibi Spond & Fauſ in Phoc. Beroal. in Aſin. au.

mittis in animo. Avis repellenda, nam infauſtam jam præteriti mali ſecum fert recordationem. Quantò magis culpa, quæ præſens omne in ſe continet malum? Cui pœnalis etiam æternitas imminet? Illa Athenarum, Tracúmque regibus funeſta, hæc nobis. Fabula illa, hæc veritas. Repelle. Síque de ſomnio cogitas, cur non cogitas de vitâ, quæ ſomnium? Et *velut ſomnium avolans non invenietur.* Si mala in ſomnio expellenda, expelle culpam. Max.Tyr. ſer. 18. & Iob. c. 20. n. 8.

Nam Hirundo curviunguis prope terram volitat exigua venans animalcula. *Plutar. ubi ſup.*

Proprium extat ſymbolum de ijs, quæ uncos habent ungues; Illud, ſi libet, adeas. Nunc hirundinem expellendam cogita, nam prope terram volans, exigua venatur animalia. Hinc diſcamus, eos inter familiares minimè habendos, qui nimiùm terrenis hærent, qui tantùm exiguis inhiant. Homini autem divinâ imagine prædito nihil non exiguum, quod terrenum. Dic tu; Admittíſne ſapientem, cujus mentis volatus te ad ſublimia, & digniora evehat? An potius ignarum, ſcurram, ſicarium, & alios, qui vitiorum, ac inſcitiæ ponderibus te ipſum ad inferna ſecum trahant? Dic, quæ interior tibi familia? Quæ cogitationes, quæ cupiditates, quæ curæ? Cave, ne hirundines prope terram volitent omnes, ut tibi omnia venentur vana, præter pernitiem. Symb. 20. Senec. ep. 1. n. 27.

Nam

Nam cicadas Muſis ſacras, & canoras interficit. *ap. Plutarch. ubi ſup. & Aelian. de anim. hiſt. l. 15. c. 17.*

Natal. Cõ. myth. l. 4. c. 10. Plat. in Phædr & Philoſtr. in vit. Tyan.

Cicada, & Apollini ex Ariſtophane ſacra, & à Muſis canora ex Platone, ac Philoſtrato. Sacrilega eam interficit hirundo. Meritò igitur eijcienda. Illos ideò fortaſſe, qui Muſas explodunt, eodem vocabulo, quo hirundinem, appellat comediæ princeps in Ranis. At ſi apiculam Muſis ſacram nefas lædere, quantò magìs hominem, Camœnis nedum, ſed Deo? Hinc pateat illorum culpa, qui cum Nerone ſapientem delent, cum Venceſlao ſacerdotem. Idem agit invidia, quæ iuxta proverbium illud ex Nazianzeno, *hirundines cycnos cavillis inceſſunt*, hominem juſtum literis, ac virtutibus deditum obtrectationibus, ac probris uſque ad paupertatem, ad mortem, ad infamiam impetit: Idem luxuries, quæ virum, aut mulierem Deum laudantes in ipſo templo, Deo junctos in ipſo clauſtro, impiè vexat. Nec improbi deſunt, qui has hirundines, Rhodiorum more, invitant, nec non domi, & in animo amplectuntur, ac fovent.

Sveton. in Ner. Dubrav. l. 23. D. Greg. ap. Novarin. adag. tom. 1. n. 322. Athen. l. 8. c. 1.

Vnde meritò expellitur, qui verbum perſequitur. *Hervet. ac Heinſ. in Clem. Alex. Strom. l. 5.*

Quid ſibi velit Clemens non ſatis percipio. In cicadàne, quæ nihil aliud, niſì vox, perſequitur verbum hirundo? Hinc eos in commercium minimè recipiendos dicerem, cum quibus

ne

ne verbum quidem licet proferre, in quod, vel divulgandi, vel contradicendi ſtudio ducti, aut perfidiam, aut cenſuram non acuant. Niſi potius eos haud in ſapientum familiaritatem admittendos, qui res negligentes, criticè in verba tantùm vim faciunt. Sed non idem vox, & verbum. Hic aliud in cicadâ hirundinis flagitium ex Alciato haurire, liceat; Ex quo fortaſſe aditus aliquis ad mentem Alexandrini percipiendam. Sic me inter tot ſapientes Pythagoræ interpretes utinam Eunomi cicada, niſi victorem, haud ſaltèm illis omnino, quoad ſtudium, imparem faciat. Strab 16. Hirundinem igitur emblematum autor, græcum epigramma imitatus, corripit, nam cicadam Embl. 180. Epigr. gr. l. 1.

Stridula ſtridentem, verna vernam, hoſpita lædit
Hoſpitam;

Impium enim eſt ejuſdem ordinis viros ſe mutuò conficere, ſubdit Germanus interpres. Ad Clementem redeo, apud quem *meritò expellenda hirundo, quæ* in cicadâ *verbum perſequitur*. Quid pro verbo? Logos apud Græcos, & verbum, & analogiam, hoc eſt proportionem, ac ſimilitudinem ſignificat; Quod ex Budæo, & Camerario pluribus oſtendit Stephanus. Vulgatum illud Heſiodi, figulus figulo invidet, faber fabro. Sic aulicum ad te accerſe, militem, conſiliarium: Hic ſæpe, quaſi apud te famam, lucrúmque non alioquin captaturus, maledictis, probríſque alios ejuſdem ordinis Thuil. Theſ. græc. to 2. In oper. & di.

 dinis

dinis viros onerat. Cave, ne tibi has hirundines ità cicadis infeſtas in familiaritatem, aut amicitiam adſciſcas. Qui ſibi ſimilem lædit, amicus etiam lædet amicum. Sed ulterius perge: Cui maximè ſimilis homo? Deo ſanè magìs, quàm cicada hirundini, ad cujus ſimilitudinem creatus. Deum tamen magìs, quàm hirundo cicadam, lædit homo; Sícque ſe ipſum. Viros hujuſmodi eijce; Si tu ipſe talis, eos, eáque abs te dimove, quæ talem Deo, tibíque faciunt.

Geneſ c.1. nu.27.

Insuper Athenienſibus cicada nobilitatis nota: Quid quid hanc deturpare valet, arce. Vera in genere, ac virtute nobilitas. Hominis origo à Deo; *Virtus ab Altiſsimo*, & *dominus virtutum ipſe rex gloriæ*. Senſus igitur, amici, cogitationes, opera, quę te ipſum à Deo, & à virtute abducunt, peſſimę hirundines tuam inficiunt, ac ideo interimunt nobilitatem: *Cohabitantes* ergo *tecum ne habeas*.

Thucid. init. l. 1. & Pier. l. 26.

Geneſ. c. 1. n. 7 Sap. c. 6. n 4 & pſalm. 79. n. 8.

Amplius ex Strabone duplex cicadarum genus: Quæ in Locrenſi agro verſantur, ſonantius ſtrepunt; Quæ in Rhegino, ſunt mutæ. Solinus ex Granio hanc taciturnitatem à ſuperis tradit juſſam, ne Herculem è ſomno excitarent. Hirundo, quæ mutis infeſta, ille mihi eſt, qui noſtram odit quietem; Hujuſmodi ſunt amor, odium, avaritia: Quæ ſtridulis, qui ſemper nos dormientes cupit; Servus nequam, æmulus, otium. Vtraque peſſima; Ideo ſemper expellenda.

l. 6.

c. 8. de Ital. & Plin. l. 11. c. 27.

IN-

INCONSTANTIA: *QUOAD DISCIPLINAM*. Inconſtantes enim viri, qui velut hirundines exiguo temporis ſpatio apud nos ſunt, ad dogmata non admittendi. *Iambl. protr. c. 21.*

Inconſtantia nimiùm diſtat à ſapientiâ, quæ à Simonide in quadro poſita. Nam fœmina inconſtans, abſque fœminâ oritur Pallas; Montíſque ſtabilitatem diligunt Camenæ. Inconſtans vir apud nonnullos cancro ſimilis, qui modò ante, modò retro, modò in tranſverſum incedit. Hoc non ad ſapientiam, ad inſcitiam iter. In ipſo cæleſti cancro ſplendet aſellus, hieroglyphicum ignorantiæ. At, quendam audio; Ille puerilibus momentis pene tacto Minervæ limine, tum inter baccanalia, convivia, & amores, tum inter venationes, & aleam, tum ruri otiando, tum in civitate ſui pompam exhibens, *velut hirundo inquietus per diverſa diſcurrit*; Cum Plautino Amphitruone *omnes plateas perreptat*, nunquam ſtabilis, præterquam *in medicinis, in tonſtrinis*; Tranſeuntium ibi ſauciat famam, de quibus illud diceres, *in medicorum artem confiſi ſunt, & mortui ſunt*; Hîc proximum ſic glubit, ut de illo repetas, *decalvavit, & raſit, & præcidit tunicas ejus à natibus uſque ad pedes*. Ità diem totam, ſic totum annum impendit. Attamen repentè in accademiam, in theatrum proſiliens jactabundus, poetæ, ac oratoris exercet munera, & *velut hirun-*

Ap. Plat. in Prot. Stob. ser. 44. & Rhod. l. 18. c. 14. Apoll. arg. l. 4. & Lucian. de Fov. & Vulc. Iohan Scolast. ap. Thuil. in Alc. embl. 33 Hygin. de sign. l. 3 & Pier. l. 12.

P. Pet. Dam. Opusc. 31. c. 6.

Plaut. Amph. Act. 4. Sc. 1.

2. Paralip. c. 16. n. 12.

1. Paralip. c. 19 n. 4.

Yoni. in alphab. proverb. *do clamans pluſquam cygni decem*, attentionem, plauſúmque à populo extorquet. Quid hoc? Plutar. in Numa & Gell. l. 7. c. 1. Dicam: Vel ſuam cum Numâ hic habet Egeriam, aut Iovem cum Aphricano, vel populus allucinatur, qui ea tantùm laudat, quæ ſuæ imbecillitati conſonant; Verùm prope ad ſapientum nares admota, vel furtum redolent, vel inſcitiam: Ità ut de illis diceret Ariſtophanes

In Ran. Vide Eraſm chil. 2. cen. 2. ad 2.

Sunt iſta folia, & ſtulta blateramina
Muſæa HIRVNDINVM, artis ac ſubverſio.

In Muſarum viridario, ut ſapientiæ lauream aſſequaris, non ſatis eſt, exiguo temporis ſpatio, curſímque flores carpere alieno labore partos. Opus eſt non intermiſſo, ac quotidiano ſudore virtutis agrum colere, ut de tuo tandem coroneris.

QVOAD AMICITIAM. Nam mutabiles in amicitiâ non habendi. *Plutar. in libell. de prac. Pyth. interp. ap. Gyral. to. 2.* Ac temporarij amici explodendi. *Cal. Calc. de ſilent.* Qui tempore infelicitatis recedunt. *ap. Gyral. de Symb. Pyth.*

Cur quereris? Nam tuus amicus tempore infauſto receſſit? Querere potius, nam pro amico Ariſt. de Color. c. 6. hirundinem elegiſti, quæ ſemper inconſtans, & locum, & colorem mutat: Querere, nam verè, cujus eſſet amicus, adhuc non agnoviſti. Qui utile tantùm, aut jucundum, quæ in hoc mundo inſtabilia, diligit, nec in dilectione ſtabilis, nec

eſt

eſt amici, ſed ſui amicus. In agro haud ſolido fundamenta jeciſti, quid mirum, ſi præceps ruit ædificium. Perfecta ſolùm in virtute amicitia; Ariſt. mot. l. 8. c. 3. In quâ, & jucundum, & utile, & bonum permanent. Virtus enim ſtabilis quocunque tempore bona, delectat ſemper, ſemper juvat. Verùm cave, ne in deligendâ virtutis, ac boni ſtabilitate, allucineris:

Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & umbrâ. Turon. ſat. 14.

Dic, tanquam bonum quid magìs amas? Iuventutem, divitias? Temporis, ac fortunæ rotis, quid inſtabilius? Egeſtatis, ac ſenectutis accedat hyems, velut hirundo, recedet amicitia. Audaciam in ſicario, facundiam in lenone, formam in ſcorto virtutes putas? Falleris. Tranſeunt hæc omnia, quæ nec amica, nec bona per ſe; Amica, & bona tibi videntur: Sed verè mala, verè inimica, ſi te perimunt; Nec bona tibi unquam, niſì quum à te diſcedunt. Quæ igitur in his amicitia? Vis amorem tuum in tuto ponere? Deum ama; In quo bonum omne, in quo perpetua ſtabilitas, qui ſemper idem tecum, ac pro te ſemper.

GARRVLITAS. Nam garruli, & loquaces explodendi. *D. Hierony. adv. Ruf. Cyrill. cont. Iul. l. 9. & Beroald in ſymb. Pyth.*

Interpretatio hæc pythagorico ſilentio valde conformis, iniuſtè mihi refellitur à Plutarcho. Symp. 8. qu. 7. Verè picam, gallinam, perdicem aves multò magìs, quàm hirundo, obſtrepentes non arcemus:

mus:

mus: At ex illis aliqua nobis, vel utilitas, vel delectatio: Sola in hirundine infauſta garrulitas. Hic ſupra Alexandrum, in Antonij navi, ac tentorio, in Pyrrhi, ac Cyri aulâ, & in Antiochi tabernaculo garrulas hirundines prætermitto, è quibus domeſticorum inſidias, caſúſque infelices indicarunt aruſpices. Veriùs loquar. Quid familiarium verboſitate inſidioſius?

Arrian. de Alex. l. 1. Plutar. in Ant. & Pyrr. Xenoph. in Cyr. l. 1. & Tul. ob ſeq. de prod. c. 87.

Iuvenal. ſat. 9.

Lingua mali pars peſſima ſervi.

Mendax juſti famam dilaniat; Veridica domûs patefacit arcana. Famulorum cœtus, adulantium proditiones id probent. Verùm garrulitas è domo eijcienda, ne ſecreta domûs divulget? Vulgum igitur magìs times, quàm Deum, cui cuncta patent. Aquini poetam audi;

Ibi.

Secretum divitis ullum
Eſſe putas? ——— Claude feneſtras,
Vela tegant rimas, junge oſtia, tollito lumen;
Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet.

Quid igitur agendum? Ipſe doceat Iuvenalis;
Vivendum rectè.
Ad quid hoc præcipuè?
Vt linguas mancipiorum
Contemnas.

INGRATITVDO. Nam ingrata hirundo nullam contubernij mercedem ſolvit. *Plutar. ſymp. l. 8. q. 7. ac Aelian. de hiſt. an. l. 15. c. 17.*

Per-

Perſæ parentes, amicos, patriam, Deum ipſum ab ingratis negligi, arbitrabantur. Scitè ideo, ac pythagoricè ille protulit, Xenoph. de Cyr. l. 1.

Ingratos ante omnia pone ſodales. Iuven. ſat. 11.

At hirundo avicula imbellis, quam contubernij mercedem ſolvere poterat? Heu quantò magìs ingratos, quàm hirundinem, admittimus! Illa homini pro hoſpitio, quod alijs avibus gratìs præbent arbores, eam non reddit mercedem, quam non habet, quam nequit. Sæpe à nobis in familiaritatem admiſſi, & nos ipſos munere non exiguo, ità devincire arbitrantur, & à nobis collata in ipſos beneficia damnis rependunt. Sic convictor ille, ſic amica, quibus domus, alimenta, veſtes, diuitiæ, omnia demum tua communia; Pro quibus opes, annos, quietem, libertatem, ſanitatem, honorem, animam impendis. Tibi autem pro gratijs furias, pro beneficio æternam referunt damnationem. Pejùs: Domi nedum ingratos habes; Habes in te ipſo. Quid tibi mundus, niſì hoſpitium à Deo datum? Immo quid tuum in hoc mundo, quod non à Deo? Quas verò gratias, ingratiſſime, reddis? Pro te ſanè dignum, quem Deus extrudat hoſpitio. *Hirundo, & ciconia tandem*, ajebat ille, *cuſtodierunt tempus adventus ſui; Populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Ierem. c. 8. v. 7.

ALIENA. In locum noſtrum non habenda. *Plutar. in libell. de præc. Pyth. int. ap Gyral. tom. 2.*

Ità

Prover. c. 5 nu. 7 Ità Chæronenſis interpretatio Salomonis verſiculo maxin è congrua; *Ne ſint alieni participes*
Steph. in theſ. græc. to. 4. *tui*. Chelidones apud Græcos, & hirundines dicuntur, & *barbari, quorum ſermo intelligi nequit, ſicut nec hirundinum garritus*. Avis hæc, *nec cicuratur homini, nec conſuetudinem cum ipſo admittit*,
Symp 18. q 7 autore Plutarcho: *Nec ea poteſt continere, aut ca-*
Strom. l. 5 *pere, quæ illis fuerint communicata*, ſubdit Cle-
L. 10. c. 45. mens: Ideo indocilis à Plinio dicta. Nónne igitur ſic à nobis aliena hirundo, ut cum ipsâ,
Stob. ſer. 82. nec juvet ratio, quæ apud Hieroclem *alienos etiam conciliat?* Hinc diſcamus; Si cum ijs non agendum, apud quos, more hirnndinum, ratio nihil valet, quantò magìs ab ijs cavendum, quæ ità in nobis adverſus rationem pollent, ut ipſam,
Tob. c. 2. n. 11. Tobiæ inſtar hirundinis, excæcent?

VANA. Neque enim utilis, neque delectabilis hirundo: *Georg. Venet to. 5. ſect. 5. probl. 456.*

Quoties magìs vana, quàm hirundinem, quæ nec delectat, nec juvat, domi habemus? Ludentes omnia perdimus. Quæ utilitas in ludo, quæ jucunditas? Hodie minam vici, ait ille; At heri talentum perdidiſti: Semel victor, pluries victus. Victoria in ludo non jucunda, nam centumplicatò majores jacturæ: Non utilis, nam quæ vincimus, velut gratìs adventitia, & ſpernimus, & profundimus. Felix ego, ſubdit alter in amore. Tu ergo phœnix unica, ſed forſan fabu-

fabuloſa. Nimiùm ſtoicus inter calamitates lætaris; Phreneticus in morbi acceſſione te ſanum putas: A muliere ſi tua voluptas, mendax ſæpe, ſemper inſtabilis. Nónne amas? Ergo aliquid cupis; Ergo nonnihil tibi deeſt: Amans omnia times, præter Deum; De omnibus quereris, præterquam de te potiſſimo tuæ querimoniæ autore: Bona dilapidas, ut nihil aſſequaris; Formam dum quæris, crebrò tabeſcens deformaris; Optata dum adipiſceris, optabiliora tu amittis, & animam: Hæc amoris jucunditas, hæc utilitas. Magnam in ultione delectationem capio, ait tertius; Magnáque utilitas hoſte privari. At unicum deles inimicum, excitas plures; Ideo armatis etiam magno impendio militibus undique ſtipatus multiplici adhuc afficeris timore. Nulla demum in orbe utilitas. *Omnia vanitas; Quid habet amplius homo de ſuo labore?* Eccleſ. c. 1. n. 3 & 14. Nulla delectatio. *Cuncta, quæ fiunt ſub ſole, vanitas, & afflictio ſpiritus.*

Meæ Coniect.

DE DAMNOSIS: VIRO FLEXVOSO: CVRIOSIS: MULIERIS LVXV: ODIO: DISTRIBUTIONE.

DAMNOSA. Hirundo prorſus inutilis, quanvis alba in Samo innocentem ſe oſtendat, utiliſſimas, teſte Philoſopho, lædit apes. Quid nocentius, Aelian. de an l. 15. c. 16 & Rhod l. 21 c 48. Ariſt de hiſt an. l. 9. c 40.

tius, quid damnoſius? Ideo expellenda. Hinc domi quæcunque damnum inferunt, non admittenda, noſce: Tu, qualia hæc ſint, probè conſidera, damnúmque à damno ſecerne. Quæ inſidiantur gazis, honori, vitæ, arce; At magìs damnoſa, quæ juſtitiæ, rationi, animæ. Apis

Pier. l. 26. artificij, ac operationis nota; Quæ ab opere ad otium te revocant, apem inſectantur, ideo ab

Ibi. his abſtine. Regium apud Aegyptios hieroglyphicum apis; Eas hirundines, quæ contra principem garriunt, ne domi recipias. His demum addere liceat, in ape futuram deſignari felicita-

Levit c. 20. n. 24 tem, iuxta illud, *terram dabo vobis fluentem melle*; Quid quid eam tibi tentat eripere, tanquam hirundinem apibus infeſtam, ác ideo ſummopere damnoſam, abs te dimove.

L. 10 c. 24. FLEXVOSVS VIR. Apud Plinium flexuoſos hirundo habet volatus; Ideo intra domum non accipienda; Quid quid enim à rectitudine alienum, alienum à Deo. Apud ſacros autores

Iob. c. 26. n. 13 Iſai. c. 7. n. 1 & Greg. 27 mor. 18. *coluber tortuoſus* pro diabolo. In hàc hirundine illos tu inſpice, quorum aliud in corde, aliud in linguâ. Eorum iter nunquam rectum: Metam ut adeant, favoris, adulationis, comminationum, donorum ſemita quærunt; Semper flexuoſi, & loquuntur, & agunt. Sic perfidiam, dolúmque ambiguitate fovent; Sic quoquò incidenter perveniant, eò deditâ operâ ſe tetendiſſe profitentur.

CV-

CVRIOSI. Qui *ad hirundinis modum, luſtrant* D. Hieron. ep. 4. r. Helvid. de B. v.
uni-verſa penetralia, domus, *ſi thorus rigeat*, *ſi pa-*
vimenta verrerint, *ſi ornata ſint pocula*, inter do-
meſticos non recipiendi. *Incolæ officium eſt, nihil*
præter ſuum negotium agere, nihil de alio inquirere, De offic. 1.
ait Cicero. Gregorio curioſitas vitium gra- Hom 36. ſup Euang.
ve. Iurè ideo à Locrorum principibus multa- Plutar de
bantur, qui advenientes petebant, nunquid no- curioſit.
vi eſſet: Iurè pariter à Pythagorâ expellitur hi-
rundo. Herus, qui curioſum inter familiares vi-
rum recipit, ſervi ſervum ſe facit, ſi verè Iuve-
nalis loquitur,

Scire volunt ſecreta domus, atque indè timeri. Sat. 3.

Curioſitas ex Plutarcho *ſtudium eſt, aliena mala*
cognoſcendi. Málum verò duplex; Vel à me, vel De curioſ.
à fortunâ: Illud meum eſt expellere; Non ex-
pellens, curioſis materiam præbeo. Hoc ne in
mei deriſionem vulgo pateat, curioſi non reci-
piendi; Rarò enim à curioſitate diſtat loquaci-
tas; Vnde illud Pauli *diſcunt, circuire domos ver-* Ad Timoth c. 5.
boſe, & curioſe loquentes, quæ non oportet. Si has n. 3.
hirundines admitto, fortunæ culpam meam facio.

MVLIEBRIS LVXVS. Chelidores Græcis
nedum hirundines, verùm & brachialia orna- Steph the ſr. to 4.
menta, de quibus in muliebri mundo Pollux. Salm l. 4. L. 5, c. 16.
Hinc mulieris luxum à domo putarem arcen-
dum; In eâ enim rarò ſinè ſuperbiâ, ſæpe cum
libidine, ſemper cum diſpendio. Superba in-

quietudinem parit; Nam

Iuven. ſat. 6. *quoties animo corrupta ſuperbo,*

Plus aloes, quam mellis habet.

Libidinem aut experiatur, aut excitet, parit infamiam;

Ibi. *Quid enim Venus ebria curat?*

Diſpendioſa paupertatem; Quoniam

Ibid. *Prodiga non ſentit pereuntem fœmina cenſum.*

Diod l. 12. & Rhod. l. 7. c. 10. Zeleucus ideo, quod alij narrant de Syracuſanis, argutè vituperij pœnâ ſtudens mulieris cohibere luxum, præſcripſit aureis tantùm circumponendam ornamentis, cùm ſcortari, aut amatorem ſibi moliri ſtuderet. Tu, ne fruſtra id tentes, chelidonem domi ne habeas.

L. 4. c. 12. & l. 10. c. 24. ODIVM. Autore Plinio, tecta Biziæ in Thraciâ, offenſionis memor ſibi à Tereo illatæ, nunquam ſubit hirundo. Hinc ſymbolum, eam eijciens, veteris offenſæ recordationem, ac inveteratam in odio pervicaciam, nec domi, nec in animo habendam, nos doceat. Hujuſmodi qui vel ſecum, vel in ſe, habet hirundines, quæ odia nutriunt, quæ vindictam ſuadent, caveat ne ab his magìs pernitioſam, quam Tobias, experiatur cæcitatem.

DISTRIBVTIO. Eijcienda hirundo, ne ſit nobis non juſtæ diſtributionis exemplar. Miram in ciborum partitione cum filijs æquitatem ſervari ab hirundine, ait Aelianus; Nam *ſuam cui-*

que

que tribuens dignitatem, primum in lucem editum primò paſcit, deinde ſecundum, ſicque deinceps uſque ad quintum. Injuſta mihi prorſus hæc diſtributionis ratio. Non primogenito, verùm magìs eſurienti cibum prius impertiret juſtitia. Sic nonnulli ſolent in comitijs. Diviti, ſeniori, primò roganti, qui ſæpe minus apti, promittunt ſuffragia: Petat indè juſtus, egenus, ſapiens, idoneus, dignior, denegantur. Quæ diſtributionis æquitas? Hirundinis prorſus. Ità ingenuitatem, ac fidem jactant, dum injuſtitiam exercent. Ab his longe abſtinendum. De hiſt. ani. l. 15. c. 14.

AN-

Digitized by Google

ANNVLVM ANGVSTVM NE FERAS.

Symb. XXIII.

Var. Lect.

Annulum ne geſtato: Arcer. in Iambl. Heint. in Clem. Alex. & Polit. *Neferas:* Ficin. *Anguſtum annulum*. Xyland. in Plutar. *Arctum*. Eraſ. *Anguſtum, arctúmque:* Gyrald.

Int. Var.

DE MOERORE: CORPOREIS: NIMIA PARSIMONIA: SERVITVTE: MATRIMONIO.

MOEROR. Ne vixeris anxiè. *Eraſ. cum D. Hierony.* Sed exclude ab animá dolorem. *Rheucl. de art. cab. l. 2.*

Arc in ea. ſtig in Iambl. ANnulum arctum nedum Eraſmus habet, quidquid Arcerius dicat, ſed etiam Xylandri Plutarchus: Vterque pro mœrore. At qui anxiè vivit, forſan hîc diceret aliquis, arctum non tenet annulum, tenetur ab ipſo. Mœrorem, ſponte quis admittit? Quis valet, arcere? Eraſ chil. 3 cen. 6. ad. 34. Cum Diogeniano dicam, *nemo læditur, niſi à ſe ipſo*. In hac vitâ nullus animi dolor, qui verè nos capiat: Illi nos ipſos tradimus, vel cauſam præbentes, vel noſtra putantes, quæ aliena. Cruciaris tu, quia ludens patrimonium perdidiſti, heluo ſanitatem, ſceleſtus libertatem, ac patriam.

triam. Dic quæ alea, qui pyrgus te coegit ad paupertatem, quæ ad morbum menſa, quæ ad carcerem, quæ ad exilium prudentia? In ſtricto annulo te ipſum coarctaſti. Rurſus triſtaris, quia non aſſecutus, quod optaſti, quia perijt frater, aut filius. In his quid tui amiſiſti? Optata extra te ſunt, ergo aliena; In fratre, aut filio nihil tuum, niſi relationis nomen: Corpus terræ, animum Deo reddidere. Triſtitiam igitur ipſe tu venaris; Tuum animum tu ipſe in anguſtum conijcis annulum.

CORPOREA. A corpore, quaſi annulo circumpoſita mens ne carnis occupatione præfocetur, ſed ab omnibus corporalibus, contemplando, ſe ipſam ſegreget. *Iambl. protr. c. 1.*

In nobis quale mentis ſtudium? Contemplando ſegregatæ ne à corpore, an præfocatur ab ipſo? Nil aliud meditatur, niſi peregrina ciborum damna, niſi nova veſtium diſpendia, niſi artificioſum comæ, oriſque mendacium. Sic

corpus onuſtum
Heſternis vitijs, animam quoque prægravat unà, Horat. l. 2. Sat. 2.
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Ità digitus annulo inſervit, non annulus digito.

NIMIA PARSIMONIA. Hæc in victu nimis adſtricta fugienda. *Plutar. in lib. de præc. Pyth. ap. Gyral. tom. 2.*

Parſimonia magnum eſt vectigal, ajebat Cicero. In Parad. Nimia, vectigal non meum, ſed arcæ. Illa digna quidem virtus; Hæc ſordes viro prorſus indigna. Sed nî fallor, vanum de frugalitatis exceſſu

ceſſu præceptum huic ſeculo, cui *nimiam parſimoniam* ironicè, ut Neroni, objiceret Petronius. Non amplius vivunt Patrocles, aut Euchiones: Apud Dyrrachium ſolius lapſanæ uſus à Cæſarianis jam perijt exprobratus: Nunc rari ſunt cradophagi, & cumini ſectores: Rari, qui ſordibus ſqualentes mazâ obolo emptâ convivium parent; Qui ad vitandum hoſpitem, rancidum laudent apium. Noſter ſuperbus conviva res

Plut. de am & ad dif. aral. chil 4. cen 4. ad. 60. Plin. l. 19. c. 8

Athen. l. 4. c. 19

Horat l. 2. ſat. 2

Deſpicit exiguas,

Iuvenal. ſat. 11

annulúmque nimis latum gerit, cujus gemma, in victûs luxurie, Cleopatræ haud cederet unioni. At nimia in victu parſimonia, ſi reſpicit expenſas, vitium quidem eſt, ſi ingluviem, virtus: Nimia liberalitas, vel expenſas, vel ingluviem reſpiciat, ſemper vitium. Vis utranque ad virtutis normam redigere? Ingenioſum ALEXANDRI SEPTIMI PONTIFICIS MAXIMI numiſma conſule. Hoc auream promit vocem, ut libenter avarus, ac prodigus audiat orbis; Modúmque ſumptibus præſcribens, Horatianum illud repetit, TEMPERATO SPLENDEAT VSV.

Plut in Anton.

SERVITVS. In ſervitute, ne vivas. *Eraſ. chil.* 4. *cen.* 1. Sed vitæ genus liberum ſectare, nec vinculo ſemetipſum conſtringe. *Plutar. de lib. educ.*

Annulus pro compede apud Martialem, à Promethei vinculis apud Plinium, & alios: Vbique denotat ſervitutem; Ideo Flaminem Dialem, tanquam nullo modo illigatum, nec hederam tan-

L. 3 epig. 29. in prooem l. 33 Pier l. 36 Rhod l. 6 c. 19. & Calleg. in equitat.

tangere, nec in aliquâ ſui parte nodum gerere, nec annulo uti, niſi caſſo, & pervio fas erat. Sed, ais tu, quis ſpontè ſervus, quæ arbitraria libertas? Lêges me liberum nolunt; Neceſſitas me ſervum facit; Me in vincula conijcit tyrannus, cujus [Gell. l. 10, c. 15.]

Quiſquis ingreditur domum,
Servus repentè fit. [Philomat. Pomp. act. 5. Sce. 2.]

Annulum igitur aut ferre, aut abijcere, non eſt meum. Deciperis. Vis ſponte ſervos? Eos audi; *Eme nos in ſervitutem regiam?* Vis ex arbitrio liberum? *Solve vincula colli tui*. Sponte ſervus, qui perturbationibus obtemperando *ſervit Dijs alienis*: Lîber, qui ſibi imperat. Iuſtus non ſervit, dum legibus pâret; Id enim juxta legem facit, quod & ſinè lêge faceret: Non ſervit neceſſitati ſapiens, qui nihil deſiderat, cui nihil deeſt, qui nullius indiget: Nec tyrannidis pavet vincula ille animus, qui etiam in ſervo corpore, lîber. Ne igitur annulum anguſtum geras; Hoc eſt ne animum tuum verè liberum tu ipſe in ſervitutem redigas. Corpus, iterum ais, animi carcer; Ideo Patiens *circundediſti me carcere*. Quæ autem in carcere libertas? Dicam. Quid valent contra ſpiritum vincula? In hoc carnis ergaſtulo tuæ menti extra ipſum lîber contemplationis non denegatur volatus. Hinc philoſophiam, quæ [Geneſ. c. 47 n. 19.] [Iſai. c. 52. n. 2.] [2. Reg. c. 8. n 8.] [Iob. c. 7. n. 12.]

Ii *Mor-*

Philomat. Mul n 67. *Mortalis regimen vitæ, meditatio mortis,*
In hoc Symb. mentis à corpore ſeparationem vocavit Iamblicus. Cave tu, ne tuus ipſe animus nimiùm diligat carcerem. Odíſne? Amas? Iam tibi ſponte
Apule. l. 9. met. arctos annulos impingis. Ità *pedibus*, ut ajebat ille, *annulatis* propriam ſpernis libertatem.

MATRIMONIVM. Ne nos in duram ſervitutem conijciamus, qualis eſt conubij. *Thuil. de Symb. Pyth.*

Hoc mihi malè, ac impiè dictum. Malè, nimis enim à Pythagorâ diſſidet, qui velut à ſacris paginis eruditus, ſuadebat gentibus, *ut ab*
Exod. c 2. n. 14 & Geneſ. c. 2. n. 24 *illegitimo thoro, cui ſacrificium non præceſſiſſet, abſtinerent, magiſque uxorem, quàm parentes diligerent*. Impiè, nam ſi annulus matrimonij nota,
Iambl. de vit. Pyth. c. 31. & c. 11. doctori etiam annulo deſponſatur ſapientia, Epi-
Tertul. de Idol. c. 12 ſcopo eccleſia, ciuitas principi. Quod igitur de
& Iun in not. Roping. de matrimonio, idem etiam de magiſterio, princi-
jur. inſign. p. 1. c. 2. patu, ac ſacerdotio dici, poſſet. Quid nequius?
m. 2. Concil. Aquiſ. Interpretationem expiatam ſic putarem: Ver-
c. 9. to. 3. Tolet. 4. bum fero, pondus indicat: Conjugij, doctora-
to 2 c. 7. Iob. Tritûs, principatûs, ſacerdotij annulum ne feras;
them. in chron. c. Id eſt ne ità geras, ut hæc tibi ſint pondera.
30. & Sigon. de Connubium illi pondus, cujus non ad faculta-
reg. Ital. 14. tum, aut neceſſitatis menſuram, ſed ad æmulationem, ac uſque ad egeſtatem, impendia: Qui
In Symb. ap. Gyral. contra Samij præceptum, aurum potius, quàm uxorem adijt, eóque conſumpto, cum adulterâ delirat. Doctoratûs laurea illi oneroſa, qui, vel deſti-

deſtitutus ab ingenij viribus aſinum togâ operit, vel à ſenſibus, ut Apollo in Daphne, perditur. Illis regnum grave, qui *injuſto prælij pondere* populum opprimunt, nimiiſque vectigalibus *argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola*. Illis ſacerdotium, qui vel non ſponte ſumunt, vel dignè non exercent, ac neſcientes Dominum *prævaricati ſunt*. Annulum igitur gere quidem; Ne autem feras: Hoc eſt *proice abs te pondera humana; Onuſque Dei leve*, tu ipſe *jugo iniquitatum, Aſſyriique oneribus*, ne aggraves.

1. Reg. c. 31 n. 3. & Exod. c. 1. n. 10. & 11. Osea. c. 8. n. 4.

Ierem. c. 2. n. 8. Eſdr. c. 14. n. 14. Thren. c. 5. n. 14 D. Hieron. in Iſa. c. 14. n. 25.

Meæ Coniect.

DE AVTORITATE, ARCANISQVE PRINCIPIS: INANIBVS REBVS, AC OTIOSIS: LATENTI MALO: VITA: VOLVPTATIBVS HVMANIS.

PRINCIPIS AVTORITAS, ET ARCANA. Hæc in annulo; Sed juncta periculis: Ergo ne feras. *Veteres*, apud Macrobium, Cæcinâ teſte, *non ornatûs, ſed ſignandi causâ, annulum ſecum circumferebant*. Sic annulo autoritas impertiebatur antiquitus, arcanáque obſignabantur; Sed raró abſque periculo. Aſſuerus *tulit annulum, quo utebatur, de manu ſuâ, & dedit eum Aman, dixitque ad eum, age, quod tibi placet*. En autoritas. Quid indè? *Suſpenſus eſt Aman in patibulo*. En periculum. Cum Hepheſtione communicatâ

Satur. l. 7. c. 13.

Eſth. c. 3. n. 10.

C. 7. n. 10.

Plutar. in Alex. Olympiadis epiſtolâ, ori ejus annulum Alexander admovit, illi ſilentium ità imperans. En arcanum. At illius, etiam annulo ſignati, difficilis cuſtodia; Ideo ille, *quis dabit ori meo cuſto-* Eccleſ. c. 22. n. 33. *diam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ut non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me?* Hinc Philippides Lyſimaco petenti, *quid vellet ſibi da-* Plutar. de curioſ. *ri, quod vis*, inquit, *modò ne ſecreta*. Sed quot principum arcani participes noſtra vidit ætas, Diod. Su. l. 5. c. 11 & vanâ solùm Tantali garrulitatis ſuſpicione, infe- O. id. l. 2. eleg. 2. lices? En pericula. Quid mirum? Autoritas impertita, vel ab æmulis vexata, vel ob principis reſipiſcentiam, quodammodo parem, ac ideo inviſum me facit autori; Ac

Juven. ſat. 9. *Qui modò ſecretum commiſerat, ardet, & odit,*
Tanquam prodiderim quicquid ſcio.

RES INANES, AC OTIOSÆ. Annulo ignaviam honoribus decoratam, nonnulli apud Hierogl. l. 41. Pierium deſignarunt. Ac meritò; Illo enim ſini- Gell. l. 10. c. 10. ſtra manus potiſſimùm ornata; Quæ apud Hora- Hor. l. 2. ſat. 7. & tium inanis, apud Macrobium otioſa; Et ple- Macrob. Satur. l. 4. c. 13. rùnque latet, juxta illud *abſcondit piger manum* Proverb. c. 19. n. 24. *ſuam*. Sed annulus in utrâque manu geſtatus o- Plin. l. 33. c. 1. tium parit ſemper; Nam, ut doctè Plinius, in dexterâ ſartoris uſum impedit, in lævâ clypei. Cujus ratio forſan id etiam, quod de ſiniſtrâ ma- Macrob. ſat. l. 4. c. nu, ex Attejo Capitone; Crebro enim manûs offitio, ac motu gemmæ frangerentur. Annulum igitur

igitur ne feras; Hoc eſt ne manûs operationes impediens, otium agas. In lævæ digito, qui minimo proximus, cum Valeriano, ipſum otium inſpice; In annulo *anni circulum*, à quo ex Varrone, ipſe annulus; Ac vide, utrum deceat, in otio annos terrere. Sed jam de hoc alibi. Lævâ interim aureum annulum ne geras; Hoc eſt, ne in otioſis, & inanibus pretioſa diſſipes. Pró quot in orbe Xerſes platanum ſtultè annulis, torquibúſque donant. Sic tu facis, qui amplam ædem ità vel ædificas, vel ornas, ut etiamſi univerſam tui familiam capiat, dici adhuc poſſit inanis, & otioſa; Qui profusè, ac forſan è ſubditis extorto ſanguine, otio nutris belluas, ſanniones, milites; Qui ludum, aut luxuriem viliſſimas deſidiæ ſordes, tui patrimonij diſpendio, frequentas; Qui toto ingenio, hoc eſt melioris tuæ partis jacturâ ſtudes, ac ſudas in ludicris; In cujus aulâ ſervi, in cujus menſâ dapes, in cujus bibliothecâ ſapientes, in cujus arcâ pecuniæ, in cujus veſtibus aurum, ſyrma, amenta, vitaéque tam ſumptuosè otiantur; Qui denique mundana hæc, quæ *omnia vanitas*, perditè uſque ad animæ pretium inhias. Aureo annulo ità manum ſiniſtram inanem, ac otioſam ornas: Erubeſce: Dum ornas, quæ indigna, ſtultus ornamenta perdis; Nec ornas; Ea enim velut lydio lapidi collata ipſis ornamentis vileſcunt.

[Margin notes: I. 4. 1 Paralip. c. 30. u. 1. — L. 5. de long. lat. — In Symb. 10 14. 19. &c. — Aelia. var. hist. li. 2. c. 14. — Eccleſ. 1.]

LA-

LATENS MALVM. *Peſſimum vitæ ſcelus fecit, qui annulum primus induit*. Hæc Plinius: Forl. 33. c. 1. taſſe nam ſubdit, *ſcelera, ut plurimum, annulo fiunt.* Meritò igitur *cunctanter id fecit.* Verùm cur lævis mánibus, ac latentibus induit? Forſan, ut malum celaret? Ad quid proderat? Si annulos geſtare malum, cur geſtas? Abſcondis, velut Gygis annulum habens? Errorem duplicas; Malum facis, & curam prohibes; *Qui* enim *abſcondit ſce*Prou. cap. 28. n. 13. *lera ſua, non dirigetur*. Sed Platonem, ac Ciceronem audi. Ille, *juſtè agendum, ſive Gygis habeas annulum, ſive Plutonis galeam;* Hic *Gygis* Pla. de rep. l. 10. *annulum ſi habeat ſapiens, nihil plus ſibi licere putet,* Cic. 3. de off. *quàm ſi non haberet. Si* enim *omnes Deos, homineſque celare poſsimus, nihil tamen avarè, nihil injuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter faciendum.* Si malum ergo, & agis, & tegis, vel homines magìs times, quàm Deum, vel Deo aliquid ab hominibus occultari poſſe, credis. Vtrunque impiè ſtultum.

VITA. In morte, ac luctu annuli deponeKirch. de annal. c. 22. bantur; Quod, & à Pythagoreis, *quum funus effe*Iambl. de vit. Pyth. c. 35. *rebatur*, ſervatum: Ad quid ergo in hac vitâ ferendi, quæ luctus, & mors? Vitæ, ac fletus exordia eadem eſſe, quotidie ipſi nos experimur; Vitámque nihil aliud eſſe, quàm mortem, ac eum plus mori, qui plus vivit, ex eo Senecæ patet, nam continuè nobis aliqua vitæ particula demitur,

tur, *quódque ætatis retro eſt, mors tenet*. A ſym- Epiſt. 8.
bolo nos igitur diſcamus, probè conſiderandam lachrimabilem hujus vitæ mortalis conditionem. Ac indè videndum, an liceat vanitatibus incumbere; Síque dedecet, corpus ornari annulo, quantò magis animam vitio deturpari?

VOLVPTATES HVMANÆ. Non me fugit, apud Græcos eodem vocabulo, & annulum, & podicem ſignificari, nec non alia, quæ Scaliger ſubdit in Varronis quinto de linguâ. Verùm interpretationem, quæ forſan ex illis legitimè oriri poſſet, nunc ſileo, digitum enim ad os admovet modeſtia. Voluptates interim humanas contemplor, quæ ſæpe noxiæ, ſemper anguſtæ. Dic; Annulo arcto delectaris? Cave, ne, ut exornes manum, digitum excories. Ità mulier illa, ut magìs oculos alliciat, veſtem induit arctam uſque ad deliquium, longam uſque ad pedis lapſum, deficientem uſque ad tremorem, auro, gemmíſque oneratam uſque ad laſſitudinem, ad paupertatem. Sic ille adoleſcens liberâ nimis curioſitate procaces quærit vultus, ac in oculorum circulis cum pulchritudine jocatur: Tandem ſe ipſum perdens, in amoris annulo ità ſuam conijcit libertatem, valetudinem, facultates, animam, ut ex eo amplius evadere nequeat. Mundus hic, & ſpherarum circulis, & Homeri ca- Iliad 8. ac Ma-
thenâ, tot velut annulis, compactus, ità mutuis crob. in ſomn. l. 1. c. 14.

rerum

rerum vicibus religatur, ut in eo nulla ſit voluptas, cui non copulata calamitas. Ideo forſan an-
Macrob. ſat. l. 1. c. 10. tiquitus in arâ Volupiæ, Angeronæ ſymulachrum. Formam inſidiæ, dignitatem curæ, divitias pericula, peregrinationem incommoda, fortunam viciſſitudines comitantur. Dulciores etiam dapes ad nauſeam impellunt, delitiæ corrumpunt, luxuries enervat, ludus depauperat, venatus & hodie ſuos habet Adonides. Ne igitur his annulis,

Philomat. Muſ. n. 78. *qui ſociant lætis gaudia mæſta malis*,

te ipſum nimis arctè devincias. Verùm, quænam in hoc orbe voluptas, quæ humanæ menti non ſit, velut annulus, nimiùm anguſta? Nullus hîc
Horat. l. 1. ſat. 1. *ſuâ ſorte contentus*; Ideo miles invidet mercatori, mercator militi, agricola juriſperito, juriſperitus agricolæ. Quiſque arctum annulum experitur. Vis latum, ac tuæ inexplebilis menſuræ capacem?
De ling. lat. l. 5. Nam cum Varrone à circulo annuli etymon, Deum quære, cujus hieroglyphicum apud Perſas, Aegyptios, alióſque in circulo, quem *principium*
Auſt. in Mechan. *miraculorum* vocavit Philoſophus. De quo, & inſtar annuli ſignatorij dictum, *pone me, ut ſignacu-*
Cant. c. 8. *lum, ſuper cor tuum*. Extra hunc annulum ſemper humanus animus inter infelicitates, inter anguſtias.

IN

IN ANNVLO NE DEI GESTES IMAGINEM.

Symb. XXIV.

Var. Lect.

Dei figuram in annulo ne geſtato. Eraſ. & Thuil. *Ne inſculpas:* Ficin. & Gyral. *Deorum imagines in annulo ne feras:* Volf. in Cyril. *Ne ſculpas:* Herv. in Clem. Alex. *Dei formam, & imaginem annulo ne inſculpas:* Iambl. Arcer. *Dei typum annulo non imprimes:* Scutel. in Iambl. *Dei imago in annulo non circumferenda:* Diog. Ambr. *Dei effigies:* Svid. Port. & Volf.

Int. Var.

DE DEO: DEI MENTIONE: DIVINIS MYSTERIIS: ANIMA HVMANA: HAC VITA.

DEVS. Non recipit materialia vincula deſignata per annulum. *Iambl. protr. c. 21.* Ac eſſentiam eius, quæ intelligentiâ percipitur, colere per materiam, eſt eam per ſenſum vilipendere. *Clem. Alex ſtrom. 5.*

MOyſes, multò ante Pythagoram, ſculpta Numina interdixit Hebræis: Romanis, poſt Moyſen, idem Numa; *Nam Deus non aliter, quam mente, poteſt attingi*. Homerus tamen *auſus eſt etiam Dijs hominum formam affingere;* Illíſque tribuit eandem Epicurus. Cæperunt homines, ait Plinius, *digitis Deos geſtare*, ac *pollicis proximo induere etiam Deorum ſimulachris*. Quod facilè, &

Deuter. c. 5. n. 8.

Plut. in Num.

An. l. de Homer. & De plac. philoſ. l. 1. c. 7.

Plin. l. 2. c. 7. & l. 33. c. 3.

Diog. in Pyth. domi forſan, Pythagoras ex patris Mneſarchi annulorum ſculptoris arte inſpexerat, ac de ſymbolo, ſymbolum edidit. Poſt Pythagoram Atejus Capito repetijt. Ac quidem tot Deos, quibus copioſa fuere Homeri ſigmenta, nux contineat anguſta: Deus verè maximus, quem *cælum, ac cæli cælorum capere nequeunt*, quomodo ab arcto annulo poterit, circumſcribi? Linea recta Plutarcho Dei figura: Ad quid eum igitur in annulo ſculpere? Sed in Deo ſanè, ut in lineâ rectâ, rerum principium, medium, & finis; Deus tamen non, ut recta linea, terminatus. Circulus & ipſe apud Aegyptios Dei fuit hieroglyphicum; Sic ad inſtar Dei, annuli circulus principio, medio, ac fine caret; Sed non, ut Deus, caret corpore. Nec igitur interminatum in lineâ, nec in annulo incorporeum imprimas.

Macrob ſat l 7. c. 13. Plin. l. 7. c. 21. 2 Paralip. c. 2. n. 6. Adv. Colon.

Verùm ſi, Moyſis, aut Numæ legibus, quodcunque ſculptile pro Deo vetitum, ad quid Samius, & Capito de ſolis annulis? Iamblicus dubitationem ſolvit. *Deus*, ait, *non recipit materialia vincula deſignata per annulum*. Qualia hæc? Quale in nobis corpus vinculum eſt animæ. Ad quod Macrobij ſententiam hîc addere, liceat. *Corpus demas, hoc eſt vinculum;* Vnde Cicero, *qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere, evolaverunt:* Hinc illud *circumdediſti me carcere*. Nec tacenda Senecæ verba; *Hæc, quæ vides, oſſa circunvolu-*

In Somn l. 1. c 11. Cic. de Rep. l 6. Iob. c 7. n. 18 In conſol ad Marc c. 24. & ad Helv. c. 11.

voluta nervis, *vincula ſunt; Hocque corpuſculum cuſtodia*, *& vinculum animæ*: En illud *educ de cuſtodiâ animam meam*. Psal. 141. n. 8. Annulus igitur, ad inſtar corporis, eſt vinculum: At corporis vinculum in homine, aut equo infert neceſſitatem; Nullus enim equus, nullus homo ſinè corpore. Ideo Macrobius, *ut conſtet animal neceſſe eſt, in corpore anima vinciatur*. In ſomn. l. 1. c. 11. Accidat, Deum aliquod ſumere corpus; Aliter aſſerendum: Per ſe enim abſque corpore Deus. Cum ergo annulus talem vinculi neceſſitatem, qualem in homine habet corpus, indicet, fas etiam ſit, contra Moyſis, ac Numæ lêges, Deum quercu, lauro, myrto, Iambl. de vit. Pyth. c. 8. cupreſſu, ac cedro ſculpere, nunquam fas erit annulo; Ne videatur Deus recipere corporis vinculum, *velut reliqua animalia*, hoc eſt ex neceſſitate. In hoc Symb. Propriam indè ſtultitiam intelligat, qui vel mulierem, vel principem Deos ſibi facit corporeos, quos temporis quotidie, ac mortis experitur ludibria; Qui filium adorat, cujus imbecillitas tantùm à Deo diſtat, quantùm ab æternitate biluſtre; Qui nedum palacram, ſed balucem pro numine habet, ac ſuo libitu manibus contrectat, nec non permutat vilioribus. Hi omnes in annulo Deum ſibi ſculpunt; Ac ſic per ſenſum incorpoream ejus majeſtatem, & eſſentiam vilipendunt.

DEI MENTIO. Ne in annulo Deum ſculpas. Non enim

paſſim admiſcenda ejus mentio. *Eraſm. de Symb. Pyth.* Parcè-que de divinis diſſerendum. *Plutar. in libell. de præc. Pyth. int. ap. Gyral. tom. 2.*

Qui de diuinis etiam parcè loquitur, ignarus; Nunquam enim congruè. Triſmegiſtum audi; *In Pimãd. c. 15.* *Quod exponi non poteſt, hoc Deus eſt.* Qui paſſim rebus admiſcet Deum, ſacrilegus; Iam ejus majeſtatem ſic lædit. En Plutarchum. *De orac. def.* *Qui Deum humanis admiſcet, ejus majeſtati non parcit.* Hoc ille audiat, qui rudis, impurus, ubique, repentè, ac interdum contra Deum de Deo loquitur; Qui Deum in vanitatibus, mendacijs, impijs, in ſympoſio, in ludo, in poſtſcænio, in lupanari, & ſæpe falſum, adhibet teſtem; Qui denique ità divinitatem, quaſi annulum, habet præ manibus, ut ſibi aurum, fœminam, principem Deos faciat. Verùm quid Deo magìs ab hominibus memoriâ *Iambl. in vit. Pyth. 28.* recolendum? Ipſe Pythagoras ità Deorum recordabatur ubique, ut ad menſam ijs quoque libaret. Quo pacto igitur, cum Roterodamo, non paſsim admittenda Dei mentio? Dicam. Admiſce; Non autem *paſsim*, ut illi de quibus,

Virg. Aen. 3. *paſsimque in littore ſicco*
Corpora curamus.

Sipont. & Servi. ibi. Hoc eſt, *nullo conditionis diſcrimine*. Dei mentio habeatur, non *prout quis vult*, ſed prout quis debet. *Exod. c. 20. n. 7.* Ideo *nomen Dei ne aſſumas in vanum*. Iuſtè age, ac opus tuum, qualecunque ſit, ad Deum diri-

dirige, ſicque Dei mentionem admiſce. Probè utatur ille triclinio, hic templo abutatur impiè: Ad menſam erit optima Dei mentio, ad altare peſſima.

Nam in delicijs Dei effigies, & memoria non habenda: *Gyral. de Symb. Pyth.* Ne indignetur, ſi quid turpe agatur manu ejus figurâ inſignitâ. *Georg. Ven. t.3. ſec.1. prob.* 441.

Sanè abſque Deo *filiorum hominum deliciæ*, aut deliria ſunt, aut delicta. Ideo *uſquequo delicijs diſſolveris, filia vaga?* Deliria ſunt, nam *affluam delicijs*, ajebat ille, *& vidi, quod hoc quoque eſſet vanitas*. Delicta, nam *fornicati ſunt, & in delicijs vixerunt;* Ac *delicijs affluentes oculos* habebant, *plenoſque inceſſabilis delicti*. Manum principis imagine in annulo decoratam, vel lupanari, aut latrinæ inferre, vel alijs admovere obſcenis, etiam ob neceſſitatem, velut Paulo prætorio accidit matulam in convivio ſumenti, maximum erat crimen. Lupanaribus, latrinis, ac matulis deliciæ hominum ſordidiores; De quibus dictum, *voluptatem exiſtimantes diei, delicias coinquinationis, & maculæ*. Verùm ſi, ne humana coinquinaretur dignitas, id vetitum, quantò magìs de diuinâ idem erat ſtatuendum? Si divinæ legis memoriâ te, vel amicus, vel ſynterefis corripuit, ac nihilominus ad ſcelera properas, malè agis: At ſi, dum falſum juras, dum adorationem ſimulas, dum ſacris abuteris, Dei memoriam in ſce-

Eccle. c. 2. n 8.

Ierem. c. 31. n 22.

Eccle. c. 2. n. 1.

Apoc. c. 18.

2. ep Petr. c. 2. n. 13. & 14.

Sveton. in Tiber & Senec. de benef l. 3. c. 26.

2. ep. Pet. c. 2. n 13. cum Bed. & aeg.

lere

lere ipſo, vel tecum dûcis, vel renovas, peſſimè: Illud enim eſt principis edicta ſpernere; Hoc principem ipſum tui criminis, & ſuæ majeſtatis læſæ, teſtem adhibere. Deus ubique, ais; Nullus ab ipſo non videtur. Quid indè? A Deo videntur alij; Tu à Deo vis videri: Illud proprium divinæ immenſitatis miraculum; Hoc ſacrilegum tuæ voluntatis flagitium.

DIVINA MYSTERIA. Nam ſententia de D jis non facilè divulganda. *Cyril. cont. Iou.* Arcanáque eſſe oportet diuina myſteria. *Gyral. de Symb. Pyth.*

Diuina myſteria ob majeſtatem profectò velanda. Figura ideo inviſibilis Dei nigro lapide
Rhodig. l. 30. c. 24 à nonnullis expreſſa. Peregrini, hoſpitis, alieni-
Gyral. de Di. ſynt. 1 genæ, ignoti, ac nullo cognomine culti Numi-
Synt. 11. nis aræ apud gentes; Aureáque Palladis epigra-
Synt. 11. phe ſcriptum, *velum meum revelavit nemo*. Sed gentilium abſint deliria. Ideo velamen ſuper
Exod. c. 34 Moyſis faciem; Ideo *aurei annuli, quibus cortina-*
n. 33. c. 26 n. 6 *rum vela jungenda* in tabernaculo. Ideo veri Dei
& 33 Iſa. c. 6. n. vultus ab angelis velatus; Et *Altiſsimi ſecreta po-*
2 & Eluc. c. 12. n. 36. *nenda in loco abſcondito; Ipſe enim poſuit tenebras la-*
& 37 & Tial. c. 7. *tibulum ſuum*. Ac de ſe dixit, *non videbit me ho-*
n. 12 Exod. c. 33. n. 20. *mo*. In fidei gratiam, privati, aut publici contractûs paginæ, ac in epiſtolis, nedum politica principum arcana, ſed etiam leviora inter amicos officia, annulis obſignantur; Et ab ipſis annulis divina myſteria, in quibus vera, & præci-

pua

pia requiritur fides, vulgo erunt apertè oſtentanda? Dic, tu avare, qui tot annulatis clavibus aurum in arcâ celas; Tu zelotype, qui tot mulierem domi, quam cum Paulo velatam iubes, 1 Corinth. c. 11. n. 6. Dic, præcioſiúſne aurum Deo? Pulchriórne fœmina? Prô ſuperbam hominum ſtultitiam! Eum, quem cæteris ad beneficia conferenda expoſuit dignitas, precibus, & oculis velares annuli, & ſuperba occultant aulæa: Et abſque velo indecorè neglecta erunt illius Dei arcana, qui & ſub velo videt, audit, ac etiam, ut ait Plutarchus, *occultè benefacit?* Tot tabulæ annulo, clavóque pa- De adul. & am. diſc. rieti affixæ, in quibus Zeuxidis Helena, Ephige- Plin l 35. c 10. nia Timanthis, Apellis Alexander, Titiani Venus, regis, amaſiæ, tui ipſius effigies, velantur. At unius Dei arcana in annulis, & præ manibus hominum ſinè velo? Sic magìs hominis opus, ac imaginem conſideramus, quàm Deum, cujus opus, & ad cujus imaginem Homo. Picturam velo, ait ille, ne pulverem in eam ventus excitet. Ac Deum ſinè velo exponis homini, qui pulvis, Geneſ. c 3. n. 19 & pſal. 1. n 4. *quem projecit ventus à facie terræ.*

ANIMA HVMANA. Hæc imago Dei non merſanda in corpore, velut gemma in annulo; Nec mancipanda ſenſibus. *Rhodig. l. 16. c. 18.*

Vtinam animus noſter, velut in annulo hæret gemma, ſemper non hæreret in corpore, ſed aliquando ab eo ad divinum ſui exemplar extolleretur.

retur. Sed nihil memorat, nihil intelligit, nihil vult pro ſe, cuncta pro corpore. Immo dum hoc informat, ſe ipſum facit informem; In eo enim ſenſibus, quos ſervos habuit à naturâ, viliſſimâ ſervitute mancipatur. Sic perditè naribus, auribúſque ad quid fragrans, & armonicum trahitur, quod unico aeris motu evaneſcit: Manu ad ità mollia, oculis ad ità noxia ducitur, ut ea ipſum tactum effugiant, hæc ipſam inferant cæcitatem: Prodigo, ac vaganti ſtudio gulæ famulatur, cui domi etiam ſatìs à paupertate, unicus fuiſſet obolus, nimiùm ab eſurie. At prô ſtultitiam! Omnia tentamus omnes, ne anima è noſtro exeat corpore; Attamen ſemper ipſam in limine ponimus, ſemper foras permittimus evagari, ſi feneſtræ, ac fores animi ſenſus. Exit tamen à corpore, ut in corpore magìs hæreat, hoc eſt magìs diſtet à Deo.

HÆC VITA. In annulo hujus vitæ hieroglyphico ne Dei figuram ſculpas; Nullus enim homo Deus; Nullúſque in hac vitâ beatus. *Farr. in ſepten.*

Gentilium, & adulatorum hîc amentiam prætereo, qui tot homines, aut mortuos, aut morituros in Deorum numerum recenſuerunt. Hominem alloquor. Te, ut annulum, divinitatis charactere cur ſignandum putas? Nam te ipſo majorem nullum noſcis? At quæ comparatio, ſi te ipſum ignoras? Nam es princeps? Ergo Deus?

At

At nòn unicus, at mortalis. Nam dives? Tuum igitur numen ab his pendet, quæ pendent à ſorte. Nam fortis? Hæc etiam leonis divinitas. Nam ſapiens? In homine ſapientia, divinitas eſt in ſolâ opinione. Nam alienum vivere, ac mori à tuo pendet nutu? Verùm nec à te ipſo tua pendet vita, ſed à tuâ morte ipſe tu pendes. Nam tibi nullus Deus, niſi propria voluntas? Hæc dum ab amore, ab odio quoquo trahitur, non amplius tua: Omnia nedum cupiens, pluribus ex ijs, quæ ſunt, privatur, ſed ultra omnia ſe ferens, ob ea etiam, quæ non ſunt, cruciatur aliquando. Tantùm denique abes tu à divinitate, quantùm à te abeſt beatitudo. Imaginem Dei, ut ſis beatus, non ſat eſt, tibi effingere in annulo, in tabulâ, in Sole, in pulchritudine, in te ipſo: Divinum inſpiciendum exemplar in gloriâ. Beatum ſe jactet ille, qui nihil deſiderat: Statua eo nihil minus beata. Sit felix, qui aut dives, aut fortis; Beatus perfectè omnes felicitates complectitur. Amplius quâ beatitudine frui potes in hac vitâ, cui nec una felicitas, quam centum non comitentur ærumnæ? Pſ(?)m. In n.6.

Non æqua ſors, heu quàm citò gaudijs
Amara miſcet. Quàm mala per vices Philom. Muſ.n.29.
It major ærumnis.

Ob ſcientiam ille felix; At vel morbo, vel egeſtate opprimitur. Scientiâ, opibus, ac integrâ po-

Ll tiatur

tiatur valetudine; Quot bona, quæ deſunt? Quot curæ, quæ urgent? Quot pericula, quæ iminent? Nullus abſolutè in hac vitâ mortali felix, eo minus beatus, nam vel non omnino, vel non ſatis, vel non ſemper.

Meæ Conieſt.

DE ANIMA: FIDE.

ANIMA. *IMMORTALIS*. Eam ne tantùm putes corporis formam, ſed ejus immortalitati conſule: Sic in Dei imagine animam, in annulo corpus inſpice. In hoc eam ſculpit, qui animam ſolùm, ut corporis formam conſiderans, ità junctam credit corpori, ut annulo icon. Vel malleo conteratur, vel igne liqueſcat annulus, tota corruit imago: Non ſic de animâ, quæ etiam Pythagoræ immortalis; Quæ etiam poſt corpus viget. Eam in annulo ſculpimus, dum totam corpori mancipamus: Ità corpus ut alat, veſtiat, ornet, cuncta, quæ audiuntur, quæ videntur, immo & quæ non ſunt, appetit voluntas: Vt corpori ſerviat, in repetendis medicorum aphoriſmis, & experimentis ſudat memoria: In gratiam corporis ab intellectu de œconomiâ, agriculturâ, venatu, re culinariâ tot elaborantur volumina. De re nullâ denique cogitamus, niſí aut de corpore, aut pro corpore; Ac, quaſi præter, aut poſt illud

lud nihil aliud ſuperſit, ob ipſum animam totam impendimus, nihil pro animâ. Sic in annulo impiè divinam ponimus imaginem, animam noſtram conſiderantes, velut ſemper in corpore, nunquam extra.

LIBERA. In annuli vinculo Dei ſculpit effigiem, qui animam vel arbitrio liberam neſcit, vel perturbationibus ſervam facit. Theſauro potitur primus, nec noſcit; Quod idem, ac ſi eo non potiretur: Secundus noſcit, ac diſipat; Quod idem, ac ſi haud noſceret: In illo mens, in hoc defficit æquitas. Verùm tu, qui neſcis liberam, cur omnia te poſſe credis, quæ vis? Ità etiam te id velle ſcias, quod te poſſe neſcis. Tu, qui omnia te poſſe cupis, cur ſervam facis? Omnia ſic, quæ potes, vis non poſſe.

FIDES. *OPEROSA SIT.* Annulus Pierio fidei nota. Sed vel in lævâ, quæ, ut ex Macrobio vidimus, otioſa, vel, ut ex Plinio, in utrâque manu ſemper actionem impedit, ac otium infert. In annulis ergo fides abſque operibus; Id eſt *mortua*; Id eſt indigna Deo, qui *vita*. Primo ſacramento in nobis tantùm concipitur fides; Vt oriatur, ac vivat, opere opus eſt: Otium accedat, jam perijt: Acta iniqua ſint, à fide in perfidiam deſciſcit. Vera non in eo, qui promittit, ſed in eo, qui promiſſa implet. Viva non, quæ Deum credit, ſed quæ pro Deo, quem credit, operatur. Deum

L. 41. Sat. l. 7. c. 13. l. 33. c. 1. D. Bern. in Gen. c. 4. Iohan. c. 14. n. 6.

LVCERNA SPECVLVM NE INSPICIAS.

Symb. XXV.

Var. Lect.

Ad lucernam ſpeculum ne ſpectato. Gyrald. *Circà*, vel *ad laternam* ne ſpeculare Scutel. in Iambl. *Ne aſpicias in ſpeculo ad lumen candela:* Georg. Venet. *Ne contempleris:* Far. *Ad lucerna lumen ne te ſpeculo, &c.* Ficin. *Apud lucernam in ſpeculo faciem, &c.* Arcer. in Iambl.

Int. Var.

DE PHILOSOPHIA: DIVINIS: CONSILIO: DAEMONIACIS: SVI COGNITIONE.

PHILOSOPHIA. In philoſophando utere mente, non ſenſibus; Qui etiamſi aliquod efficiant lumen, hoc nec naturale, nec verum. *Iambl. Protr. c. 21.*

QVale in Philoſophiæ obſcurioribus lumen à ſenſu ſperas, qui & in ipſo meridie, in ipſo viſu cæcutit? Naturale? Lucernam linque, adi ſolem: Illa in homine ſenſus, hic mens. Verùm? Quæ in ſenſu veritas, qui *nec ſyncerus, nec verus?* Rerum naturam ſi cupis, utere mente, non ſenſu, qui exteriora tantùm reſpicit: Si veritatem, quære quod eſt, non quod videtur; Quære mentem, quæ Platoni ferè idem, ac veritas. At caveamus nos interim, ne in nobis

Plutar. de fortit. Plat. in Phed. in Phileb.

mens

mens ipſa mendacium ſit; Ac ne iſta nos magìs quàm ſenſus, decipiat. Prô quoties de proditione ſenſum falsò accuſamus! Dum mihi rotundæ à longe videntur quadratæ moles, montéſque cœrulei, viſus non me fallit; Nullus enim ubi nimiùm diſtant corpora. Mens ipſa me in errorem impellit, dum ſenſum vult pervenire, quò nequit. Sic tu mulieris mancipium, ad quid ſenſum temerè criminaris? Non oculus, ſed mens te fefellit: Illius tantum fuit videre; Hujus erat judicare, an illud verè pulchrum, an tibi verè bonum. Si malè, hoc eſt *ſecundùm viſionem oculorum judicavit* mens, ipſa te eluſit. Verùm ſi tu judicium à ſolo ſenſu voluiſti, de te quærere, qui pro dominâ famulum accipiens, huic dediſti, quod ejus non erat.

[Luc. c. 1. 4. — Iſai. c. 11. n. 3.]

DIVINA. Horum cognitio, non datur nobis ingenito lumine à corpore, tanquam lacternâ obſepto, ſed infuſo, quod ſemper fides comitatur: *Farr. in ſepten.*

In ſpeculo divina inſpiciantur, iuxta illud, *nunc videmus per ſpeculum in ænigmate*. Ad hanc viſionem quod lumen adhibes? Humanæ diſciplinæ, quæ Pierio lucerna ſuper candelabrum? Hæc nunquam ſinè umbrâ, ſaltem ſui. Amens qui, ut videat ſolem, ſtilbâ utitur, & candelâ. Quærens non Deum, ſed hominem, laternam circunferebat Diogenes: Divinorum aſpectus lumen ſolùm requirit à Deo, qui lux eſt; Et eſt à fide, quæ

[Paul. ad Corinth. c. 13. n. 12. — hierogl. l. 6. — Laert. de Cynic. — Balduin. in Matth. c. 5]

quæ oculus: Ille ideo *emitte lumen tuum;* En à n. 30. & c.
Deo; *Et veritatem tuam;* En à fide. Sic *in lu-* 18. n. 9.
mine tuo videbimus lumen. Iuxta illud, *videbunt* Iohan. c. 1. n. 9. & c. 8. n. 12.
faciem ejus, & non egebunt lumine lucernæ, neque Pſalm. 47. n. 3. 15. n. 10.
lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos. Apocal. c. 22. n. 4 & 5.

CONSILIVM. In rebus promovendis, cum doctiſſimis conferendum. *Cal. Rhod. lib. 13.*

Tu fragilis à cryſtallo conſilium petis, ut quid agendum, videas? Luce utere, quæ Servio tota ſplendor; Non lumine, quod vel in lucernâ ſemper cum fumo, vel à luce crebris alterationibus obnoxium. Hoc eſt, vis de pace, bello cæteríſque judicium? Veritatis radium conſule; Non lumen adulationis, quæ ut plurimùm, vel ambitionis fumo, vel perturbationum inter nubila caligat. Vis amicum, tuæ prolis cuſtodem, ad expianda ſcelera Sacerdotem? Iuſtum, ac ſapientem ſelige, non ignarum, non impium; Eum, qui verè proſit, non qui noxiè placeat. Optimum denique cupis conſultorem? Rationem audi, non ſenſum. Qui candelâ potius, quàm fulgente Sole, ſpeculum adit, non faciem, larvam, non conſilium, fraudem vult. 2. Æn.

DÆMONIACA. Ne per imagines, quæ in nocte maximè dæmoniacæ ſunt, hoſti demus cauſam, in noſtram perniciem prævalendi. *Georg. Venet. tom. 5. ſec. 5. probl. 450.*

Omnes profectò Dei operum imagines Plato- de civ.
ni

ni dæmonum ſunt fallaciæ: Attamen his ab ipſo dæmone in ſpeculo ità libenter nos falli, gaudemus. Pejùs: Nocte aliquando principi tenebrarum propriâ è cryſtallo reverberantium fraudem, ac deceptoris vires augemus. Id facimus, dum ſtultiores Romanis, ac Lacedæmonijs, qui febri, & morti aras poſuerunt, in huiuſmodi nocte ſenſu cæcutientes in divitijs, in pulchritudine, in voluptatibus, in umbrâ, in vitro noſtram fragilitatem adoramus: Ità hoſtem ipſum ad noſtrorum perniciem, & allicimus, & armamus.

Plin. l. 2. c. 7.
Plutar. in Cleom.

SVI COGNITIO. Vt homo ſe noſcat, non alienâ, & mentitâ, ſed ſolari, ac diuinâ utatur luce. *Gyrald. de Symb. Pyth.*

Inventa ſunt ſpecula, ut homo ſe noſceret, ac corrigeret, inquit Seneca: Idem putavit Socrates. Nunc turpiter uſus in abuſum tranſijt. Mulier illa ſe anum in cryſtallo videat: Recordatúrne mortis? An potius oblivionem affectans, juventutem in ore pingit, ac tempus eludere putans, alios, & ſe ipſam decipit? Hic virum ſe inſpiciat: Meditatúrne digna viro? An comam componens, faciémque poliens, quaſi è viro mulier fieri ſtudet? Specula nunc tantúm adhibemus, ut artis metamorphoſi capillum, ætatem, vultum ipſum mentiamur: Hoc eſt non ut noſtri aſſequamur notitiam, ſed ut nec alij nos agnoſcant: Non ut animi corrigamus errata, ſed

Nat. quæſt. l. 1. c. 17.
ap. Plutar. de con. præc.

ut

ut augeamus. In ſpeculo vis te cognoſcere? Lumine utere, non alieno, ac mentito, ſed ſolari, & divino. Alieno uteris, ac mentito, ſi ut tui cognitionem habeas, ea tantùm ſpectas, quæ non tua: Hæc ſunt nobilitas, opes, forma, robur, dignitas, & quidquid tua, & aliorum ſuggerit adulatio; Vniverſa hæc non tua, ſed aliorum, ſed temporis, ſed fortunæ. His te ſpolia, nudúmque te hominem conſidera; Indè quid ſis, & quantus, vide. Amplius ſolarem, ac divinam lucem conſule: Te cum magnis viris compara; Fortis Herculem, formoſus Adonidem, magnanimus Cyrum, dives Cræſum, Socratem ſapiens inſpice; Indè quid apud eos tu ſis, cogita. Deum tandem Iuſtitiæ ſolem, qui omnia, tibi propone, qui nihil: Sic illius comparatione, qui noſci nequit, te noſcere poteris.

Malach. c. 4 nu. 2. & Matth. c. 4. n. 5.

Meæ Coniect.

DE PERSEVERANTIA: FAMA: OPERIBVS: SERIIS, ET IOCOSIS: VERSVTO, AC SVPERBO: EMENDATIONE: TVRPIVM IACTANTIA: SVI AMORE.

PERSEVERANTIA. Speculum inſpicis, ut cum Iamblico philoſopheris, cum Farrá divina intuearis, conſilium capias cum Rhodigino, te ipſum cum Gyraldo cognoſcas? Cuncta quidem optima, ſed quouſque duratura? Quouſque con-

continens in bono perſiſtes? Ad lychni menſuram? Puſilla virtus, brevis gloria, ſi ab exiguo ceræ, aut olei pendet pabulo; Si interdum pene orta levi extinguitur flatu. Prô viventium ſtultitiam! Tot malè agendo ſolis gyros impendimus, ac bene tantùm agimus ad lucernæ momenta. Sed ità non bene agimus; Bene agere incipimus. Qui pedem primo ſiſtit gradu, curſoris laude privatur. Abſque perſeverantiâ, quę In Matth. c. 10. n. 22 Bernardo ſola de virtutibus coronatur, nullum bonum, nulla virtus. Illâ enim deſinente, hæ deficiunt.

FAMA. Quære immortalem, quæ veritatis filia, poſt viri mortem adhuc viget: Non illam, quæ haud ſinè aſſentationis, ac ſuperbiæ ſuſpicione, cum viro tantùm vivit, ac perit. Sed qualis inter vitam, & famam proportio? *Vita brevis*, teſte Pro Sext. Cicerone, curſus *gloriæ ſempiternus*: *Gloria*, ſub- Tuſcul. 1. dit alibi, *ſequitur virtutem, tanquam umbra*: Sequitur, ait, non comitatur. Ideo Vergilius,

Aen. l. 7. *AEternam moriens famam, Cajeta, dediſti*;

De pont. l. 4 eleg. 16. Et Ovidius.

famáque poſt cineres major venit;

Pſalm. 15. 9. 10. De quâ id forſan dici poſſet, *fama bona impinguat oſſa*. Qui hanc deſiderat, nec ſpeculum adhibeat, nec lucernam. Horum quidem utrunque famæ ſignum; Sed cujus, vide. Lucernam Symbol 46 conſidera: Hominis ſplendor, Valeriano autore, in

in illâ ponitur à ſapientibus; Verùm ità brevis, ut repentino levis auræ ſpiritu extinguatur. Ipſa pariter vitæ, ac mortis apud eundem hieroglyphicum: In eâ ſic gloriam nanciſceris ad vitæ mortalis menſuram. Speculum pondera; Cujus inſtar fama viſibilem facit hominem: Si hæc nobis *vitrea*, ut etiam Horatio, quid fragilius? 1.Sat 3. Hymnos etiam famæ ſpecula, in quibus Heroes videntur, idem Pierius dicit ex l. 42; Pindaro: Sed hoc mihi non ſatìs congruè. In poetarum carminibus vivunt etiam poſt mortem viri: At imagines tandiù in ſpeculo apparent, quandiu illi opponuntur obiecta; Hæc abducantur, ac ſtatim evaneſcunt illæ. Ità viventium brevis, ac ſuſpecta gloria, de quibus jurè dicas, *perjit memoria eorum cum ſonitu*. Vis veram, & immortalem? A luternâ iterum, & à ſpeculo abſtine: Illis ea tantùm videmus, quæ corporea, & caduca. Tu immortalem tui partem ſpecta; Eámque ſic virtutibus exorna, ut veram, ejúſque naturæ congruam, famæ aſſequaris immortalitatem. Sic tui *bonum nomen permanebit in æternum*; Semper enim *memoria juſti cum laudibus*.

Pind. nem. od. 7 ac ibi Leonicen.

Psal. 9. v. 7

Eccli. c. 41 n. 16

Prov. c. 10 n. 7

OPERA. In ſpeculo ad quid te intueris? Vt ipſum te noſcas? Indè verò quid facis? Candelâ noctis indice ad cubile, ad ſomnum properas: Quid hæc tui cognitio profuit, quæ otium tibi tantùm ſuaſit? Opus difficillimum ità per-

didiſti, ut te perderet. Somniferam linque lu-
quæſt. nat. l. 1 c. 17 & cernam, & age. Ità cum Senecâ, & Socrate in
Plutar. de con. præc. ſpeculo jam tui notitiam aſſecutus, aliquid ad emendationem, aut ornatum aggredere. Te virum cognoſcis, te mulierem? Fac ea, quæ muliere, quæ viro digna: Corpore, vel animo infirmum? Ad aquirendam ſanitatem, aliquid molire. Sanum? Aliquid, ad tuendam.

SERIA, & IOCOSA. Lucerna lucubrationibus inſerviat, rebúſque ſerijs, quæ dignæ vigilijs: Non inanibus, non effœminatis, qualis eſt ſe in ſpeculo intueri. Eos ità increpat ſymbolum, qui vel seriò futilibus incumbunt, vel præſtantiora pro vilioribus impendunt. Audi tu, qui canes in venatu, latrunculos in ludo inſtruis, velut regium verè ducturus exercitum; Qui fœminæ obſequeris, quaſi graviora exercens nedum reipublicæ, ſed religionis munera. Tu rurſus audi, cujus tempora, & ſtudia terruntur in nugis, aut diſcendis, aut docendis, aut elaborandis; Cujus vana magìs lucernam olent, quàm neceſſaria, improba, quàm bona; Qui denique pro exiguâ corporis voluptate, quæ fragilis ad inſtar vitri, quæ apparens, ut in ſpeculo, cor-
[illegible] pus ipſum, & animam, quorum hieroglyphicum lucerna, ſtultè perdis.

VERSVTVS, AC SVPERBVS. Qui Solis radio ſpeculum adit, raro propriam faciem, qua-

lis

lis eſt, ipſe intuetur, ac oſtendit: Varia ſit cryſtalli forma, varias edet imagines; Vnica ſemper obverſam reddet faciem. Rariùs id aſſequitur, qui adhibet lucernam, cujus aut lumen, aut ſitus diverſas, & ſæpe mendaces exhibet ſpecies. Hìc eos prætereo, qui multiplices habent facies, quarum unaquæque ad ſui placitum quoquo vertitur. Eſt hujuſmodi apud nonnullos vir noſtro ſeculo prudens. At quæ prudentia, ſi nec ſibi, nec alijs conſtat? Qualis, niſì mendax, dum ſolis extat mendacijs? Lucernam tu ſuperbe, adhibes, qui te facis, aut credis, quod non es. Cur autem in ſpeculo te aſpicis? Vt te hominem videas, an ut muliebri more te mutes? Vt aliquid in cryſtallo tibi ſimile appareat, an ut aliquid à te diverſum in te ipſo effingas? Vt te noſcas, & noſcaris, an ut omnes tecum te ipſum ignorent? Alios, & te ſic eludens, *non faciem, ſed larvam geſtas*. Ille ſapientiâ præditum ſe jactat, hic ſe credit: Vterque ſtultè agit: Primáque illius amentia eſt ſe gloriari, hujus ſe putare ſapientem: Ille ſtultos facit plures, ſtultus hic noſcitur ab omnibus. Pollux onom. l. 5. c. 16.

EMENDATIO. Cur te in ſpeculo contēplaris? Vt ægrum te ſanes? Probè; Speculum enim primus Æſculapius invenit, primus obligavit vulnera. Vt te corrigas, ut ornes? Optimè. Ità etiam putauit Socrates. At quoniam hæc vita dies brevis Cic. 3. de nat. deo. Plutarc. de con. praec. Stob. ſer. 90.

bre-

brevis Antiphonti, manè id fac, non veſpere. Ad id lucernam adhibet, qui ſui curam, correctionem, ac ornatum ſtultus ad noctem protrahit, ex quâ ſomnus mortis frater. Aceſias, non Æſculapius, cunctans pharmaca differret uſque ad interitum, méque negligeret infirmum, ut morientem curaret. Nox non ornamenta, ſed cubile requirit; Vbi ſomnus, qui vitam non exornat, ſed vitæ dimidium aufert. Si emendatio rationis frænum eſt Auguſtino, ſapiens equiſo frænum adhibet in ſtadio, ut motum moderetur, in metâ, ut ſiſtat. Sic vitæ curſus corrigi debet, non quies; Hoc eſt in viâ, non in termino; Vbi mors, quæ non erroris emendatio, ſed pœna.

[Hesiod. in Erg. & Hom. 4. ibi Eraſ. chil. 2 cen. 6. ad 59.] [Rhodi. l. 30. c. 9.] [de ſa.]

TVRPIVM IACTANTIA. Mollia, & quæ ad fœminam ſpectant vitri fragilitate indicat ſpeculum; Plumbo autem ſublito, quod nigrâ denſitate ſiſtit imaginem, turpia, & quæ ad ſenſum, denotat. Ideo apud Atheneum, Philoſtratum, & Auſonium Veneri ſpeculum dicabatur voluptatum antiſtiti. Eum hinc pudeat virum, qui effœminatus contra ſui dignitatem ſe in ſpeculo contemplatur: Sed eum magìs, qui mali operis jactator lucernam geſtat, cujus eſt res oſtendere. Hoc arcanum ea mihi ſapientis verba indicant, *lucerna impiorum peccatum*. Mala, quanvis in abſcondito patrata, ex ſui naturâ ſemper, ad inſtar lucernæ, ſplendent, ac viſibilem reddunt

[Geneſ. c. 2. n. 17. & c. 3. n. 20.] [Caſaub. l. 15. in Icon. de Amor. Epigr. 54.] [Prov. c. 21. n. 4.]

dunt autorem. Ille, cui non ſat eſt, mala eum oſtendere, niſi & ea ipſe oſtentet, ſceleſtiſſimus etiam deditâ operâ *lucernam*, & *peccatum* in ſe jungit. Verùm ſi peſſima in probis operibus jactantia, quæ in improbis? Ea igitur, quæ indecora, ſi facis, cur lucernam accendis? Nónne ſufficit, Deum, ac te ipſum, etiam in tenebris, tuæ ſtultitiæ teſtes habere, nî alios laternâ quæras? Dum malè agis, te ipſum perdis, dum gloriaris, & alios. Innocentiam, & decorum ſi amiſiſti, verecundiam ſaltem ſerva, quæ forſan te ad decorum, & innocentiam revocabit.

SVI AMOR. Aut lumen gere, aut ſpeculum
inſpice; Non autem ſimul. Fax Pierio a- l. 46.
moris hieroglyphicum. Eam geſta; Hoc eſt ama, ſi libet: Verùm te in ſpeculo ne intuearis; Hoc eſt ne tuæ imaginis in te ipſum reverberatione, amoris proprij ſtultitiam exerceas. Profectò qui ſpeculum inſpiciens, candelas accendit, ſe velut in altari numen adorat. Heu quot philautiâ laborantes, præter Narciſſum, qui ſuperbus evanuit in flore! Intellige tu princeps, cujus vigiles lucernæ, ac præcipua ſtudia non populum ſpectant, ſed te ipſum, ac tuos: Tu effœminate, cui tanquam in vitro ſplendet magìs fragile tui corporis bonum, quàm perennis arduæ virtutis gloria: Tu inepte, qui fallaci popularis adulationis flammulâ ad tui ipſius confidentiam evectus,

ctus,

ctus, deliras; Tuáſque nugas tantùm, quas indigeſtè vomis, laudis face oſtentas, alienáſque lucubrationes, quarum nec libas intelligentiam, criminaris. At víſne ſpeculum inſpicere? Fac: Sed haud lumen accende. Tua ſpecies ad te redeat; Ama te ipſum; Id non inficior: Quinimmo tui amorem laudo: Sed eam tui tantùm dilige imaginem, quam ut videas, non indiges lumine: Hoc eſt divinam; Quæ ideo non patet oculis; Quam tamen ſinè lumine cæcus etiam valet, cernere. Tu verò corpus amas, potiorémque tui partem negligis; Melius dixerim odiſti. Hæc non proprij, ſed improprij amoris ratio; Non tui, ſed alieni potius; Nihil enim noſtri, præter animam.

Digitized by Google

NE CVIQVE FACILE DEXTERAM PORRIGAS.

Symb. XXVI.

Var. Lect.

Dexteram ne cuivis porrigas: Eraſ. *Ne facilè* Gyral. *Ne cuique inijcias*: Iambl.Arcer. *Ne multis*: Plutarch.Xyland. *Ne ad omnia*: Ficin.

Int. Var.

DE SAPIENTIÆ ARCANIS: CONTRACTIBUS, AC FIDE: AMICITIA: MATRIMONIO.

SAPIENTIÆ ARCANA: Illis non communicanda, qui probati non ſint temperantiâ, ſilentio, aliiſque experimentis. *Iambl. protr. c. 21. & ibi Scutel. & Farr. in Sept.*

PAteat hinc, verum ad ſapientiam iter eſſe virtutem. Qui ab hac deflectit, in vana ſtudia, & ſæpe noxia præceps ruit. Qui inter bonum, & malum rationi obtemperare neſcit, rarò inter falſum, & verum ſcit. Qui ab eo, quod ſenſibile, allectus, cupiditati nequit obſiſtere, quomodo ab eo, quod probabile, conſtrictus, poterit opinioni? Quo pacto ille animus, qui ſedendo fit melior, rerum naturam ſapientiâ duce ſcrutabitur, niſì prius ipſe à virtute compo-

ſitus, ac ſedatus quieſcat? Doctè ideo, *inter ſe* ep. 139. *cohærent philoſophia, virtuſque*, ajebat Seneca. Sed proverb. c. 4. nu. 11. de hoc Sapiens ipſe; *Viam Sapientiæ monſtrabo tibi:* Quid ages? *Ducam te per ſemitas æquitatis:* c. 10. n. 31. Cui conſonum illud, *os juſti parturiet ſapientiam*. Quod de moralitate adhuc dictum, de religione pſal. 110. nu. 10. & Eccli c. 1. nu. 16. tu magìs repete: Illúdque te fulciat, *initium ſapientiæ timor Domini*. Prò eorum ſtultitiam, qui potius, priúſque humanæ ſapientiæ docent, ac diſcunt arcana, quám prima libent fidei rudimenta!

CONTRACTVS, AC FIDES: Non enim temerè cum quocunque contrahendum. *Plutar. de lib. educ.*

Tit. Liu l. 1. Porrigere dexteram ex Numâ fidei ſignum; Idèmque, ac pactiones, & conventa inire apud Steph. græc. l. 1. Homerum. Hoc verò Pythagoræ nec temerè, nec ad omnia, neque cum omnibus agendum. Priuſquam promittas, verbum facile, opus difficile cogita: Indè ab omnibus abſtine; Omnia enim vel non tua, vel non ſemper: Ac omnibus qui pollicetur, vel cum indignis etiam id facit, vel alicui non deeſſe nequit. Dic tu, qui poſt annos, ac tali die id te facturum ſpondes; Dic, quæ tua dies, quæ hora, quod tempus, niſì præſens momentum, cujus nihil tuum, præter jacturam? Tu, qui obſequia, fidem, gratias, amores promittis immortales; Quam in

hæc vitâ immortalitatem habes, in quâ omnes quotidie morimur? De quâ diſponis in aliâ, vbi nihil eorum, de quibus paciſceris? Mentior. Pacta etiam, & conventa híc fiunt de animâ. Sic temerè contrahit, qui eam in multas diſpertit curas, perturbationes, voluptates; Qui amans mulieris, avarus auri eam facit mancipium; Hoſti dexteram inconſideratè porrigit, qui nedum *offert animam ſuam morti*, ſed præſtigijs tacitè aliorum de ſe pacta firmans, eam diabolo vendit, alíjſque improbitatibus donat. Quid hoc? Nónne animæ uſum tibi ad tempus commodavit Altiſſimus? Nónne tu illi eam pollicitus es reſtituere? Ac tot de re non tuâ contractus, immo tot furta? Quid reciprocum inter momentanea, & immortalia, quæ fides à diabolo, quæ validitas in latrocinio? Iudic c. 5. nu. 18.

AMICITIA. Cum omnibus amicitiam ne ineas. *Gyrald. de Symb. Pyth.* Multos ne facias amicos. *Plutarch. de mult. amic.* Verùm delige, quem diligas. *Eraſ. de Symb. Pyth.*

Equos eligis, canes, piſces, flores, nec eligis amicum, quo nihil prætioſius? *Qui invenit illum, invenit theſaurum.* Eúmne à fortunâ ſperas? Cum fortunâ recedet. A multitudine? Quomodo vis, unum in multos, multos in unum verti? Ab omnibus? Qui omnes amicos vult, verè nullum habet; Sic enim unitas exigitur ab amicitiâ, ut ſit *amicus alter ego*. Si deligis obſonia, Eccli. c. 6. n. 14. Ariſt. mor. l. 9 c. 19. ibi c. 9 & Cic. de amic.

quæ in te mutantur, eo magìs delige, quem diligas, hoc eſt, in quem tu ipſe muteris. Quid verò? Huic præcepto contrarius nunc in amando ætatis uſus. Eligit ſenſus tantùm, non mens; Illius, non rationis conſilio amat voluntas opes, formam, dignitates, omnia denique, præter Deum, quorum nihil aſſequi poteſt, niſí à Deo. Quid mirum, ſi ea pro amicis, ut plurimum habemus, quæ nobis atrociſſimè inimica?

MATRIMONIVM. In quo ſcitè cogitandum, cui dexteram porrigas *Ferd. à Belu. præc. 4. c. 1. in ſymb. Pyth.*

Stob ſer. 67 Plaut aſ act., ſc 3. & Stob. ſer. 64.

Malum neceſſarium dicta fuit vxor: Nec igitur auaritiâ, nec amore cæcus in eâ perditè vel *manum oculatam*, vel tyrannidem oculorum quæras; Vèrùm Argus prudens illam ſelige, quæ magìs neceſſaria, quæ minus mala. Ità non auro, non pulchritudine, ſed ratione ductus, dexteram porrige, ut accipias mulierem; Non ut à muliere vel accipias, vel accipiaris; Vt tibi nubat vxor, non tu illi. At ſymbolum ad eos corripiendos liceat, deflectere, qui opinioni dant manus, eíque inconſideratè ſic hærent, ut quævis illa ſit, etiam æquitati, ac veritati contrariam, velut uxorem, nunquam dimittant: Vel primam à ſorte amplectuntur, vel à ſenſu propriam, non veram, non juſtam à ratione perquirunt. Hinc pervicax amor, odium, ignorantia, hæreſis. Meæ

Meæ Coniect.

DE OPERATIONE: AVXILIO: HONORE: VIOLENTIA: ARROGANTIA.

OPERATIO. Hujus hieroglyficum manus; Pier. l. 35.
Ac præcipuè dextera, juxta illud *operi manuum* Iob c. 14. n. 15.
tuarum porriges dexteram: Hæc verò cuique facilè non danda. Intelligant, qui ad omnia manum conferunt, etiam inexperti, etiam ad mala; Qui ab otio non deſiſtunt, niſi actionibus improbis manus admoveant, quo minus malum fuiſſet in otio morari. Qui pene in ſtudijs litterarum tyrones, quancunque diſputationem, ac cenſuram, quodcunque opus arduum ineptè aggrediuntnr: Iſti profectò in ea facilè, ac ſinè conſilio manus injiciunt. A Paulo quaſi comprobatum audiant
Pythagoræ præceptum; *Manum citò nemini im-* 1. Timot. c. 5. n. 22.
poſueris. Inconſideratè nedum cuique dextera non porrigenda, ſed nemini prorſus danda. Ve-
rùm nónne his contrarium illud, *ad quod volue-* Eccli c. 15. n. 17.
ris porrige manum tuam? Quin immo valde congruum. Eccleſiaſticus *bonum, & malum* proponit; Deinde *hominem relinquit in manu conſilij ſui.* Sic arbitrij libertatem ille in actione conſiderat: Samius, & Tarſenſis ante actionem conſilij oſtendunt neceſſitatem; Sinè quà nec libertas, nec ve- Ethic. in mor. Ariſ.
rè actio, quæ ex electione hominis operatio eſt. l. 1. c. 1.
Dic, nónne homo liber actionis dominus? Ille

igitur

igitur non verè, ut homo, agit, qui dominio, ac libertate non utitur agendo; His autem non utitur, qui inconſultè operatur; Non enim ex
mutal.l.3. c.1. Philoſopho ſpontaneum, ſed *inuitum, quod ignoratione fit*. Hinc vide, ò perturbationum infelix mancipium, vide, quod agis, immo quod pateris. Opus dum malum, ac ideo inconſideratè, aggrederis, non manum admoves, manicam ſu-
prover. c. 7. n. 22. ſtines; Non agis, ut homo, *traheris, quaſi bos ad victimam*.

AVXILIVM. Manum porrigit, qui auxilium præbet; Quod cum omnibus non agendum, Pythagoras habuiſſe videtur à Deo, qui *nec porri-*
Iob. c. 8. n. 20. *get manum malignis*. Virtutibus fave, non vitijs; Amico, non adulatori, ſapienti, non ſcurræ, veſtali, non lenæ, ſacerdoti, non ſicario. Nec ad omnia; Si enim malum quis agit, agenti auxiliare, non operi; Quod ut facias, non dexteram, ſed ſiniſtram porrige; Hoc eſt *ſiniſtris ſer-*
Plin. ep. 9. *monibus* errantem *carpens*, ab inſtituto revoca. Ne dexter, ac propitius arrideas, ne muneribus excites, ne autoritate foveas. Ventus hic ad naufragium dexter, nautæ ſiniſter eſt; Non auxilium, exitium.

Iambl. protr. c. 21 Symb. 30. HONOR. Dextera manus pythagoreis honorabilior. Talis & pro loco apud Græcos.
Step. c. b. g. 20. Iamblicus honores appellat *ſtolidos, & abſurdos*, qui
ptou. c. 8. conferuntur ab homine. Ac quidem ſpecies un-

decim

decim honoris cum Philoſopho recenſeamus: Rheth. ad
Nónne inſanæ Romanorum *immolationes* erga Theod. l. 1. c. 5.
Cæſarem, quæ ſoli debebantur Deo? Stultè ſuis Horat. l. 2. ep. 1.
monumentis Homerus, velut Numina, celebrat homines, ac velut homines Numina perturbationibus, jacturis, & vulneribus vexat: *Præmia* ſunt *certa* curſori, philoſopho denegantur: *Lucus* viris dicatur honoris gratiâ, qui præcipuè belluarum ſedes. *Dignior locus* quoties indigniori datur? *Sepulchris, imaginibus, ac ſtatuis* quoties immortalitati eos commendamus, qui potius digni, quos æterna obruat oblivio? Quot publicis fruuntur cibarijs, ut publico ſerviant, qui publicum vorant? Quot cum Barbaris Cirum Xenoph. Pæd. l. 4.
adorant, qui Deum ſpernunt? Quot diabolo *ſe proſternunt* in homine? Quot *munera* impertiuntur, pretextu honoris, ut honorem ipſum deturpent? Non igitur danda cuique dextera; Hoc eſt cuique inconſideratè nec tribuendus honor, nec locus cedendus. Audiat, qui vir unico puellæ intuitu ſubijcitur: Immo qui ex Deo forti viliſſimo ſubſternitur dæmoni? Audiat, qui dignitates confert utilitati potius, quam juſtitiæ; Omnibus, ut quiſque illis æqualiter fruatur, non digniôribus, ut æqué; Vni tantum, nam experientiâ prædito, non cæteris, qui experiri nequeunt, niſi aſſequantur. Audiat demum hæc ætas, quæ ſacerdotem non diſtinguit à famulo,

patrem

patrem ab hoſte; Quæ aurum magìs facit, quàm hominem, hominem, quàm Deum. Nunc ſæpe ille honoratur dives, qui homo ſpernitur: Immo interdum aſinus in divite colitur, Deus negligitur in homine. Illum tantùm honore dignum cenſemus, qui terræ multa poſſidet ſtadia. Quid hoc? Nónne quiſque noſtrum terræ tantum habet, quantum ſufficit ad hoc, ut ſit homo? Vir pro his venerandus quæ in ipſo, non quę extra.

Eraſ. chil. 3. cen. 2. ad 36.

VIOLENTIA. Dexteram inijcit, qui *centauricè agens*, malignitate, officiorum moleſtiâ, muneribus, minis, autoritate, vim arbitrio, juſtitiæ, veritati, cæteríſque infert. Quod nec licet cum omnibus, nec ad omnia: Si enim *facis violentiam pauperi, quia pauper eſt*, facienti magìs, quàm patienti hoc turpe; Si potentiori, *crabrones contra te ipſum irritas, leonémque pungis*. Violentus per ſe conſideratur ab Ariſtotile, ſecundum varios fines à Platone: Studet primus, ut alienas impediat voluntates; Impedit ſecundus, ut aliquid aſſequatur: Ille ſemper malus, cui ſolus in violentiâ finis; Ideo ſic nulli prorſus inijcienda manus: Hic, qui violentiâ utitur, tanquam medio, tum malus, tum bonus à fine; Ideo nec ad omnia. Sic primò eos increpat ſymbolum, quibus ità pravus eſt animus, ut ad inſtar *canis in præſepio*, vel in hortis, hordeum, aut braſſicam nec edant ipſi, nec alios edere ſinant. Quod ſtultum

Prover. c. 22. n. 22.

Eraſ. ch. 1. cen. 8. ad. & 61. Rhet. l. 1. c. 2. de P. ega.

Eras. chil. cen. 10. adi. 13.

ſtultum, malignum, tyrannicum, ſacrilegum magìs, quàm nihil aliud velle, nisì mortalibus liberum arbitrij donum à Deo impertitum impedire? Hoc eſt jus ſuum & homini accipienti, & Deo danti eripere? In eos inuehitur ſecundò, qui ut aliquid obtineant, alijs ad omnia vim faciunt. Si ad bonum alterius, fac; Si ad tuum, cave, ne violentia furti ſortiatur natúram: Si ad alterius malum, ſceleri ſcelus addis; Si ad tui, ſtultitiam. Inſanus quidem, ac impius, dum ad tui perditionem alios cogis ad ſcelera. Vis optimam ſemper exercere violéntiam? Te ipſum in omnibus coge, ad rationi parendum.

ARROGANTIA: Cuique dexteram inijcis, dum vi, quæ propria dexteræ, omnia tibi arrogas. Peſſimum, ac violentum arrogantiæ genus eorum, quos *ardeliones* Martialis appellat. Se L. 2. ep. 7. Briareum ille facit, ſtultámque plebem ad ſe rapiens, quocumq è manus intrudit, ac ſe ſe omnibus negotijs vult immiſcere; In quibus

Nil bene cum faciat, facit attamen omnia bellè; Ib.

Hoc enim ſensûs, illud eſt rationis cognoſcere. Ità cunctis cætibus, cunctis comitijs, etiam non vocatus, importunè ſe ingerit; Ac ſæpe, quaſi *Atticus advena*, in aliquod munus adſcitus, brachijs mutilus, veros excludit Cyges. Quid civi, quid civitati pernicioſius? Quæ actio perfecta, quæ libera, quæ communis? Hujuſmodi viro Eraſ. chil. 1. cen. 1. ad. 71.

quis amicus? Damnum, ac timor in eum acuit odia. Quæ gloria? Fraus, & ambitio ejus opera vel mala faciunt, vel bona inficiunt.

SVR-

SVRGENS E' LECTO STRAGVLA CONVOLVE, AC VESTIGIVM CONFVNDE.

Symb. XXVII.

Var. Lect.

Stragula ſemper convoluta habeto: Eraſ. *Stramenta colligata*: Laert. Ambroſ: & Svid: Port. *Surgens è cubili ſtragula conturba*: Clem. Alex. Herv: & Gyral. *Excute, & convolve*. Rhcucl. *Complica, & veſtigium confunde*: Polit. *Convolve, & figuram, vel veſtigium confunde*: Arcer. in Iambl.

Int. Var.

DE VIRO EXPEDITO: CORPOREIS: PHANTASIA: IMMVNDO SPIRITV: INSOMNIIS OPEROSA DIE: VERECVNDIA:

EXPEDITVS VIR. Nam parati ſemper debemus eſſe, tanquam peregrè abituri: *Gyral.* Vt facilè tempori, ac naturæ pareamus. *Plutar. de præc. Pyth. int. ap. Gyral. tom. 2.*

QVid agis? Experrectus, ais, jam vivo: Hoc eſt à quiete ad motum tranſij; *Via* enim hæc vita. Verùm in hac ſi *peregrinum* te noſcis, cur diluculo poſtquam ſurrexiſti, lectum ſternis, velut in eo iterum veſperì cubaturus? Quid ſi tempus, & natura te in me-

Baſil in conc. de reb. temp. Plat in Axioc.

Digitized by Google

ridie ad aliud ſtratum evocarent? Muliercula vanè ſolers páret cubile; Tu prudens convolve, & colliga, ut fato jubente grabatum tollas, & ambules: Immo ut etiam nudus cum Biante, ſive Stilpone, cuncta bona tecum feras. Compo-nit ſtragula, qui tanquam æternus incola ædificat: Qui ſui cum ætate fugam negligens in ludo, in crapulâ ſedet: Qui denique hanc ſolam vitam ſpectat; Si verè ſpectat, dum ſtationem, ac patriam eam facit, quæ nil aliud, præterquam iter, ac peregrinatio: Sícque ſtultè quietem ſibi ſtatuit in motu. Sapiens hujus mundi hoſpes convolvit, ac colligat ſtragula, ut ſit paratus ad tranſitum; Nec ſolùm de vitâ, ſed de immortalitate, non tantùm de mortis ſratre, ſed de ipsâ morte cogitat.

Cic. parad. & Senec. ep. 9. & in lap. non cad. in ju. 4. 5.

Hom. II. l. 16.

CORPOREA. Philoſophus, qui è ſomno inſcitiæ ſurrexit, omne corporeum ex animo deleat. *Iambl. protr. c. 21.*

Qui alibi ſtragula propriè colligans *vileſceret*, hîc ſymbolicè ad id præſtandum hortatur: Ac meritò: Nam & ſacris autoribus corpus *lectus* eſt animæ, in quo mortale hujus vitæ *ſomnium*. Ab hoc ſapientia nimis abhorret, quæ ſuis in vigilijs immortalitatem quærit: A corporeis nimiùm diſtat Philoſophia, quæ Pythagoricis mors quædam, hoc eſt animæ à corpore *ſeparatio*; Nulláque datur de ijs, quæ in perpetuo fluxu, & mutatione, ſcientia; Sed de his tantùm,

Iambl. prot. c 14.

Orig. ſup Math hom. 30 & Max. Tyr. ſer. 28.

Iambl protr. c. 13 & c 21. ſymb. 26.

quæ

quæ ſemper eadem, ac eodem modo ſunt. Hinc diſcat voluptatum ſectator; Qui corporeis hæret, è ſapientum numero extruditur.

PHANTASIA. Caliginoſam phantaſiam luce veritatis oportet confundere. *Clem. Alex. Strom. l.* 5. Ac inferiores animi vires comprimere, ne adverſus rationem inſurgant. *Rhod. l.* 16. *c.* 18.

Phantaſia profectò, quæ ſemper *motus à ſenſu*, in homine ſæpe caliginoſa; Nam intellectus, aut ſomno, aut ægritudine, aut paſſione aliquâ obruitur. Tu verò quid agis? Odio, vel amore cæcutis, mœrore duceris, aut lætitiâ, ſomnias in vanitatibus. Quid agis? Corruptæ immaginationis mendacio ſæpe injuriam ab amico, ab hoſte beneficium, dolorem, dedecus, damnum à virtute, voluptatem, honorem, utilitatem à vitio tibi effingis: Phantaſiámne ità veritatis lumine confundis, an phantaſiæ potius caligine veritatem? Comprimíſne tu inferiores animi vires, an comprimeris ab ipſis? Rationis imperium ſic non foves, deſtruis. Ariſt. de an. tex. 161. & ult.

IMMVNDVS SPIRITVS. Confundendum quieſcentis veſtigium, ne immundi ſpiritus ſubintrent, quod & ſtatutum à Zoar: *Greg. Ven. tom.* 5. *ſec.* 1. *probl.* 451.

Etiam ſagæ hominis quærunt veſtigia, ut hominem perimant. Sed hæc ſententiæ cauſa, non ſymboli interpretatio. Hoc tamen diſcamus; Immundus ſpiritus noſtra ſemper inſectatur veſtigia: Quid agendum? Belluæ nos doceant, quæ ſym-

[Ep. 68.] ſymbolo pârent; *Animalia quædam*, inquit Seneca, *ne à perſecutoribus inveniri poſsint, veſtigia ſua circa cubile ipſum confundunt*. Nos verò? Nedum perſecutorem non vitamus, verùm ipſi eum etiam in veteratore, in apolide, in lenone, in amicâ noſtri quotidie inſectatorem volumus, & tyrannum; Nec noſtra tantùm veſtigia, ſed ultro nos ipſos illi tradimus.

INSOMNIA. Glomeranda in unum, & reijcienda, ne remorata gravent. *Rheucl. de art. cab. l. 2.*

[Svid. & Macrob. in ſomn. l. 1. c. 3.] Vel *inſomnia* ſint, vel *ſomnia*, vel ex *ebore*, vel ex *cornu* portæ, conſideratione remorata ſemper [Homer. Odyſ. l. 19.] gravant. Propterea ſtragula convolvenda; Quod [Vnde verg. æn. l. 6.] idem, ac divinum illud oraculum, *ne obſervetis* [Levit. c. 19. n. 6.] *ſomnia*. Ea veteres ideo abluebant; Vnde Perſius. [Sat. 2. & l. b. Farnab.]

noctem flumine purgas;

Et Statius

[In Theb. l. 9.]

Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas,
Purgatura malum, fluvio veniente, ſoporem.

At ſi læta, quomodo gravant? Inſuper quæ inſomnia gravare poſſunt, ſi cuncta Pythagoræ [Iamb. de Pyth. c. 28.] vana? Iuxta illud, *ubi multa ſunt ſomnia, pluri-* [Eccleſ. c. 5. n. 6.] *mæ ſunt vanitates*. Dicam: Infauſta nos gravant, [Eccl. c. 39. n. 7.] nam credimus vera; Hinc *multos errare fecerunt:* Læta, nam experimur vana; Hinc multi *exciderunt* [Ibi.] *ſperantes in illis*. Quod de inſomnio dictum, de hac vitâ repete, quæ *velut ſomnium avolans* [Iob. c. 20. n. 8.] *non invenietur*. Eos itaque pudeat, qui rebus ad hu-

hujus vitæ ſomnium ſpectantibus nimis hærent; Qui magìs oboli, quàm animæ jacturam lugent; Qui majorem in dignitatibus, divitijs, pulchritudine fidem, ac ſpem habent, quàm in Deo. Hi cuncti, ſomnio remorato, ſtragula non convolvunt.

OPEROSA DIES. Interdiu agendum, nec ullum ſomni veſtigium relinquendum. *Syll. ap. Plutar. ſymp. l 8. q. 7.*

In meridie non dormitandum, ajebat Socrates: Nox enim quieti danda, operi dies. Interdiu qui neſcit vigilare, dignus verè, qui noctu nequeat dormire. Hic nec vivit profectò; Nam vita, Plinio teſte, vigilia. Nihil morti eſſe tam ſimile, protulit Cicero, quàm ſomnus; Qui, ut de otio ſcripſit Euſebius, *vitæ parentheſis* dici poteſt: Hunc igitur nónne ſatis eſt, veluti *publicanum*, Ariſtonis judicio, vitæ dimidium à nobis extorquere, niſi & ipſi nos aliud illi dimidium ultro exhibeamus? Id præſtat, nedum qui dormit, ſed qui otiatur, qui vanitatibus incumbit: Quid aliud porrò eſt ſomnus, præterquam naturæ deficientis affectio, ac *remiſſio ab imbecillitate proficiſcens*? Tenebris ergo dignus, non luce. Nos verò hujus veſtigia oſtentabimus: Memoria boni celebranda, & relinquenda, non mali. Viventes audiant Heroſtrati ſplendorem in umbra exquirentes; Hoc eſt gloriam in ſcelere, famam in infamiâ.

Ap. Plat. de pulch.

In præf. op.

Tuſcul. L. 2. c. 46.

Plutar. aqu. an. ig. n. util.

Plutar. ſymp. l. 8. q. 1.

Strab. l. 14.

VE-

VERECUNDIA. Servanda etiam in his, quibus cogimur naturæ neceſſitati ſatisfacere. *Eras. ae ſymb. Pyth.*

Ede, bibe, quieſce, cæteríſque naturæ receſſitatibus obtempera. Sed in horum vel ſuperfluitate, vel luxu ne plauſum quæras. Crapula, ebrietas, nimiúſque ſomnus naturam lædunt; Nec aureâ patinâ fames, aut ſitis gemmato cratere magìs extinguitur, nec purpureô ſub conopeo ſuaviùs dormis. Hæc omnia defectus, & vincula ſunt; Quantùm ideò maximè potes, modeſtus, ac verecundus abſconde: Fortitudinis, & libertatis pateant inſignia, non imbecillitatis, aut ſervitutis:. Illa triumphi poſtulant purpuram, hæc pudoris. Hinc diſce tu voluptatum amator, ſensûs mancipium, in improbitate procax: In neceſſitatibus hujus vitæ ſi verecundia ſervanda, quid in malitiæ delirijs? Te coactum ſi naturæ famulari, abſque erubeſcentiâ, non decet, quid libentem vitio?

Nec licet, aut recordari, aut imaginem relinquere voluptatum, quæ in nocte fuerunt. *Clem. Alex. ſtrom. l. 5.* Etiamſi cum vxore. *Plutar. ſymp. l 8. q 7.*

Stoicorum abſit libertas voluptati ſerviens, ac

turpes ——— pecudum ſecuta
Concubitus.

Vergil. eglo. 6.

de Fin. l. 2.

Fortitudinis leges, ajebat Cicero, *effæminari virum vetant in dolore*, qui ſæpe rationalis; Quantò magis in voluptatibus, quæ ut plurimum præ-

ter

ter rationem? At illarum etiam, quæ ex ſacramento juſtæ, ac neceſſariæ, memoriam, & imaginem delendam jubent matrimonij dignitas, & modeſtia. Conjugem *in occulto* amplecti debemus, ajebat Plutarchus; Ad quid ergo amplexûs veſtigia relinquere? Quid turpius, quàm in lecto concubitus imaginem inſpiciendo, meminiſſe, nos eodem modo genitos, quo belluæ? Homo ſui principium ne agnoſcat ab homine, ut velut jumentum inſipiens genitus, ad inſtar inſipientis jumenti vivat; Sed proprium conſideret initium à Deo, ut perfectiſſimo ætatis circulo ad Deum redeat.

Decon. præc.

Pſalm. 48. n. 20.

Meæ Coniect.

DE HAC VITA: OTIO: ERRORE.

HÆC VITA. Corpus noſtrum quaſi animæ lectulus; Hæc enim vita mortalis, Tyrio teſte, *ſomnus*. Qui ergo ab eâ diſcedens tranſit ad immortalitatem, ſtragula colliget; Hoc eſt ea, quæ ad corpus ſpectant, probè compoſita pro ſuis viribus relinquat; Sed veſtigia ne ſervet ſomni. Servat, qui cedens fato alienas vult cogere voluntates, nec de propriâ ſcit ſtatuere; Qui de vxore, filijs, opibus non ſuis amplius magìs anxiè cogitat, quàm de animâ; Quæ ſua nimiùm, ſi eam perdit.

Max. Tyr. ſer. 28.

OTIVM. Deſſidiæ naturam in ſomno habes.
Prov. c. 6. n. 9. De qua illud, *uſque quò piger dormies?* Vbi ſola
otij extant veſtigia, ibi forſan veriùs, quàm ex
Greg. Ven. to 5. ſec. 5. prob. 451. traditis à Veneto, malum prævalere dæmonem
intellige; Inertia enim eſt diaboli *hamus*; Et qui
Thom. in vit. patr. occ. l. 7. c. 8 & Petr. Belſ. ep. 9. otiatur, *viam ſibi conſtruit ad gehennam*. Inſuper
otij, quo nîl turpius, delenda, non relinquen-
da veſtigia. Scipioni, ac Lælio infauſta concu-
Val. Max. l 8. c. 8. larum, & calculorum memoria; Socratis famam
equitantis in arundine cum pueris adhuc deri-
Ep. 19. & 68. det Alcibiades; Iurè ideo Seneca, *id age, ut otium
tuum non emineat;* Alibi, *abſconde te in otio, ſed
otium tuum abſconde:* Nam *gloriari otio iners ambi-
tio eſt*. Audiat, qui nugis nedum ſtudet, ſed eas
in lucem edit: Convolvat, & colliget, ne ap-
pareant. Otiari malum, otij memoriam relin-
quere pejus; Illud enim aliquando fragilitatis
eſt, hoc ſemper ſtultitiæ. Verùm ſi de otio id
dictum, quid de pravo opere? Attamen quot
non ſolùm malè agunt, ſed ipſum errorem ca-
nentes, à malo famam quæritant?

ERROR. Dic tu, qui hactenus *gravi ſopore*,
Ion. c. 1. n. 5. ut Ionas, *in morte obdormiens* in errore quieviſti,
nunc tandem à ſomno ſolutus jam vigilas; Dic,
cur etiam ſomni veſtigia retines? Libidinem,
odium reliquiſti; Sed amaſiam, & ſicarium do-
mi adhuc habes. Aut etiam dormis, aut citò in
lethargum incides. Dele ſigna, ſtragula excute:
Se-

Secus allicis hoſtem, inſectatorem inſtruis, diabolo viam paras; Qui pedem in tuis ponens veſtigijs, jam te invenit, jam te poſſidet.

Digitized by Google

COR NE EDITO.

Symb. XXVIII.

Var. Lect.

Cor ne édas: Volſſ. in Cyrill. Svid. Arcer: in Iambl. *Ne vores*. Ficin. *Ne comedas*. Polit.

Int. Var.

DE CORDE: REBVS IGNOTIS: AMICO: TOTIVS VNITATE: CVRIS, ET AFFECTIBVS: ANIMO: INVIDIA: IRA.

COR. Non édendum, haud enim concoquitur: *Nonnul. ap. Gyral. de Symb. Pyth.* Nam vitæ ſedes. *Iambl. de vit. Pyth. c.*
Levit. c. 7. n. 26. 24. Nam ſanguinem comedere a Deo jam vetitum. *Georg. Ven. to. 5. ſec. 5. probl. 447.*

A Symboli receſſiſſet naturâ, ſi propriè de corde locutus fuiſſet Pythagoras. Verùm ab his interim diſcamus; A noſtri ipſius offensâ, quæ in pravâ concoctione indicatur, à proximi, quæ in vita, à Dei quæ in ſanguine, abſtinendum. In his tribus tota, legis vis. At ſi mala concoctio vitanda, quæ ad corpus attinet, quid de mœrore dicendum, perturbationibus, & vitijs, quibus noſtram nos ipſi lædimus animam? Si proximum in vitâ offendere nefas, quid in honore, in famâ, in moribus? Edere cruorem

non

non amplius à Deo interdictum; Sed non ideo te pauperum ſanguine pinguem fieri, permiſſum.

RES IGNOTÆ. Incertum enim eſt, an cor ſit ſanctum: *Ael. de var. hiſt. l. 4. c. 17.*

Si Pythagoram audire nolumus, accipitres ipſos imitemur, qui ſymbolo pârentes, ut Aelianus refert, à cordibus tanquam ſacro. quodam, ſe abſtinent. Verùm corda ſcrutari, an impia, vel ſancta ſint, ſolius Dei eſt; De quo *tu noſti ſolus cor omnium*. Ea ergo édere, hoc eſt convitijs tanquam impia laceſcere, non decet.

Gyl. in Ael. de nat. an. l. 4. c. 14.

1. Reg. 8. n. 39.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignum:
Linquantur ſecreta Deo.

D. Proſp. in epigr.

Audiat pravus animorum interpres, qui de mentium arcanis temerè, ac cæcus judicans, linguam acuit contra proximum, & ſæpè innocentem: Videat, in quod ſævit; Cor juſti Dei altare fuit appellatum: Falsò interni viſione Deum ſe facit, verè maledicentiâ dæmonem. Sic frequenter divinum altare vorat in cordibus contra clericum laicus, vicinus contra vicinam, ſervus de hero, ſubditus de principe loquens. Erramus crebrò in externorum cognitione, ac ea cognoſcere putabimus, quæ latent?

D. Greg. in 1 Reg. l. 6. c. 16. & Lactant. de ver. cult. l. 6. c. 24.

Linquantur ſecreta Deo.

AMICVS. Illi non ob rectandum; *ap. Thuil. de Symb. Pyth.*

Interpretationem hanc probare neſcio. Vorat

COR NE EDITO.

Symb. XXVIII.

Var. Lect.

Cor ne edas: Volſ. in Cyrill. Svid. Arcer: in Iambl. *Ne vores*. Ficin. *Ne comedas*. Polit.

Int. Var.

DE CORDE: REBVS IGNOTIS: AMICO: TOTIVS VNITATE: CVRIS, ET AFFECTIBVS: ANIMO: INVIDIA: IRA.

COR. Non édendum, haud enim concoquitur: *Nonnul. ap. Gyral. de Symb. Pyth.* Nam vitæ ſedes. *Iambl. de vit. Pyth. c.* 24. Nam ſanguinem comedere a Deo jam vetitum. *Georg. Ven. to.5. ſec.5. probl.*447. *Levit.c.7. n.26.*

A Symboli receſſiſſet naturâ, ſi propriè de corde locutus fuiſſet Pythagoras. Verùm ab his interim diſcamus; A noſtri ipſius offenſâ, quæ in pravâ concoctione indicatur, à proximi, quæ in vita, à Dei quæ in ſanguine, abſtinendum. In his tribus tota, legis vis. At ſi mala concoctio vitanda, quæ ad corpus attinet, quid de mœrore dicendum, perturbationibus, & vitijs, quibus noſtram nos ipſi lædimus animam? Si proximum in vitâ offendere nefas, quid in honore, in famâ, in moribus? Edere cruorem

non

non amplius à Deo interdictum; Sed non ideo te pauperum ſanguine pinguem fieri, permiſſum.

RES IGNOTÆ. Incertum enim eſt, an cor ſit ſanctum: *Ael. de var. hiſt. l.4.c.17.*

Si Pythagoram audire nolumus, accipitres ipſos imitemur, qui ſymbolo pârentes, ut Aelianus refert, à cordibus tanquam ſacro quodam, ſe abſtinent. Verùm corda ſcrutari, an impia, vel ſancta ſint, ſolius Dei eſt; De quo *tu noſti ſolus cor omnium*. Ea ergo édere, hoc eſt convitijs tanquam impia laceſcere, non decet.

Gyl. in Ael. de nat. an. l. 4. c. 14.

1. Reg. c. 8. n. 39.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignum:
Linquantur ſecreta Deo.

D. Proſp. in epigr.

Audiat pravus animorum interpres, qui de mentium arcanis temerè, ac cæcus judicans, linguam acuit contra proximum, & ſæpè innocentem: Videat, in quod ſævit; Cor juſti Dei altare fuit appellatum: Falsò interni viſione Deum ſe facit, verè maledicentiâ dæmonem. Sic frequenter divinum altare vorat in cordibus contra clericum laicus, vicinus contra vicinam, ſervus de hero, ſubditus de principe loquens. Erramus crebrò in externorum cognitione, ac ea cognoſcere putabimus, quæ latent?

D. Greg in 1 Reg. l. 6. c. 16. & Lactant. de ver. cult. l. 6. c. 24.

Linquantur ſecreta Deo.

AMICVS. Illi non ob redandum; *ap. Thuil. de Symb. Pyth.*

Interpretationem hanc probare neſcio. Vorat

rat quidem cor ſuum quodammodo in amatâ vxore vir zelotypus, juxta illud Plutarchi, *amoris dentes zelotypia, & ſuſpicio:* Sed eam ideo non lædit: Fidem illius intactam, & inſuperabilem noſcit; Rivalitatis vero importunitatem ſibi, ac illi moleſtam ferre nequit: Vorat proximum, qui verè amicus errantem corripit; Sed ut corrigat: Vorant puerum parentes, ut edúcent: Sauciat chirurgus infirmum, ut ſanet. Offenſa, quæ patientis utilitatem reſpicit, offenſa non eſt, ſed beneficium. At qui obtrectat amico, jam receſſit ab amicitiâ. Cor eouſque illi eſt amicus, donec eum ipſe diligit; Dum afficit injuria, pro corde amplius non habet; Ideo cor vorare dici nequit. Nos indè tamen intelligere liceat, *ſub agnino vellere lupinum gerere animum*, & ſub amici ſpecie *carnem amici ſui comedere*, vile nimiùm, eſſe, ac ingratum: Vile, nam perſonati eum aggredimur à tergo; Ingratum, nam eum lædimus, qui nos amat.

Ap. Stob. ſer. 63.

B. Aelve. in comp. ſpec char. c. 6. Ierem. c. 19. n. 9.

TOTIVS VNITAS. Non convellenda: *Iambl. Arcer. protr. c. 21.* Sympathia univerſi non diſcipanda; *Scutel. ibi.*

Hîc pro totius unitate, conſpiratione, ac ſympathiâ concordiam, pacem, necnon amicitiam ſumo, quæ ad inſtar ſunt cordis univerſi. Cor ideo vorat, qui fratrum, & bonorum diviſiones, diſſidia inter amicos, conjuges, parentes, principes vel excitat, vel fovet. Sic pariter agit advo-

advocatus, cujus tum ignorantia, tum malitia lucroſam perpetuitatem in lite nutrit: Siç denique impius, qui ſeu pravo conſilio, ſeu malis operibus hominem dividit à Deo, qui verè totius unitas, & *vita*. Iohan. c. 14. n. 6.

CVRÆ, ET AFFECTVS. Ne conficiamus nos curis: *D. Cyril. in Iovi.* Mœror ex animo proijciendus: *D. Hieron. in Ruf. Plutar. Eraſ. & alij*. Ab animi perturbationibus abſtinendum: *Ferd. à Belv. de Symb. Pyth.*

Aegyptij cor dentibus ambeſum prò hominibus pingebant, qui ægritudinibus affli&abantur; Quos etiam Seneca *ipſum cor exedentes vocavit*. Sic Phocylides *cor non minuendum* præcepit. Ac ſanè ut cum Patritio loquar, *anguſti animi eſt, cor ſemper corrodere, hoc eſt aſsiduâ curâ crutiari*. Symbolum, háncque ipſius interpretationem ab Homero fluxiſſe, nonnulli putarunt, favente Cicerone, qui poetæ ſic verba tranſtulit de Bellerophonte: Pier. hierogl. l. 21. ep. 10. In poem. admon. L. 9. tit. 10. Tuſc. 3.

Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis
Ipſe ſuum cor édens.

Locum ſimilem conſiderat Plutarchus,

Quò, nate, immenſum produces uſque dolorem De Homer. in opuſc.
Ipſe tuum cor édens?

Ab his percipiamus, nos ipſos cor noſtrum édere. Nunquam infortunia nos invadunt, niſi prius ea nos admittamus: Dum admittimus, illarum dentibus ipſi cor noſtrum arodimus. Infelicitates à nobis vel originem habent, vel alimentum:

Vel

Vel ipſi facimus, vel augemus; Augemus autem, dum remedia noſtrum eſt afferre, nec afferimus. Nulla ærumnarum, cui ratio aliquam conſolationis cauſam, &.mali compenſationem non admiſceat. Omnes adinſtar viperæ ſecum ſui morſus virvlenti gerunt medicinam: Si hanc negligimus, morbo cedimus libentes; Dúmque cedimus, noſtri uictorem facimus. Mœreris ob filij mortem? Mortis cauſam te noſce, qui mortalem genuiſti: Cogita, eum non tantùm nunc mori, ſed jam vixiſſe, & adhuc vivere; Iactura fuit momentanea; Pluribus annis filium habuiſti mortalem; Nunc immortalem habes. Luges propter carcerem, aut exilium? Si reus, luge potius ob errorem; Si innocens, de tyranno ride, ac de te ipſo lætare: Corpori solùm libertatem adimunt vincula; Non menti, quæ nunquam-exul, & à longè patriâ fruitur, & patriam ubique habet. Angeris ob hujus anni penuriam? Præteritorum, & futurorum ubertate compenſa: Tempora non ſemper eadem; Te ipſum horreo, & crumenæ apta, ſícque annonam tibi fac: Homines indigent parvi, quanvis deſiderent plura; Tuæ voluntatis eſt, annum agere in ſterilitate fertilem. Aegrotatione laboras? Pondera, te cauſam dediſſe, ac intemperantiam corrige: Morbi omnes à nobis ſunt; In nobis enim vel cauſam reperiunt, vel propenſionem; At ſi paucis diebus ægrotas,

quot

quot luſtris optimâ es uſus valetudine? Spe ſanitatis mœrorem ſana. Quid amplius? Abſtine ab amore, nec feritate, aut zelotypiâ cruciaberis: Dele odium, nec turbâ militum pauper fies, nec de tui ſecuritate dubius eris: Linque cupiditates, nec indigebis, nec fruſtraberis. Quibus curis non afficitur, qui amat, qui odit, qui deſiderat? Amiſsâ libertate, ac boni defectu infernum in ſe quiſque tenet; Curas tamen ſtultus pro voluptatibus habet. Ægrotare, ac ſanum ſe credere peſſimum delirium, maxima infirmitas. Cor igitur ne ipſe vores; Ne quaſi dentibus conterens in tot partes dividas, quot ſunt affectiones, & vitia; Sed integrum in ſolâ ratione, in ſolâ virtute, in unico Deo pone.

ANIMVS. Ad inſtar rerum, quas comedimus, animus non mergendus in corpore. *Farr. in ſepten.*

Cor pro mente, ac animo paſſim ponitur à Steph. in theſ. græ. t. 2.
Græcis, & præſertim in ſacris literis; *Inclina cor tuum, ad cognoſcendam prudentiam*. Mentem Prov. c. 2. n. 2.
ſuam ergo qui mergit in corpore, cor ſuum édit. Audiat helluo, qui propriè ſuum comedens, in ventre ponit. Audiant formæ, divitiarúmque amantes, ac cæteri, qui pro corporis alimento, veſtitu, culturâ tot curas impendunt, nec unam tantùm pro animâ. Cor ſuum qui merſat in corpore, merſat in morte: Sique *ubi eſt theſaurus tuus, ibi cor tuum*, ſtultus pro theſauro æſti- Matth. c. 6. n. 21.

mas, quod nîl aliud theſauri habet, niſi pondus; Quod in carcere, aut ſepulchro à te non
Macrob. In ſom. Scip. l. 1. c. 10. & 11. conditur, ſed tibi carcer, ac ſepulchrum eſt.

INVIDIA. Ne eſto invidus: *Iambl. in Symb.*

Emb. 71. Alciatus invidiam cor proprium comedentem deſcripſit. Prô amentiam! Tu, qui hoc vitio laboras, te ipſum dilanias, bonúmque alterius in tui vertis malum. At cur proximi bonis invides? Nam ea deſideras, nam poſſidentem odis? Concupiſcibilem, & iraſcibilem facultatem ſic in tui perniciem confundis. Bonæ invides famæ? Non invidiâ, ſed operibus acquiritur. Ingenio? Cuique hic datur; Plaude potius, tuum cole, ac alienum imitare. Fortunæ? Virtute ſupera. Dignitati? Cura, ut merearis. Divitijs? Nîl cupias, & ditiorem te fac. Eum verò, qui bona poſſidet, quare odis? Nam poſſidet bona? In quo ideo te lædit? Poſſidet, nam ſudans, & algens acquiſivit; Hoc idem quis tibi, niſi tu ipſe, denegavit? Præterea ſi odis, cur invidia, & eum honoras, & illi te inferiorem fateris?

Quintil. Inſt. orat. l. 1. c. 1.

IRA. Ne iraſcaris. *Ferd. à Belv. de Symb. Pyth.*

Diog. in Pyth. Gal. de virt. Ariſt. prob. ſec. 8. q. 27. In corde iraſcibilem facultatem poſuit Pythagoras; Idem voluit Galenus. Eam poſtea vim quandam igneam dixit Ariſtotiles. Hæc omnia in unum collegerunt Ægyptij ſacerdotes, referente
Ap. Cyril. rente Cyrillo, dum corde igni ſuperimpoſito

iram

iram ſignificabant. Ne igitur cor édas idem ſit, ac dicere, abſtine ab irâ. Quâ enim perturbatione affecti magìs, quàm iracundiâ, nos ipſi noſtra devoramus viſcera? Corda vultures comedant, non homines. A naturâ nobis datum cor, ut eo vivamus, non ut illud voremus. Profectò ſuum édit, qui atrociſſimo iræ monſtro édendum præbet. Sic dum iratus levis offenſæ, ac ſæpe mendacis vindictam quæris, offenſam longè majorem tu ipſe tibi affers; Quæ verò major, quàm ratione, ac mente privari? Sic dum cor alterius cupis édere, tuum édis: Theophraſtum audi; *Ne ità inimicos* ulciſcaris, ut tibi magìs, quàm illis noceas. Vindictam optas? Sume; Sed de iræ hoſtilitate, illam delens. Placare, parce, atque cor tuum non comedens, illúdque Deo integrum tradens, in tuto pone: Ipſe inſtat; *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Væ illis, qui cor ſuum comedere malunt, quàm Deo largiri; Quinimmo reſtituere.

Ap Stob. ſer. 17.

Prov. c. 23. n. 26.

Meæ Coniect.

DE COELO: SACRIS LITERIS: MORTIS MEMORIA: MENDACIO: CVRIOSE' MALIGNO: SIBI PROPOSITVM IMPEDIENTE: CORDIS PRÆSTANTIA: SAPIENTIA: HELLVONE.

COELVM. Quid comedis ò nova Promethei avis? Corda? Quomodo ab inferis ad ſu-

Apoll. l. 3. & Fulg. myth. l. 3.

perna tranſiſti? Cordáne édis, an cælum? Corde profectò cælum indicabant Ægyptij. Quicunque à vitio, ac violatione ſacræ legis non ſe abſtinet, ſuam cæli partem ſibi mandit. Sic popinones in crapulâ ſuam, in carne fornicator, in latrocinio rapax, avidus in fœnore, inſatiabilis in avaritiâ, in maledicentiâ mordax. Edens cibum conterit, ac deſtruit; Sic faciunt hæreſis, & blaſphemia; Os ponunt in cælo, animam in baratro: Idem agunt, qui ad divina fercula indignè accedunt; Admovent ad vitam labia, & mortem, ac *judicium ſibi manducant*; Vorant cælum, ac ipſi vorantur à gehennâ. Prô miſeros! Cibum in ſuam naturam convertit comedens; Nefas cælum in nos ipſos mutari, oportet nos ipſos in cælum: Symbolo igitur pârendum. At víſne impunè, ac ſinè labe cælum comedere? Vt plurimum qui edulia quærit, alimentum haud reſpicit, ſed voluptatem; Paucíque comedunt, ut vivant; Pluribus

Pier. hier. 134.

1. Corin. c.11. v.29

in ſolo vivendi cauſa palato eſt.

Iuven. ſat. 11.

Hæc vitanda. Tu éde cælum; Sed ut etiam jejunus eo nutriaris. Ede; Sed ut etiam poſt mortem in eo vivas.

SACRÆ LITERÆ. Quale cor non édendum? Antonomaſticè ipſius Dei cor Pythagoram inſpexiſſe puto. Quid illius cor? Sacra ſcriptura, inquit Auguſtinus. Divina debemus non édere, ſed

Aug. in pſal. 31 & Iuſtin. ibi, & Greg. in 2. Reg. l.6. c.3.

ſed credere. Qui comedit, ore capit cibum, ac vorat; Religio voraci ore à nobis non recipienda, ſed mente, ac fide veneranda. Comedentis palatum rigidâ cenſurâ, quod placet, aſſumit, quod ſecus, reijcit. Hæretici eſt, in ijs, quæ Dei ſunt, vel hæſitando, vel literam à ſpiritu non diſtinguendo, immundum, ac vetitum deglutire *camelum*, qui ruminat, unguláſque non dividit. Manducant alij *cortices arborum* alij medullam, quæ apud Græcos dicitur ipſius arboris *cor*: Vtrunque malum: Primi ſolam in ſacris paginis literam conſiderantes, nec literam ipſam intelligunt; Secundi ſuperfluâ curioſitate divina dum ſcrutantur, à divinis recedunt: Corticem illi comedentes negligunt meliora, & adhuc eſuriunt; Iſti cor, ſeu medullam vorando, nimiùm dum ſcire volunt, ſatis nunquam ſciunt: Illi demum ne viſum, ac lumina in lumine viſionis medio amittant, erga ſolarem orbem timidi perſtringunt oculos; Ac ut cæcitatem vitent cæcos, quodammodo ſe faciunt; Audentes, ac temerè iſti, apertis oculis dum ſolem intueri volunt ſe cæcos ante ſolem putant, uſque adhuc in ſole cæcitatem inveniant. Vtrunque malum dixi: Pejorem tamen cenſeo virum nimis audacem, qui non vocatus regios ingreditur receſſus, quàm eum, qui nimis modeſtus extra limina pedem ſiſtit. Vbi agitur de divinis, externis acquieſcere,

Greg. 1. mor. 15. 27
Levi c. 1. n. 3 & 4 Iſich ib, & Hieron. in Zach. 14.
Iob. c. 30. n. 4.
Steph. in theſ græc. t. 2 & Theoph de nit pl. l. 1 c 4.

re, illius eſt argumentum, qui de internis minimè dubitat; Velle autem ſapere, quod nequis, eſt idem, ac nolle credere, quod debes.

MORTIS MEMORIA. Per cordis effigiem quodcunque receptabulum exprimebant ſapientes. Itâ ſacræ literæ *cor terræ* ſepulchrum vocarunt: In hoc mortis nobis proponitur meditatio; Quæ non oblivione voranda, ſed perpetuis cogitationibus alenda. Ne igitur cor, ſeu ſepulchrum nos cum illo édamus, qui mortis recordationem, tanquam incitamentum ad mala, in ventre ponens ità loquebatur; *Comedamus, cras enim moriemur*. Dic ò ſtulte, ſi fas eſt loquendo eſui tempus occupare; Dic, quæ ratiocinatio? Nam morieris édendum? Eſtne ingluvies ad interitum præparatio? Abſtinentia potius, dicerem: An mortem arcet crapula? Potius arceſſit. Prô ſtultitiam! Te vocat fovea, tu converteris ad menſam: Tu minantem vides Parcam, nec parcis vitio? Inſtat mors, & comedis? Profectò prius quàm comederes, mortis memoriam voraſti: Sepulchri cibum te volunt fata, non tui ſepulchrum. Abi; Corona te roſis, tuóque tumulo flores auge: Sint tibi confinia, eſcam glutire, ac evomere animam; Sícque tuâ pinguedine lautiora fercula vermibus, immo gehennæ para. Nos interim noſtri finis memoriam in corde habentes, ne ſepulchrum deglutia-

Vict. hier. 14. Matth. c. 12. n. 12 Iſai. c. 22. n. 13.

glutiamus: Ejus recordatio ad virtutes nos excitet, non ad vitia; Et ſic vivat in nobis, ut hac relictâ mortalitate nos vivamus in Deo. Inter baccanalia hodiernâ die tantùm exultare, impar nimiùm, ac ſtulta craſtini, æterníque interitus compenſatio: Momentaneis terræ convivijs, ô nephas, lætetur ante mortem, qui vult; Nobis, ô vtinam, poſt mortem in perænnibus cæli ſymposijs exultare, ſat erit.

MENDACIVM. Ægyptijs veridicum viri probi ſermonem ſignificabat cor loro à gutture ſuſpenſum: Hinc forſan, ut veritati aſſueſcerent pueri, bulla ſub cordis figurâ eis ante pectus annectebatur; Cor igitur non in ore, ſed extra os veritatis nota; Illud inter dentes habere, ac glutiendo celare, mendacij: Cor ideo ne vores idem ſit, ac veridicus eſto. Ibis Mercurio ſermocinationis domino ſacra ipſum cor indicabat; Cor enim in ſermone ponendum. Et ſanè quid magìs, quàm mendacem eſſe, à viro diſſidet, quem ſibi ſimilem creavit ille, qui *veritas*? Propriè locutio ſolo datur homini, ut mentis explicet arcana: Falſidicus verè ideo non loquitur, ea enim non explicat, operit. Veritatem hac vice tantùm dic, ò mendax; De quo ſermonem facis? Immo de quo mendacium? De te ipſo? Autoritatem propriam ſic tu minuis, qui vera dicendo, auditorem tuum in hoc quaſi

Deum

Or. Ap. l. 2. c. 3. & Pier. hier. l. 17. & 41.

Macrob. ſat. l. 1. c. 6.

Or. Ap. l. 1. c. 36. & Pier. hier. l. 17.

Iohan. c. 14. n. 6.

Deum facere potuiſſes: De proximo? At ſi tuum animum tu vides, ac neſcis oſtendere, quo pacto alienum poteris videre, ut oſtendas? De Deo? Sic de ipsâ veritate ſacrilegus profers mendacia; Quibus fidem habere idem eſſet, ac
Porphir de ſacr. l. 3. non habere fidem. Animalia ſine ratione, ſi rectè philoſophantur nonnulli ex Pythagoricis, varijs vocibus inter ſe varios, ac internos patefaciunt affectus. Aliter ſic garriens ad ſe vocat hirundo ſociam, aliter propter ablatam prolem luget; Boantem ſic bovem tum impoſito jugo mœrentem intelligit bos, tum paſcui fertilitate gaudentem; Canis quodam latratu, reperto domino, lætitiam oſtendit, quodam invaſus à canibus cæteros ad ſui defenſionem invitat canes; Leo ipſe rugitus varietate, ſive preſſum morbo, ſive ob prædam exultantem ſe indicat: Veriùs ità loquuntur beſtiæ, quàm viri mendaces. Vitijs cæteris mendacium ſolum pejus eſt: Illis
pſal 48 n. 21. *homo comparatus eſt jumentis;* Hoc fit deterior;
Iuvenal. ſat 9. Nam eo mugiunt homines, *jumenta loquuntur.* Mendacium tamen ſic amant illi, ut prudentium ſapientiam ſtultè illud ipſum vocent, quod ſuos auditores vult inſcientes; Vigilias, & ſtudia pro illo impendunt, quod ſtudentes, etiam, & vigilantes ignorare, ac dormire facit; Illi faciliùs, quàm veritati aſſentiunt, perfidiæ ſic fidem ſuam credentes; Ab eo gaudent laudati, quod potius adu-

adulatione tanquam indignos laude vituperat: Aequitatem ut vel decipiant, vel retardent, illius patrocinio reus, & advocatus utuntur; Sed ille culpam ſic addit culpæ, hic ut alium tueatur, ſe ipſum lædit: Ejus artificijs opulentiores trahuntur nuptiæ; At ideo tandem in ejulatus terminant: Ipſo perſonati otiantur baccantes; Verùm ità in mendacio ſuas ponunt delitias. Prô deliria!

CVRIOSE' MALIGNVS. Qui arcana ſibi communicata mordet, cor édit; Quod, nam in pectore latitat, pro cujuslibet ſecretis liceat ſumere. Alieno ità nonnulli ſcrutato corde, illud caninis dentibus rodunt: De quibus diceret Perſius,

admiſsi circum præcordia ludunt. Sat. 1.

Id præſtat, qui proximi cogitationibus penetratis, ac finibus, vel impedit, vel divulgat, vel de ijs agit ſatyras: Idem qui amici ſcriptis, aut inventis perfidâ ſagacitate indagatis, ea ſi bona, quaſi comedendo ſua facit, ſi autem ſecus, maledicentiâ mordet: Sic verè

Scire volunt ſecreta domus, atque indè timeri; Iuven. ſat. 3.

Contra illud, *quæ viderunt oculi tui ne proferas in jurgio*. Prov. c. 25. n. 8. Tu à ſymbolo diſce, ob malignitatem curioſe; Dum hauſtis aliorum arcanis, ea mordes, eorum comedis corda; Hoc eſt pro ingenuitate, aut fide ingratitudinem, ac perfidiam rependis: Quid turpius? Vt in alijs excites erga

te ipſum timores, in te ipſum aliorum ſuſcitas odia: Quid ſtultius? Abſtine. Tu uerò nimis ingenue, alteri cor tuum cautè patefaciendum, intellige:
Verg. Æn. l. 2. Quàmplurimi adhuc vivunt Sinones, qui aliena captant corda, ut in ſui ſententiam tracta vorent. Cave.

SIBI PROPOSITVM IMPEDIENS. Edíſne, ut vivas, an vivis, ut édas? Quomodocunque ſit, non vivimus abſque corde, abſque vitâ non édimus; Dum igitur cor tuum comedis, tu ipſe iter tibi ad tua vota præcludis. Felicem ſi te deſideras, quare in perturbationibus infelicitatis cauſas ipſe tu quæritas? Vis te ſanum, & luxuriâ, vel crapulâ contra te provocas infirmitates? Ad quid, ſi te ſapientem cupis, vel in otio, vel in ludicris, atque cum ſtultis, & inſipientibus verſaris? Aliam præturam ſi exoptas, cur præſentem injuſtè agis? Tibi omnium fidem comparare putas, & infidus omnes decipis? Fruſtra poſt mortem virtutis præmia conſequi credis, dum in vitâ vitijs tantùm incumbis. Cor tuum ità comedens, ut vivas, te ipſum occidis; Vt édas, cum vitâ famem extinguis. Currenti equo à minutis calculis viam purgares, ac tibi ad curſum parato ſtadium, vel foveis, vel repagulis impedies? Alteri propoſitum interdicere, malignitas eſt, ſibi amentia.

CORDIS PRÆSTANTIA. Cordis effigie in

in bullâ, vel ad excitandam, vel ad præmio de- Macrob. ſat l.1. c.
corandam virtutem, ornabantur Romani. Sic ad 6. & Pier hier. l 41.
illud pueris, ad hoc victoribus in pectore anne-
ctebatur. Hunc uſum, mediante Lucumone Py-
thagorico, ab ipſo Pythagorâ forſan traxiſſe
originem, putat Pierius. Cor igitur ne comedas; Ibi.
Verùm ad præſtantiam ale: Illud comedit, qui va-
nus diſſipat in delitijs; Qui ſuperbus, ac iracundus
in ore habet; Qui ſpretis nobilioribus naturæ ge-
nijs, vult propriam voluntatem ſuis tantùm inſer-
vire voluptatibus. Tu fortis unias in pectore, in o-
peribus exerceas. Illud ne deglutias, velut cibum,
ſed fac, ut appareat, velut hominis. Cor in ho-
mine caro quidem; Non ad eſum tamen, ſed ad
vitam, ſed ad gloriam.

SAPIENTIA. Ne ipſam vores, juxta illo-
rum opinionem, qui animum, & prudentiam
in corde ponentes, cordatum virum ſapientem
vocabant; Vnde Cicero, *nec ſequitur, ut cui cor* Tuſc.l.
ſapiat, ei non ſapiat palatum. Sapientia guſtanda,
non voranda; Non in comedentis ore, ſed ab ore
docentis percipitur. Illam vorant, qui pau-
corum dierum ſtudio totam glutire volunt en-
cyclopædiam; Qui eâ utuntur, non ut ſyderibus
dominentur, ſed ut pareant ſtultitiæ; Qui ample-
ctuntur illam, non ut ornet mentem, ſed ut in-
ſerviat corpori; Qui ſequuntur Mineruam, ut
páret victum, non ut vitam componat; Qui ſa-

 pien-

pientis opera ſua faciunt; Qui ſapientem ipſum maledictis mordent. Verùm quia de illis, qui ſapientiam vorant, in ſequenti aptius forſan dicendum, falſam priſcorum doctrinam prætereo. Hîc eum audio, qui me increpat; Sacra enim pagina ſæpe ſapientiam ipſam in corde ſtatuit. Sed illi de humanì loquebantur; Apud Deum illam quidem ſcio in corde poſitam, de quâ dicitur

Iob c. 28. n. 28. *timor Domini ipſa eſt ſapientia*. Nos interim ab antiquorum mendacio veritatem diſcere, liceat; Cor ſanè pro voluntate ſumitur; Sit ergo, & ſapientia, & voluntas in corde: Cur mœres tu? Ingenio invides alieno, de tuo quæreris? Dic, nudúmne inſpicis, an ſcientijs ornatum? Si nu-

Quintil. or. inſt. l. 1. c. 1. dum, à naturâ cuíque datur: Si ornatum, quare non ornaſti? Sapientiam in corde, hoc eſt in propriâ voluntate, quiſque habet. In eo ſemina

Ariſt. Metaph. in princ. poſuit natura, qua omnes homines ſcire deſiderant. Vt ad actum potentia, ſemen ad fructum ducatur, opus eſt, ſudare, ac algere: Sic quicunque verè vult ſapere, ſapit.

HELLVO. Quid, ò cupes, ò inſatiabilis gaſtrimargiæ ſectator, qui *cor tuum ſemper geſtas*

Io: Euſeb. l. 3. c. 17 *in ventre*, quid agis? Vittulus apponitur, deſideras leporem; His potitus boletos, & tubera poſtulas; Ficedula porrigitur, perdicem quæris, hanc habes, phaſianum cupis: Terram, & aerem tui depopulentur biarchi; Vis murenam à Siculo,

lo, à Septentrione mullum, à Latio cyprinum, à Lemano percam, oſtream à Lucrino: Flumina, lacus, & mare cuncta ſuppeditent; Iam poſcis pulmenta, embammata, Iovis cerebrum, hyemales uvas, æſtiuas niues: Tota cupedijs, ac lautitijs exhauriatur popina; Exigis à coquo fraudes, metamorphoſes, miracula: Impoſſibilia ſpeculetur culina; Ferculorum pondere jam menſa crepitet, numero deſit, adhuc optas, adhuc jubes. Pucinum afferatur vinum, petis Falernum: Sitis extinguatur, & fames; Accedant irritamenta, ut excites denuo; Venter aliud nequeat capere; Capiat oculus. Ità ſi voluntas in corde, cor tuum propriè voras, dum vis édere quodcumque ſuggerit voluntas. Abſtinentiam ſic frangis, ac legem; Sic infirmum te facies, aut pauperem. Deſine, ac Iuvenalem audi;

Ne mullum cupias, cùm ſit tibi gobio tantùm, Sat.13.
In loculis.

Immo Pythagoram; Ne édas cor: Si palatum ſemper habes in corde, ne cor in palato ſemper habeas.

CERE-

CEREBRVM NE COMEDAS.

Symb. XXIX.

Var. Lect.

Cerebrum ne édas. Ficin. *Ne comedito:* Arcer. in Iambl. *Ne mandito*. Gyral.

Int. Var.

DE OBLIVIONE: SAPIENTIA.

OBLIVIO. Fugienda. *Nonnul. ap. Gyrald. de Symb. Pyth.*

CErebrum édere nefas, ne pereat memoria; Quod forſan tetigit Iamblicus ibi, In Symb. *ſine quò nec continere, quæ ab ipſo ſunt veſtigia, poſſumus*. Cerebrum ergo édit, qui ſui oblitus muneris de proprio excolendo intellectu nihil cogitat; Qui habituum, ac facultatum jam acquiſitarum deſerit exercitia: Idem agit, agricola, qui campum ſerere, pater qui filiorum ingenia erudire negligit. Oblivione quid pejus? Illa dimidium vitæ homini rapit, qui præteritorum memor, diebus etiam anteactis quodammodo frueretur: Immo ille tranſactas ætates omnes, quas eruditione, ac memoriâ tenet, dum eorum obliviſcitur, amittit. Euripidem hîc audio, qui opta-

optabilem miſeris malorum oblivionem putat. Ap. Stob. ſer. 24.
Decipitur. Maláne præſentia? De ijs non datur oblivio. Præterita? In quo nocent? Oblivio mala ſemper; Mali, prudentiæ noxia; Boni, erga autorem ingrata. Non ſemper, ait quidam; *Injuriarum* enim *oblivi ſci glorioſum*. D. Aug. de ver. Decr. 16. Id, pace tanti uiri, eſſet virtute veniam privare. Parcentis gloria, & meritum eſt de offensâ recordari, attamen parcere; Síque oblivio danda, ſit veniæ filia, non mater. At oblivionum peſſima, quæ cum Antonij ſocijs, de quibus Cicero, *comedit beneficia*. 13. Philip. Nos igitur ne cerebrum édamus; Verùm in eo præcipuè noſtra beneficiorum vigeat recordatio. Letheis vndis antiquitas nos docuit, oblivionem, ac ingratitudinem inferis tantùm relinquendam, æterníſque dignam pœnis. Eam aliquando excuſant homines, ob temporis longitudinem, ob memoriæ imbecillitatem: Sed quid de illis dicendum, qui deditâ operâ cerebrum comedentes, etiam vicina diſſimulant, nec de præſentibus cogitant? Auram ſanè, quicunque reſpirat, à Deo habet; Hoc ipſum vitæ momentum à Deo eſt: Beneficium tamen, autorémque non curamus, ſpernimus, offendimus. Quid hoc? Nec oblivio quidem, nec ingratitudo, vtraque enim de præteritis. Prô vitium verè nefandum, quacunque ingratitudine, quacunque oblivione ſceleſtius!

SA-

SAPIENTIA. Nam ſedem rationis, ac ſapientiæ inſtrumentum colere debemus. *Iambl. protr. c. 21. & de Pyth. c. 24.*

Hodie rationem, ac ſapientiam in honore, quis habet? Cerebrum ſapientiæ inſtrumentum, rationíſque ſedem, non amplius colunt homines; Illud potius frequenter in ſede feritatis, ac inſtrumento ſtultitiæ mutant: Sedem auri magìs honorant, quam rationis; Intellectui arcam ſic præponunt, quanvis Cicero dixiſſet *animus hominis dives, non arca;* Síque de intellectu cogitant, id præſtant, ut eo ad arcam perveniant: Raro inſtrumentum ſapientiæ colunt, ſæpe amentiæ: Ità lenocinium, aut homicidium plus æſtimant, quàm ingenium; Síque ingenio utuntur, id agunt, vel ut illis hoc inſerviat, vel ut hoc ipſo ad ea cogant. Sapientiam, & rationem ità præſens veneratur ætas: Iam ſinè cultu Palladis derelicta ſunt limina; Solæ frequentantur divitum aulæ. In hoc præcipuè ſapiens, ac juſtus ab impio, & ſtulto dignoſcitur, quod ſemper ille pauper, ac ſpretus, impijs verò ut plurimum, & ſtultis dantur fortunæ patrocinia; Nî dicamus, eos ipſam fortunam impios, ac ſtultos efficere. Sed miror potiſſimùm de ijs, qui ſcientiarum ſe jactant ſectatores, illas tamen fœdant magìs, quàm honorent. Eas vorant, non guſtant: Immo glutiunt, de ijs enim haud amplius cogitant, Studebant jam viri, ut ſcirent, nunc ſtudent, ut come-

In parad.

comedant: Scientias ut acquirerent, in filijs educandis, doctoribus à longè conducendis, continuis peregrinationibus theſauros impendebant; Nunc in pauciſſimis numis comparandis totam erogant ſapientiam. A naturæ genio, quo ſcire quiſque cupit, eſuriens ad menſam diſciplinarum ducatur ille, ut legum, hic ut medicinæ ſumat edulia: Pauciſſimis diebus, ut citò ſe expediat, devorat potius, quàm mandet: Vix lauream memoriâ magìs, quàm intellectu aſſecutus, theoricæ relinquit ſtudium, ac ſe confert ad praxim, ut eſcam ſibi, & familiæ páret; Vnico dicam verbo, ut cerebrum comedat. Stulte, quid agis? Prô infeliciſſimam ægrotantium, & litium ſortem! Quid agis? Diſcipulus facultatem ſi voraſti, doctor nunc rumina, cibúmque confice, prius, quàm in tui ſubſtantiam vertatur: Ità non tuo, ſed alieno vivis: Non alimentum, ſed potius indigeſtionem facis: Hoc ſapientiæ inſtrumentum, ſedémque rationis eſt deformare, non colere. Nefas eſt, ad hoc tantùm ſapere, ut édamus; Debemus ità edere, ut ſapiamus. Pare ſymbolo, cerebrúmque ne comedas. Auſt. metaph. in princ.

Ideo non convenit, res probè judicatas, & diſciplinas convitijs arrodere. *Iambl. protr. c.* 21. Nec ſapientiæ opera mordere. *Scutell. ibi.*

Audiat ille, qui inter literarum tyrones obſoletarum opinionum autorem ſe facit; Qui

ex ignotis experimentorum cauſis novam ſibi effingit doctrinam; Qui denique jam probata mordicus carpendo,

Perſ. ſat. 1. *abaco numeros, & ſecto in pulvere metas*
Scit riſiſſe vaſer.

Audiant Neanthi, qui cerebrum quaſi vorantes amici, alienóque mutuato calamo, nunquam êdunt, ſed legunt ſemper orationes, & carmina; Sícque legunt ea, ut ab illis édita potiùs, quàm êdita quiſque poſſit percipere; Ac cum Senecâ Ep 84. diceret, *nec in ingenium eunt, nec in memoriam*. Attamen alicujus non apparent ſcripta, non repetuntur ab antiquitate ſcriptorum nomina, quorum ingenia non velint comedere; Quod obtrectatoris proprium, vnde illud, *qui comedunt te, deuorabuntur* (Ierem. c. 30. n. 16.). Vile ſemper, ac atrociſſimum feritatis genus illorum eſt, qui contra elaboratam ingenij prolem, maledicentiâ ſæviunt. Dixi atrociſſimum, nam in parte hominis nobiliore ſagittas figunt: Vile, nam virum non aggrediuntur armatum, ſed nudam paginam; Pugnare volunt, ſed hoſte remoto adverſus ejus veſtigia bellum ſumunt; Linguam contra perfectam lucubrationem à cæteris probè judicatam acuunt nonnulli, ut melioris ingenij argumentum jactent; Sed ità dum faciunt, ſanè illius perfectionem fatentur; Quam ſuperare ſi volunt, agant, non loquantur: Alij nam tenuem quidem, ac imperfectam judicant; Ve-

Verùm ſi talis eſt, quæ gloria, illi admovere convitia? Nullum ingenij opus tam leve, in quo ſaltem non eluceant ſciendi cupiditas, labor, ſtudium, voluntas: Ob iſta dignum, non reprehenſione, ſed plauſu. Ille malè ſcribit, tu de ipſo malè loqueris: Vterque malè agitis; Pejus verò tu; Nam ille in ſuo errat, tu in alieno. Inſuper ſi patent errores, vanè maledicus es; Nam quicunque ſapiet, illos agnoſcet: Impia maledicentia, dum etiam vanitate nocet. Si errata non patent, profectò autore, cæteríſque te ſapientiorem putas, dum ea indicas: Peſſimum vitium maledicentia, ſi incipit à ſuperbiâ.

Meæ Coniect.

DE NEFANDIS: ANIMA: MALI, BONIQVE MIXTVRA. VIVENTIBVS PRAVIS ARTIBVS: AVLICA VITA: SACRIS.

NEFANDA. Cerebrum ne comedas, hoc eſt à nefandis abſtine. Apollodorus apud Athenæum L. 2. c. 37. nec veterum quidem vnum cerebrum nominaſſe, tradit. Falsò tamen: Re verâ enim conſtat, Homerum, Euripidem, cæteróſque illius nomen protuliſſe: Quod etiam ipſum Athenæum intellexiſſe apparet, dum inter alios Philoclem adducit ſic loquentem, *nec cerebrum edo pingue*. Nefandum tamen illud priſci omnino putarunt: Quod

Rhod. l. 3. c. 23. & maz in Dant. l. 3. c. 18.

L. 1. c. 17.

ideo tale fuiſſe nonnulli autumant, quia proprio careret nomine. Vnde notatum de Sophocle à Dalecampio, *alij quod fugeret inuſitatum nomen.* Sic cerebrum comedunt, qui ſua ſcripta obſtruſis vocabulis fædant magis, quàm ornent; Qui autoritate, quam non habent, novis, aut obſoletis vocibus augere idiomata ſibi licitum putantes, ea potius corrumpunt. Illud nefandum alij credidere ob reverentiam erga hoſpitem capitis, quod ſacrum exiſtimabant: Sic à cerebro non abſtinent, qui ſacra ſemper in ore habentes; profanis, & impijs miſcent; Qui ut ex ijs nutriantur, ea venalitate proſtituunt; Qui oſtendunt in ore hypocritæ, quod abeſt à corde. Alij demum turpitudinem inſpiciebant, propter quam cerebrum antiquitus abominati proijciebant; Hinc Empedoclis Hecuba ſic ejus nomen tacuit, *ne turpia dicam;* Quod Dalecampio, *nefanda ut taceam.* Symbolo igitur hîc pareant, qui labia miſcentes immundis, turpia loquuntur; Idque nudum in ore oſtentant, quod tanto diſpendio veſtibus operiunt. Si ab eis, quæ fari non licet, abſtinendum, quanto magìs ab illis, quæ agere dedecet? Verùm ſi oratio index animi eſt, animúſque opera dirigit, virum, qui ea fatur, quæ nefanda, ea etiam facere, quæ non facienda, quis non putaret?

In Athan. l. 2.

Athen. ibi & Rhod l. 3. c. 23.

Plutar. ſymp. l 8. q. 9.

In Troad. Camil in Eurip. nat Com. in Athen. l. 3 c. 41. ac ibi Dalec.

ANIMA. Cerebrum, quod animæ ſedem volunt

ſunt quamplurimi, apud Græcos etiam interna Rhod. l. 5. c. 23. & Iambl. in Symb
eſt pars arboris, quæ vulgò medulla, ſeu anima
dicitur; Comedere autem nonnullis idem, ac ne- Steph. theſ. 8. 1. 2.
gligere, ſeu diſſipare. Homo igitur, quem ar- Ibi.
borem inverſam dixit Plato, cerebrum tunc édit, Ap. Plut. de Exil.
quum vel alienam, vel propriam negligit animam, eamque varijs perturbationibus diſſipat. Quid ſtultius? Veſtem curamus, quæ extranea corporis cortex, animam, quæ propria illius forma, omittimus: Indumentum ſi aliquâ ex parte ſcinditur, illico reficimus; Animam ipſi nos in tot partes dividimus, quot ſunt curæ. Cerebrum ſic édimus.. At extractâ medullâ nónne exareſcunt plantæ? Sic facit homo, in quo mens inculta, hebes animus, forma informis: Parum ità diſtat à brutis, immo à plantis; Non homo ſed abortus, aut monſtrum eſt.

MALI, BONIQVE MIXTVRA. Quæ Deo non placent, homini placere non debent; Illiquè placere nequeunt ea, quibus tum bona, tum mala placent. Ideo, ſi Filoni credimus, cerebrum, To. 1. de ſacr. Ab. & Cai.
& cor, nam ad virtutem æquè, ac vitium prona,
in ſacrificijs non admiſit Altiſſimus. Cerebrum Athen. l. 13 c. 12.
igitur, ſit etiam *Iovis*, ne comedas: In lautiori- Eraſ chil. 3 cen 6.
bus edulijs faciliùs latent venena; Simplicéſque ad 60. & Rhod. l. 3.
dapes naturæ magìs amicæ. Comedit cerebrum c. 28.
qui tum bonis, tum malis cogitationibus paſcitur; Qui & ad pietatem facilis, & ad crimina;

Qui

Qui & adorat in templo, & mœchatur domi; charitatem exercet, ſed inſidiatur pudicitiæ, jejunat, ſed fœnerat. En ille, *ædificans, & deſtruens, orans, & maledicens*. Hæc ipſa boni, malíque in cerebro mixtura, quæ nobis in pomi eſu mortem peperit, malum eſt; Quod nec placere Deo poteſt, nec debet homini.

Eccli. c. 34. n. 28. & 29.

Geneſ. c. 3. n. 18.

PRAVIS ARTIBUS VIVENTES. Cerebro comede, non cerebrum: Hoc eſt ratione duce, juſtíſque ingenij laboribus tibi victum compara. Qui cerebrum comedit, abſque ratione ad mala ſe confert. Sic ille agit, quem ingenioſum, ac induſtrem ſtultus appellat vulgus: Rebus indiget cunctis, nihil acquirit, ſemper otiatur, nunquam laborat; In dies tamen édit, ac in horam vivit: Quoties verò jam menſâ linteolis tantum inſtructâ, fruſtra eſuriens mordet cerebrum, ut præſtet dapes? Nunquam edulia mihi deſunt, ait ille; Audacia, ſolertia, induſtria mihi ſagaces biarchi. Quid agis? Edo cerebrum, ex ingenij machinis vivo. Quid hoc? Mercedi ſervio ad omnia, malis artibus principis autoritate fungor, in heri bonis lucrum mihi facio, meas, pupilli opibus, augeo, peregrinos ignotus aggredior, numos vel tondeo, vel adultero, fœnero, ſtateram tranſilio, proximum fallo, ludentes decipio. Sic manu paſceris, non ingenio; Ab hoc victum ne feras acceptum, ſed à ſtultitiâ potius,

ac

ac iniquitate: In cerebro ſic tuam édis animam. Deſinat hæc induſtria; Symbolo pâre, ac linque talem cerebri eſum, ne ſemper eſurias.

AVLICA VITA. In homine caput principem tenet locum. Ipsíque regnantes capitis nomine decorantur; Vnde illud *conſtituit me in caput gentium*. (Pſal. 17 n. 44.) Qui ergo cerebrum comedit, in ijs, quæ principis ſunt, reum ſe facit. Non ità ego, ait ille; Inter aulicos ritè alor. Prò te infelicem? Ideo tuæ ſpretæ libertatis reum te noſce. Maximo principi ſervio: Tu maximum ergo mancipium. Regi pareo: Tuum arbitrium in arduo poſuiſti. Benignus eſt: Facilius poterit lædi. Me admittit ad arcana: Magìs erit arduum recedere. Mihi autoritatem impertit; Contra te potius irritat odia. Premijs me auget: Oneribus dicas, velim. Eſt liberalis: Quæ regis liberalitas hominis compenſare poterit libertatem? *Regis cerebrum* comedo: Vide, ne ad inſtar palmæ cerebri, capitis pariat dolorem. (Eraſ. chil. 1 cen. 6. ad. 60.) A capite nutrior: Vtinam ſic ad tui finem lætus pervenias. Opiparè interim édo: Cave, ne tandem vomeas, & cibum, & animam; Hic ſæpe aulæ uſus, hic fræquens aulici exitus.

SACRA. Cerebrum dicerem non édendum, nam eſt *capitis hoſpes*, quod juramenti, ac ſternutantium adorationis argumento ſacrum putabatur: Ideo priſci religioſè, ab ijs abſtinebant, (Dalec. in Athen. l. 2. c. 27. & Rhod. l. 10. c. 3.)

quæ

quæ in ipſo capite collocantur. Ex ſymbolo igitur pateat, quæ ſacri loci habenda ſit ratio: Illud audiant, qui ſanctos inter parietes ipſam trucidant immunitatem, ſacerdotes contemnunt, inſidiantur veſtalibus, templum non diſtinguunt à foro, ſacris nutriuntur prædijs, ut vires augeantur ad impia. Verùm ſi hæc de illis, quæ ſacra incolunt, quid de ſacris ipſis dicendum? Hîc eum nequeo præterire, qui orto è frequentiâ ſpretu, ad altare, tanquam ad ludum accedit. Mentior: Ad ludum ſedemus; Ille ad aram feſtinans, quaſi ad ſtadium, currit; Edit ſacra, non profert; Preces non emittit, ſed veluti de corvis
L.10.c.12. ait Plinius, *voces glutit*; Verbúmque ſic truditur à verbo, ut non ſermonem, ſed ſonitum potius indiſtinctum audias. Eum pudeat: Syllabatim fabulam caneret; In ſacrificio nedum ſyllaba vorat ſyllabam, ſed verbum ſic manditur à verbo, ut nulla prorſus, niſi mutilata exeat periodus. Quid agis? Hæc menſa quidem, ſed Deus ipſe cibus: Nimiùm ſolers terrena guſtares fercula, negligens divinum deglutis, exor-
1. corint. c.11.n.29. bes? Horre, ac, ne *judicium* tibi *manduces*, cave. Ad ſymbolum redeo. Si loci ſacri habenda ratio, nullibi non probè agendum; Nullus enim locus non ſacer, nam Deus vbique.

IN

IN RECISIS VNGVIBVS, ET CAPILLIS NEC MINGITO, NEC INSISTITO.

Symb. XXX.

Var. Lect.

In ſuperfluis capillorum, vnguiúmque ſegmentis non mejendum. Plut. de præc. Pyth. int. ap. Gyral. to. 2. *Nec immingito, nec inſiſtito*: Ambr. in Laert. & Svid. Port. *Expurgamenta tua, & anguium conſpuito*, Iambl. Arcer. *Ne commingito, ſed deſpuito*: Polit. *Capillorum, & vnguium ſuperfluitates poſtquam abſcideris, peſſunda*. Ficin.

Int. Var.

DE ALIENIS AB ANIMO: HVMILIBVS PROPINQVIS, ET INVTILIBVS: EXTERNIS: VENEFICIIS.

AB ANIMO ALIENA. Quæ nobiſcum naſcuntur ab animo aliena, contemnenda: *Iambl. protr. c. 21.*

PRopria nunc potius animi ſpernuntur, coluntur aliena. Quidquid eſt in nobis, ajebat Epictetus, noſtrum eſt; Cætera ſunt aliena, velut perſegmina capillorum, & unguium: Nos autem Platonis mente, nîl aljud ſumus, niſi anima; Quidquid igitur extra animam, eſt à nobis alienum: Talia profectò ſunt corpus, & ſenſus; Immo nobis contraria; Nam iſti calcitrant, nóſque deci-

In enchir. c. 1.

De nat. homin.

Epict. ibi. & Arrian. l. 3. c. 26.

decipiunt; Illud mentis agilitati pondus, libertati *carcer*, immortalitati *ſepulchrum*. Hæc nobiſcum quidem nata, ſed extra nos, non in nobis. Non ſunt noſtra, ſed naturæ, temporis, neceſſitatis: Ac ſi data, ut inſervirent nobis noſtra eſſe debuiſſent, incontinentiâ ut plurimum nos ipſi, & à nobis aliena, & nobis contraria facimus. Corpus tamen quis etiam nimis, non alit, ac veſtit? Animus verò abſque ſapientiæ cibo, virtutíſque habitibus, nudus prorſus, ac jejunus deſtituitur. Oculum levis tangat palea, guſtus nauſeâ corrumpatur; Quæ remedia non tentamus, quibus irritamentis non utimur, ut viſus redimatur, ac fames? Ad animi expellendas infirmitates, nec medicum vocamus, nec pharmaca petimus. Cuncta denique à nobis aliena ſunt, ideóque ſpernenda, præter rationem. Ego, ait ſceleſtus quidam, corpori, ac ſenſibus, non rationi, pareo; Attamen opus meum minimè alienum eſt ab animâ, ſi cunctis memoriæ, intellectûs, ac voluntatis viribus ad illud me confero. Prô ſtulte! Propriam dignitatem ſpernens tu ipſe mentem ad dominium creatam inſervire faciens, trahis ad impropria, & aliena. Sic animum conſpuis, capillorum, & unguium perſegmina ſic honoras: Hæc ſperne, quæ nihil ad te, cole rationem, in qua tu ipſe.

Macrob in ſom. l. 1. c. 10. & 11.

Philoſophus ea, quæ à ratione, colat, non quæ à ſenſibus,

qui

qui pares haud ſunt, mentis ut aſſequantur æternitatem. *Iambl. ibi.*

Philoſophando quid optas? Immortalitatem? Hæc à ratione petenda, quæ ſemper viget; Non à ſenſu, & à corpore, quæ ſemper moriuntur. Quæ à ratione igitur colamus; Ea enim propriè noſtra, & à nobis ſunt. Quæ verò à ſenſu, &, à corpore, ut ab alienis aliena, velut unguium, crinıúmque perſegmina, contemnantur. In quo ſenſus, & corpus ad immortalitatem juvare poſſunt? Illorum vires minimè ad longinqua penetrant; Hoc morte ſolâ, & componitur, & alitur. Qui à ſenſu, & à corpore perpetuitatem ſperat, illius inſtar eſt, qui ſtultus vult perænnitatem à ſtatua, quæ nec paucis obſiſtit annis; A ſaxo vitam, quod nec vitam habet; Immortalitatem à marmore, quo exanimis cadaveribus conſtruuntur ſepulchra. Ad id quod eſt proprium animæ recurrendum? Hoc eſt ad intellectum, cujus inventis plures perpetuam nominis gloriam adepti ſunt; Ad memoriam, qua præterita revocantur, ac vigent poſteritati; Ad voluntatem, qua boni electione tibi æternam parare poteris felicitatem. Duplex immortalitas; Altera, qua etiam poſt mortem vivimus per ora virûm; Altera, quæ animæ noſtræ propria: Ad utranque ſola juvat ratio; Primam eruditione, ac ſapientiâ nobis affert, ſecundam virtute beatam efficit:

cit: Si abſque ratione vel inſcipiens, vel impius agis, immortalitas illa tibi erit infamia, hæc tibi erit pœna.

HVMILES, AC INVTILES PROPINQVI. Non ſpernendi. *Eraſ. de Symb. Pyth.* Homines abjecti non contemnendi: *Plutar. de præc. Pyth. int. ap. Gyral. to. 2.*

Vel inutiles contemnere, vel abjectos, aut humiles, quid ſit pejus, neſcio: Illud avari eſt, hoc ſuperbi animi argumentum. Peſſimum utrunque: Pejus tamen puto inutilem eſſe, quàm humilem, ac abjectum; Hoc enim à naturâ, vel à ſorte, quæ te, vel ignobilem, vel pauperem êdidit; A propriâ tuâ voluntate illud, quæ nemini te ſinit juvare: Si viribus nequis, poteris conſilio; Niſi opere, deſiderio tenta; Quæ arbor ità infelix, ut ſaltem, vel umbram, vel baculum peregrino, vel ignem algenti nequeat parare? Tu verò ad quid ſpernis humiles? Gratias illis potius age, qui propriæ humilitatis comparatione, te majorem quodammodo effecerunt. Prius, quàm derideas ignobilem, nos omnes virum exulem, mortis reum, terræ culturam exercentem genuiſſe cogita: Síque à Deo ſumus cuncti, autorémne tu Deo majorem habuiſti? Eum ne ſpernas: Tua potius dignitate illum fovens, honore aliquo dignum facias. Dum pauperem inſpicis, recordare, te ipſum etiam nudum ad hanc vitam acceſſiſſe: Te, apud te ipſum ditiorem, pondera, vel ad

ad tuæ cupiditatis menſuram noſce, ac forſan illo eris pauperior. Quoties autem pauper magìs homo, quàm dives? Ne contemnas igitur: At potius minimâ tuarum divitiarum portione illius corrige paupertatem. Inutiles demum ne peſſundes: Quoniam prodeſſe tibi nequeunt, vis tu illos lædere? Quid ſi, dum lædis, ex inutilibus nocentes facies? Fac potius, ut evadant utiles; Nî aliter, illis benefaciendo; Sic enim tuæ proderunt liberalitati. Sterili plantæ illico non admovenda ſecuris: Cole, ac recole; Ipſámque à ſterilitate ad fertilitatem revocare, tua ſit gloria.

EXTERNA. Minimè calcanda, nec penitus negligenda. *Gyral. de Symb. Pyth.* De quibus non curandum, innuere videtur Ficinus. *Gyral. ibi.*

Externorum cura neque prorſus habenda, neque penitus contemnenda. Si ad rationem dirigis, habe; Si ad ſenſum, contemne. Domum ad neceſſitatem conſtrue, non ad luxum; Victum quære, ut vivas, non ut crapuleris; Veſtimentis utere, ut nuditamen operias, non ut oſtentes; Faciei formam ut donum Dei cole, non ut oculos ad libidinem allicias; Nobilitatem æſtima, non ut ſuperbias, verùm ut probè agas; Divitijs afflue, ut fortuitis occurrant, non ut propagent vitia; Gazophylacium tene, ſed *in templo*, non in lupanari; Amicos habe, ut ſint vitæ ſocij, non duces ad interitum; Famulos ale, ut tibi ſerviant, non 4. Reg. c. 18. a. 9.

non ut te vorent; Corpus erudiat gymnaſtica, ut ad fortitudinem exerceat, non ad ſcelera, ut militem det patriæ, non ut graſſatorem efficiat: Ob infortunia demum cor tuum ne comedas; At de illis cogita, ſi vera, ſi tua; Síque talia, vel conſultus ea dimove, aut tolle, vel aſſuetus leviora, ſuſtinens glorioſa redde. Interna perfectè non curat, qui externa penitus negligit. Qui proſperam, ſeu ſiniſtram ſortem parvi ducit, continentiæ, ſeu patientiæ ornatum ſibi denegat. Circa hæc omnia, quæ extra nos ſunt, philoſophari debet animus: Ad hujus exercitium ergo ea ſaltem conſideranda. Cælum ipſum extra nos eſt; De illo autem nihil cogitare, idem eſſet, ac mentem noſtram ſinè proprio illius termino relinquere: Parentes, ac filij ſunt extra nos; Eos tamen colere, hos educare noſtrum eſt. Cuncta creavit Deus, ut inſervirent nobis; Nos ideo quidem inſervire illis nefas: Verùm ea ſpernere quid aliud eſſet, niſi animam noſtram ingratiſſimâ erga Deum tanti beneficij oblivione deturpatam velle?

VENEFICIA. Inciſos capillos, & ungues peſſundare oportet, ne ijs veneficæ mulieres ad noſtri perniciem utantur. *Georg Ven. to.5. ſec.5. probl.449.*

O utinam ſagæ ſolùm eſſent à nobis timendæ.
L.28. c.4 Si Plinio credimus, pro amuleto ſufficeret capillos, & ungues conſpuere. Omnes animi perturbatio-

bationes atrociſſimas contra nos exercent faſcinationes; Hinc ſtolidos, & ſqualentes nos efficiunt mœror, cupiditas, odium timor, & ſimilia: Quid de *pallido* amore dicam, qui magus apud Proclum? Eum tamen non arcemus, acceſſimus; Immo verò inter magicos pupillarum circulos nos ipſos ei tradimus. At ſi à capillorum veneficijs cavendum, quantò magìs à potentiſſimâ pulchræ mulieris arte, cujus crines aureos animorum laqueos vocamus? Prô amantium ſtultitiam! Inter quos capilli mutuò loco muneris exhibentur; Illíque dantur pulchritudini, quæ maga verſatur in circulo, quæ veneficium à Philippi uxore dicta.

Ovid. de art. l. 1. & Procl præf. in Plat. Soph.

Ficin. in cov. or. 2. c. 3. & Plut. in con. præc.

Meæ Coniect.

DE PERTINACIA IN MALO: INGRATITVDINE: VXORE: OCCVLTA OFFENSIONE: VIRIS A NOBIS REIECTIS.

PERTINACIA IN MALO. Capilli, & ungues tunc reciduntur, quum nimiâ peccant longitudine: Sic diviſi à manu, & à capite illius operum, & cogitationum pravitatem indicare poterunt, quem jam erraſſe pœnituit. Recidantur ergo. At ſuper eorum perſegmina cur meis? Hoc nihil aliud eſt, niſi expurgamenta expurgamentis addere, peccata peccatis. Hæc tua non

Pier. l. 32.

non vera correctio, ſed nova corruptio; Non-rite peccaſſe te puduit, ſi denuo peccare incipis; Reſcipiſcentiam ſic recidiva trudit, ac delet; A crimine non expiaris, crimen auges: Vngues enim & capilli urinâ conſperſi creſcunt; Si præciſi nequeunt, ipſum tentare, ut augeantur, augere eſt. Verùm & vetera, & nova mala prudens abs te dimove: Vnguium, capillorúmque vertices recide, comminge. At cur pertinax in illis denuo perambulas, cur adhuc *inſiſtis?* Cave, ne de tuo crine obtruncato illud dicatur *vertex capilli perambulantium in delictis ſuis*. Quod rectè jam rejecit ratio, ne turpè inſiſtentia repetat. Poſt contagium exuvias deponere non ſat eſt: Vel igne deſtruenda lues, vel à reliquijs longè abeundum. Peſtiferis luxuriæ, vel odij habitibus inſiſtere, idem eſt, ac peſtem ad ſe denuo revocare. Parietes ipſi timendi. Linque locum, perambulationes, veſtigia, dona, ſocios, epiſtolas, memoriam. Contagioſa poſtquam abjeciſti, fuge. Vel morbum tolle penitus, vel illico à morbiferis diſcede.

Pſal. 67. n. 22.

INGRATITVDO. Quid agis? Nónne iſti ungues, & capilli, nónne illi ſunt, quibus provida tuas munivit manus, benefica tuum texit caput natura? Quoties ab iſtis unguibus vel aroſis perfectam meditationem, vel caput ſcalpentibus memoriam ad gratitudinem, ac eruditionem

Eraſ. chil. 3. cen. 7. ad 96.

nem accepiſti? Quoties tuam prudentiam excitarunt iſti crines, dum, vel canitie, vel ipſa longitudine dies præterire indicarunt? Nónne tu ipſe ab illis heri, velut virilis formæ ornamentis decoratus gloriabaris? Eos nónne hoc mane tam ſedulo, & forficulâ, & eburneo dente coluiſti? Cur hodie parca immemor ipſos recidis? Prolixitatem ſi corrigis, cur deinde projicis, conſpuis, commingis, peſſundas? More potius antiquorum, Flaminíſque Dialis capillos patrio flumini, ungues terræ ſupter ſiliquam arborem vove: Sed jam nimis crinium, & unguium beneficia tumulaſti, letheíſque merſiſti undis. Hæc ingrati hominis natura: Nedum obliviosus à capite ſuæ ſortis autorem dividit; Nedum negligens à manu gratias arcet, ne reddat; Verùm ipſa beneficia, ne appareant, velut rejecta, ſpernit, operit, peſſundat. Sic avarus aurum, quod tanto ſtudio quæſivit, quo tali copiâ ipſum auxit fortuna, quod tam religiosè, ac frequenter adoravit, in carcere detinet, in ſepulchro condit: Sic dives illas opes, quibus ab hominibus magni æſtimatur, quas à Deo tantâ liberalitate aſſecutus eſt, coram hominibus dilapidat, in ipſius Dei contemptum vertit. Sic filius à parentibus, & facultatum, & laborioſo mentis diſpendio altus, educatus, divitijs, ac diſciplinis ornatus, illos jam ſenio confectos, ob eandem cauſam, qua

Spond. in Stom. lib. c. 3 & A. Gel. l. 10. c. 15.

ungues, & capilli reciduntur, hoc eſt ob nimiam eorum ætatis longitudinem, à ſe dividit, contemnit, odit.

VXOR. Nec humilis contemnenda. Crines, unguéſque recidere illius mulieris erat nota, quæ ab humili ſtatu ad nuptias vocabatur. *Si videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adoraveris, radet cæſariem, & circuncidet ungues, & erit uxor tua.* Illorum igitur perſegmina commingere, ac peſſundare, fœminam erit poſt conjugium ſpernere, illíque ignobilitatem, aut aliud probrum obijcere: At ſi ad inſtar Paridis, Venerem potius tu ſelegiſti, quam Minervam, & Iunonem, ad quid jam eâ potitus, originem, facultates, ingenium laceras? Dic, éſtne pulchra? Theſaurum habes. Formâ caret? Hæc tua pax. Proba eſt? Improbus ergo tu, qui eam peſſundas. Mala? Tu ipſe, illam dum lædis, peſſimam facis. Opes tulit? Leonem irritas. Dotem non habet? Ideo, nec ſuperbiam. Fertilis eſt? Matrimonij habes intentum. Sterilis? Te felicem, non enim filiorum experieris ingratitudinem. Quid vis amplius? Eſt uxor, & uxorem tu feciſti: Eam à ſervitute ad conſortium extuliſſe, tua fuit gloria; Nunc, ſi deprimis, te ipſum in electione, ac ſocietate inglorium facis. Opes, ac ſplendorem addat illa marito; Hæc à te recepit: Nobilem, ac divitem alium facere dignius eſt, quàm

Deuter. c. 21. n. 13.

Fulgent. myth. l. 2. c. 2.

quàm ſit, ab alio fieri. Conſortem habet ille à dote, à parentibus; Tu ſolùm à te ipſo habes: Maxima illa voluptas, quæ nec emitur, nec dono accipitur, ſed cujus tu ipſe autor es.

OCCVLTA OFFENSIO. Proximum lædere, nefas: Id occultè agere ſceleſtius. Crines igitur, & ungues conſpue, ſed non comminge. Inter mejentem, ac ſpuentem differentiam pondera: In publico ſpuimus, mejmus occultè. Palam cum hoſte dimica; Eum ſaucia, ſi licet. Verùm à longè, ac in abſcondito ne illum perſequaris. Dum id occultè agis, malum eſſe fateris: At, ſi malum, cur agis? Occultè lædo, inquies, ne mala mihi ſit læſio; Id eſt ne, aut læſos ad vltionem, aut fiſcum ad pœnam irritem: Opus tuum læſis, ac fiſco cælas, eos ne irrites, ac Deum irritare audes, cui cælare nihil potes? Conſpue, non comminge. Vbique ſpuimns; Etiam in foro, etiam in templo; Non ità mingimus; Vnde Pythagoras, *Adverſus ſolem ne mingas;* Perſius,

Pueri ſacer eſt locus; Extra Sat. 1.
Meÿte.

Cum proximo ſic age, ut ageres in foro, in templo; Vt liceret coram hominibus, coram Deo.

VIRI A NOBIS REIECTI. Non diffamandi. Servum rapacem, amicum nequam, improbum conſiliarium, vxorem adulteram, lenonem,

ſicarium, helluonem, ſcortum à te rejeciſti? Optimè. Illos conſpue: Verùm ne commingas. Qui ſpuit, delet pudenda; Vnde Theocritus ab Amarillide imitatus,

Eydel. 36. Guar. paſ. fid. act. 3. ſc. 3.

Deſpuo, ab invitis, quæ tu rapis oſcula, labris.

Qui meit, pudenda oſtendit. Eorum ne divulges errata; Ea potius abſconde. Sat ſit, eos rejeciſſe. Cauſa tibi tantùm, Deóque ſit nota, non populo. Conſtans imperator ſuam relinquens metropolim, eam conſpuit; Sic eos tu deſpue, quos abs te dimoves. At qui meit, ſua denudat pudenda; Illorum peccata dum palam recitas, cave, ne tua patefacias; Eorum improbitatem ſi revelas, te etiam fuiſſe improbum oſtendis, qui eos adhuc penes te habuiſti. Conſpue igitur, non comminge.

Cedren.

A B

AB ERYTHINO ABSTINE.

Symb. XXXI.

Var. Lect.

Ne erythino veſcaris. Diog. Ambr. *Erythinum ne comedas*: Suid. Port. *Erythinum, ſeu rubicundum ne ſuſcipias*: Iambl. Areer. *Rubrum aliquid*: Ficin. *Rubicundum*: Scutel. in Iambl. & Farr.

Int. Var.

DE MANSVETVDINE: VERECVNDIA.

MANSVETVDO. Abſtine à ſanguine, ac vindicta. *Cyral. de Symb. Pyth.*

TV, qui auribus diuini oraculi voces nondum percepiſti, nunc rubentem erythini taciturnitatem oculis audi: *Ne ſanguinem comedas*. Propriâ eloquens rubedine, quæ iræ, ac ſeueritatis nota, manſuetudinem te docet rubellio: Purpura, quæ in veſtibus olim belli, ac ultionis fuit ſignum, te in nudo natante ad pacem, ac veniam prouocat: Piſcis, quo pingebatur odium, te ad amorem hortatur: In ipſo igitur mari tot frequentato periculis tuam, & aliorum ſecuritatem ſiſte, ac *libera te de ſanguinibus*. In te ipſo, & in alijs ne virum ſuſcipias, qui rigidâ ultio-

Deuter. c. 12. n. 23.

Alex. ab Alex. l. 4. c. 2 et Iſai. c. 63 n. 3.

Or. Ap. hierog. l. 1. c. 44.

Pſalm. 50. n. 16.

ultione pro verbo ſanguinem exigat; Qui præcipiti, venalíque judicio ſicarius impunis exhauriat venas etiam innocentes; Qui truculento imperio tot militum phalanges morti exponat, trucidatas negligat, ac renovet, quorum nec unicam ſanguinis guttam belli cauſa æquaret: Iſti omnes erythini ſunt; Eorum enim animæ juxta Ægyptiorum literas, piſces dici poſſunt cruore conſperſi. Hominem *animal mite* voluit, dum illum inermem produxit natura; Belluis tantùm arma dedit, ut poſſent vim vi repellere: Si dedit homini, ea non in corpore, ſed in animo poſuit. Vis pugnare? Solo rationis gladio munitus in arenam deſcende; Pugna: In te ipſo habes hoſtem; Aviditatem, invidiam, odium, iracundiam ſupera. Proximo dum parcis, eo ſuperiorem te facis; Dum à ſanguine abſtines, cedens legi, te ipſum vincis: Muto ſic præceptore glorioſiorem abſque ſanguine à ſanguine ipſo victoriam diſce. At cruorem hîc etiam liceat extra vltionem, & homicidium inſpicere. Ab eo non ſe continet, immo *vir ſanguinis eſt*, qui panem pauperum manducat, in quo, velut in ſanguine, illorum vita. *Vir ſanguinis, & doloſus* idem. Cuncta peccata rubri ſunt coloris; Quæ talia forſan, rei enim eſt proprium ſuffundi pudore: Vnde illud *ſi fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra,* quaſi

Pier. hier. ſacras l. 51. Chryſoſt. hom 2. ad prop. Ant.

Eccli. c. 33. n. 25.

Pſal. 54. n. 24.

Iſai. c. 1. n. 18.

quaſi vermiculus, veluti lana alba erunt. Vis ergo ab erythino, hoc eſt à ſanguine perfectè abſtinere? Abſtine ab errore, in quo, & à quo rubor.

VERECVNDIA. Inverecundus neque ſis, neque ſupra modum erubeſcens, ac ſtolidus. *Iambl. protr. c. 21.*

Piſcis colorem conſule, nec tibi rubor deſit; Fuge, nec nimio labores. Hîc ſermo eſt, non de ore, ſed de mente. Non de rubore, qui *nec prohibetur, nec adducitur;* Sed de pudore, quem tu accerſere potes, & arcere; Non de ſanguinis motu, qui ad faciem injuſſus accedit; Sed de animi perturbatione, quam erga turpia ſuo imperio excitat ratio: Piſcem igitur dum vides rubrum, erubeſcentiam amplectere, quæ ingenuitatis nota; Sed cum Iamblico dum nudam illius etymon ſpectas, quæ nîl aliud, niſi ruborem infert, à nimio abſtine. Profectò erubeſcentia ſemper mali eſt vel pœna, vel index; Aliquando tamen tum à turpitudine, ac malo nos detinet verecundia, tum jam turpiter acta deteſtatur pudor: Eſto igitur verecundus, & pudens, ne de te ipſo dicatur, Senec. ep. 11. In Symb.

Sanguinis in facie non hæret gutta. Iuven. ſat. 11.

Sed ne velut rubellio, ſemper, ubique, ac ſupra modum erubeſcens dyſopiâ, hoc eſt vitioſo commovearis pudore. Malum quidem eſt, erubeſcentiâ prorſus carere; Sed eâ nimiùm affici, pejus. Plutar. de vit. pud.

jus. Illud audaciam gignit, quæ prona tum ad malum, tum ad bonum, eſt aliquando bona; Hoc pavorem, ac ſtoliditatem parit, quæ nec ad malum apta, nec ad bonum, ſemper mala.

Meæ Conicct.

DE TYRANNO: VERECVNDIA OB INNOCENTIAM: SILENTIO, ET PVDORE.

Pier. hier. l. 3. TYRANNVS. Ab Ægyptijs edoctus Pythagoras in piſce virum indicat nobis à Muſis, & Gratijs alienum; At dum eum purpureo colore oſtendit, en regnantem, quem

Iuven. ſat. *ardens purpura veſtit.*

Plat. 5. de rep. Quid hoc? Nónne Plato philoſophos civitatibus dominari, voluit? Nónne Pythagorici, oportere magiſtratum, non tantum eſſe prudentem, verùm etiam benignum putarunt? Princeps capitis decoratur nomine, capútque ipſum coronâ cingitur, quod ſapientiæ ſedes; Ac primus dominantium Iupiter à juvando dictus, ad imperij beneficium & Muſas, & Gratias protulit: Orph. in hymn. Piſcis, & purpura? Quæ mixtio? Prô quoties hac ipsâ delirat fortuna. In regnante ignorantia ſeveritate miſceatur, autoritati prudentia deſit, ac pietas, en vera tyrannidis icon. Hanc nobis exhibet ſymbolum, ut deteriti exeamus ab aulâ, & à regno, & à rege abſtineamus. Purpurâ nihil præ-

præſtantius; At ſæpe nihil voracius: Colores color, piſcis cuncta devorat: Pulchra quidem; Sed à ſanguine: A voraciſſimo Alcide non inventa ſinè morſu, immo ſinè morte: Ipſâ ille uſus ad amorem; Nunc ducti à coloris naturâ plures utuntur ad vim; Vnde Satyricus, Eraſ. chil. 2. cen. 5. ad. 84. Callim. in Dian.

Ad ſcelus, atque nefas, quodcunque eſt, purpura ducit. Iuven. ſat. 14

Velut Neſſi veſtis, cruenta, induenti pariter, ac tangenti nocua. Principatus nomen dulce; Sed dulcia dolores pariunt: Specioſum pondus; At ferentem premit ſemper, alios frequenter obruit. In loco eminenti eſſe, aut prope moles altiſſimas, non ſinè periculo vel præcipitij, vel oppreſſionis. Tyranno arduum eſt, unicum pluribus inſervire, moleſtum à pluribus odio haberi, de pluribus rationem reddere neceſſarium: Qui tyranno hæret, proximum incendio ſe percipiat; Cujus proprium eſt quoquò violenter verti, extolli, ac dilatari, & calefacere, ut faciliùs comburat; Ejus favor adinſtar ignis, dum alios vertere in ſui naturam videtur, eos deſtruit. Diod. Sic l. 5.

VERECVNDIA OB INNOCENTIAM.

Piſcis hieroglyphicum innocentiæ, rubore pictus, qui verecundiæ color, eum mihi exhibet virum, quem eſſe innocentem pudet. Eò pervênit hominum improbitas, ut apud nonnullos probitas ipſa probrum ſit. Cauponam, theatrum, Pier. l. 31.

Xx lupa-

lupanar lætâ fronte ingrediuntur; ad gymnaſium, ad academiam, ad templum accedentes erubeſcunt. O pudorem pudore dignum! Dic tu; Quare ad virtutem rubore, ſuffunderis? Invitúſne agis, ac te pudet, alteri parere, ideóque opprobrium indè paves? At ſi quicunque oritur illico & parentibus, & legi ſubijcitur, quis, nam alijs obtemperas, ab hujuſmodi labe immunis, te infamiæ notâ poterit afficere? Cave, ne detentus à labore, vel aliò à voluptate vocatus, pudori tuo tu cauſam præbeas. Vis, te invitum alijs non parêre? Libens rationi, hoc eſt tibi, pare. Sic liberè, ac probè age, ut agas, non ut ſervias. Probitatem, inquies, amplecti, me pudet, nam major viuentium pars, quæ improba, me contemneret. Malum eſſe, jam putaſti, æquitati ſervire, nunc ſervis opinioni: At virorum ſapientia conſulenda, non copia. Gymnaſium petens me ignarum fateor; Ideo rubent genæ. Sic dum inſcium te noſcis, plus ſcis, quàm ſi te ſcientem jactares: Quærere ſapientiam non eſt ignorare, ſed ſapere. Academiam dum adeo, tanquam juriſperitum, aut medicum nequam, me deferunt multi: Plures, ac doctiores te ſequentur, noſcentes ibi ad ingeniorum cotem, virtute virtutem augeri. Ad templum ſi me confero, tanquam fatuus derideor: Sertinium Horatianum audi;

Pudor,

Pudor, inquit, te malus urget, Sat 3. l. 1.
Inſanos qui inter vereare, inſanus haberi.
Febricitantis palato perfectiores diſplicent dapes; Hæc autem, non dapium, ſed palati culpa; Eas huic aptare idem eſſet, ac corrumpere. Tu, virtute duce, fac, non ut opera tua placeant, ſed ut placere debeant. Innocentia tua ſic alios ad erubeſcentiam excitet, non te ipſum.

SILENTIVM, ET PVDOR. Horum in piſce unio virum indicat, qui errorem ſuum vultûs rubore oſtendit, oris taciturnitate operit. Fruſtra illud ſilentium diſſimulat, quod, velit, ac nolit, fatetur natura. Stultè ſaucius negat vulnera, ſi cruor apparet: Non vult ergo ſanari. Eum ſic pudet, non pœnitet, erraſſe; Pudor autem abſque pœnitentiâ motus eſt potius corporis, quàm animi; Quod parum prodeſt, ubi animus peccavit magìs, quàm corpus. Verecundia, inquiet, ipſa, quæ ſcelus deteſtatur, me à ſceleris confeſſione deterret. Stultè dixi. Nónne plus eſt, patêre oculis, quàm auribus? *Verecundia tua contra te eſt*; Pſal. 44. n. 16. Animam corpus ipſum culpæ conſors accuſat; Crimen tuum teſtem non quærit alienum; A tuâ facie, à te ipſo habet. Dupliciter hæc probatio te reum arguit, dum ſceleri mendacium addis; Hoc ipſo errorem auges, quem ſola minuere, immo tollere potuiſſet veritas.

OLLÆ VESTIGIVM CONFVNDE.

Symb. XXXII.

Var. Lect.

Ollæ veſtigium in cinere turbato. Polit. & Svid. Port. *Confunde:* Suid. Volf. & Diog. Ambr. *Ab cinere, ne compareat, tollito:* Iambl. Arc. *Ollâ ab igne ſublatâ, ne relinquas figuram in cinere, ſed confunde.* Clem. Alex. Hervet. & Plutar. Xyland.

Int. Var.

DE CORPOREIS DEMONSTRATIONIBVS: IRA: SVPERBIA: VOLVPTATE: POENITENTIA.

CORPOREÆ DEMONSTRATIONES. A philoſophante corporalium demonſtrationum relinquenda memoria. *Iambl. protr. c. 21.*

ET geometricam tabulam, & abacum, aut menſam pythagoream erudito, hyalinóque aſperſam pulvere adeat philoſophus: Non tamen, ut ſedeat ibi, ac quieſcat; Verùm illis ut, velut gradibus, utatur ad altiora: Linearum, vel numerorum figuras in cinere ſenſibus exhibere parum prodeſſet, niſi ex illis contemplatio educere poſſet, quæ ad ſublimiora pertinent. Duplicem ideo aritmeticam, & geometriam voluit eſſe Plato, alteram vulgi, alteram philoſophan-

In Phi-leb.

phan-

phantium: Horum eſt, non corporeis hærere, ſed à corporeis ad incorporea extolli. Digna quidem plauſu Archimedis fuit ſphæra, & Architæ columba: Sed mathemata ſi è lineis, numeríſque ſenſibilibus ad mechanicas tantùm operationes evocarentur, quod ipſe Plato ægrè tulit, à ſenſu ad ſenſum relabens, nimiùm earum dignitas vileſceret. Non duos numeravit boves, aut milites Pythagoras; Non terræ ſtadium metitus eſt; Verùm geometricis, & aritmeticis proportionibus, ac numeris ad animæ notitiam ſe tranſtulit, ac Deum ipſum contemplatus eſt, qui cuncta *in menſurâ, & numero diſpoſuit*. Hæc vita via eſt, ubi à corporeis, ad incorporea tranſitus: Qui vivit peregrinatur; Sed nec peregrinatur, nec vivit, qui pedem in limine ſiſtens negligit metam. Incauti viatoris eſt ad primam divertere cauponam. Sic pene inutilis, qui maris, ac terræ menſuras, hominum, ſyderúmque aſſequitur numeros, nec ulterius progreditur ad autoris cognitionem, & cultum. Cuncta, quæ in hoc mundo corruptibilia ſenſibus patent, nos ad æternas, incorporeáſque ſubſtantias vocant: Homo ideo terram premit quidem, ſed ſurſum verſus erigitur. Quid verò? Aures ad vocantem convertit, non animum. Quis noſtrûm à mulieris pulchritudine ad pulchritudinis ideam aſcendit? Delabitur potius in turpia; Quis à cor-

Claud. epig de ſph Arch. Aul. Gel. not. l. 10. c. 13.

Plut. de Marcel.

Sap. c. 11. n. 21.

Plat. in Amor.

pore

pore tranſit ad mentem? Potius ad amentiam; Quis à terra ad cælum, ab homine ad Deum? Præceps potius fertur ad barathrum, ad dæmonem.

IRA. Non relinquendum iræ veſtigium: *Philin. ap. Plut. ſymp. 8. q. 7, & Clem. Alex. ſtrom. l. 5.*

Ariſt. eth. l. 4. c. 5. & 3. c. 8.

Aliquando iraſci, nobili, ac forti viro eſſe neceſſarium ſcio: Iraſcere; Non inficior. Sed affectum ratio ità coerceat manſuetudine, ut innocens virtutis præ ſe ferat ſpeciem: Vnico dicam verbo; Ira tua ſit lebes, non olla: Síque olla, dele figuram. Lebes in aere ſuſpenſus ebullit, ac ideo nullibi turpe ſui ſignum relinquit: Olla ſua veſtigia ut plurimum in cinere imprimit; Hoc eſt in morte: In ultionum ſtragibus hæc pater veritas. Huiuſmodi veſtigia ignominiæ ſunt, non honoris, belluina ſunt, non humana. In illis tuam adhuc lego injuriam; Et inſuper feritatem: Vel abſint ergo, uel deleantur. At ea ipſa tu oculis exhibes. In bello ſauciatus, quibus precibus, ac donis chirurgi opem non expoſceres, ne apparerent cicatrices, quæ te fortem oſtenderent? Ac inſignia tui dedecoris, tuæ immanitatis, nunc tu ipſe jactas?

Id l. 3. c. 8. ac ibi ſuffrat.

Ira cum ebullire ceſſaverit, componenda & omnis injuriæ memoria delenda. *Phil. ap. Plut. & Clem. Alex. ibi.*

Ad quid hæc injuriarum memoria? Poſt ultionem, aut veniam eſſet prorſus inutilis; Ante ad

ad eam impotentem, ab hac alienum te oſtenderet. Contumeliâ probus vir non afficitur: Qui accepiſſe recogitat, ſe haud probum fatetur: Qui ulciſcitur, ſi hoſtem in offensâ invênit, hoſtes vindictâ ſibi facit: Dúmque ab alio pœnam vult repetere, ſuam addit culpam. Stultior tamen, qui recordatur injuriam; In alios enim ultione ſævit ille, hic recordatione in ſe ipſum. Ignominiæ memor, ignominiam, & dolorem in ſe vivere adhuc vult: Læſus dum ſcribit in marmore, ſui dedecoris elogium immortalitati commendat. Offenſam remitte, ac memoriam dele; Injuriam ſic ab autore, ac à te ipſo remove. Generoſa hæc oblivio te memoriâ dignum faciat.

SVPERBIA. Delere opportet faſtum, & ſuperbiam. *Clem. Alex. ibi.*

Profectò *pes ſuperbiæ*, qui omnes conculcat, Pſal. 35. n. 12.
ubique ſua relinquit veſtigia. Vis à te ipſo removere? Si te hactenus ignoraſti, lege delphicum epigraphe, ac te in poſterum noſce. Longum iter, ais, ac opus arduum jubes. Immo breve illud, hoc facile. Mihi animum pauliſper ſiſte: Non te ad Græciæ fines duco: Vbique culinam reperire fas eſt. Pone ollam in cinere. Quid hoc, petis? Ambitioſus vir, qui cacabo Eccl. c. 13. n. 3
aſſimilatur, *Deuſque ollaris* dicitur, in cinere ſui Eraſ. chil. 3. cen. 6. ad. 71.
principij, ac finis adeat memoriam; Indè omne faſtûs veſtigium protinus evaneſcet. Dic ò ſuperbe

perbe, undè venis, quò vádis? Ex illuſtri civitate à nobili víro ſum ortus, inquies; Nunc Romam peto eò vocatus ad purpuram. Fauſtè ſit. Verùm hæc non quæro. Attamen ex ijs quæ tuæ ambitionis cauſa? Patriæ ſplendor tibi non magìs, quàm cerdoni, fulſit. Patrémne ſuperbum habuiſti? Si annuis, ergo vitioſum; Si negas, quis honor tibi à genitore, à quo degeneraſti? Ad urbem propera; Id æquè, ac magìs jactare poterit agaſo. Ad purpuram vocaris? Hoc eſt ad id, quod nec habes, nec à te ipſo habere potes. Tibi ſuadet arrogantia, te nihil majus eſſe, nunc ad illud aſpiras, quod te ipſo te majorem faciet. Indue prius; Indè meritò id eſſe, tua ſit gloria: Sed non erit, cum ſuperbias. Verùm hæc, inquam, non quæro. Tui principium, & finem poſco: Patria, pater, peregrinatio, dignitas media ſunt. Si nobilem te oſtentas, tua origo longiùs ab antiquitate repetenda. Sumus omnes ab homine uno, hic fuit à pulvere. Ad-
Gen. c. 18. n. 27. & Eccl. c. 10. n. 10. huc gloriaris *cum ſis pulvis, & cinis?* Age. Innatus vitæ calor ex hoc cinere tuæ ambitionis fumo det locum. Accede huc. Si tuum dedecus legiſſe non profuit, quod te lædens in hoc pulvere ſcripſit natura, lege in marmore. Veni: Hoc ſepulchrum aperi.

Iuvenal. ſat. 10. *Mors ſola fatetur,*
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Vide,

Vide, an divitem à paupere diſtinguas. Te *abſconde in* hoc *pulvere*, ac tua *confundatur* ambitio. Hæc tui faſtus meta. Sic *ſuper te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*. In hoc cinere tuæ ſuperbiæ ne deleas veſtigia, ſi potes.

Iob. c. 40. n. 7. & 8.

Iſai c. 14. n. 11.

POENITENTIA. Olla igne ſuccenſa cor plenum curis, & cinis pœnitentia: *Ex Gyral. de Symb. Pyth.*

Hic ſymboli ad ænigma tranſitûs quid ſignificet, neſcio; Niſi velit oſtendere, ubi vera pœnitentia eſt, ibi omnia ſolicitudinum terrenarum veſtigia delenda: Illum enim de nimiâ iræ, aut carnis efferveſcentiâ non verè pœnituit, qui vel poſt veniam de injuriâ cogitat, vel parum diviſus à ſcorto mœret. Hæc ſunt ollæ veſtigia. Expiationis proprium eſt, errorem cinere operire, non oſtendere; Vndè ille *operui cinere carnem meam*. Nî dicamus, *veſtigium* ſôlum haud in cinere *ponendum*, hoc eſt pœnitentiam non tantùm leviter attingendam. Hic viventium uſus: In ea, quæ ad corpus attinent, vel quæ mala ſunt, ſe totos immergunt; Ad animum verò, ac bona, *ſummo pede* ſe conferunt; Niſi potius trahantur. Curæ familiares, deambulationes, forum, ſphæriſterium, teſſera, latrunculus, alea, prandium, cœna, cubile totam diem, ac noctem occupant; Nec ſemihora Deo datur, à quo & dies, & nox, & omnia. Ijs addi forſan poſſet, in cinere ollæ figuram nefas apparere, ne pœnitentiæ meritum,

Iob. c. 16. n. 16.

Eraſ. ch. 4. cen. 10 ad. 10.

Eraſm. Chil. 4. cen 9. ad. 59.

ab erroris, aut correctionis oſtentatione deturpetur; Immo extinguatur. Qui malum jactat, illud renovat, qui bonum, hoc demit. Eum verè non pœnituit peccaſſe, qui adhuc in ipsâ pœnitentiâ, & de malo, & de bono ſuperbit.

VOLVPTAS. Opera ſi voluptati data ſit, curandum, ne pateat. *Plutar. de prae. Pyth. int. ap. Gyral. to. 2.*

Ab homine voluptati opera non danda, ſed virtuti. Operatio ſit ejus finis, non voluptas; Gen. c. 2. n. 15. Ideo Altiſſimus *poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur*. Probus vir juſta non agit, ac fortia, ut lætetur, & gaudeat, ſed ut ſit fortis, & juſtus, ex quo poſtea gaudet, ac lætatur: Immo illa etiam ageret, ſi mœrorem, ac dolorem indè conſecuturus eſſet. Apud illos, qui voluptatem pro fine habent, hanc dummodo aſſequantur, benè, vel malè operentur, nihil refert. In horum mente rationi præcedit voluptas, cujus eſt actionem ſubſequi. At voluptas ex improbis Ariſt. eth. l. 3. c. 3. Ariſtoteli non voluptas; *Voluptatis vitium eſt,* L. 10. c. 5. *quod nos fallit, ac in peccata præcipites agit*, de quo De Pyth. c. 31. Pythagorici apud Iamblicum. Quid ſit voluptatis vitium petis? Iam dixi: Pro fine operationum haberi. Ex hoc peccata. Ea ut plurimum, quibus peccamus, rectè ſi proprium ipſorum finem inſpicimus, nobis neceſſaria ſunt; Solo voluptatis, & voluntatis vitio à neceſſitate ad culpam ducuntur. Facultate iraſcibili, ad turpia ex-

expellenda, homo indiget, honore ad honeſtè vivendum, ad ea, quæ vitæ neceſſitatibus debentur, pecuniâ. Horum ſe finem conſtituat voluptas, en odium, ultionem, ſuperbiam, avaritiam, furtum, fœnerationem: Quis vires abſque ſomno, & quiete reſarcire poteſt? Quis nutriri abſque cibo, & potu? Quis abſque veſtibus, ac ædificijs defendi? Vicem finis vendicet ſibi voluptas, illinc otium, addephagia, ebrietas, hinc libido erumpit, ac luxus: Concubitus ad propagandam ſobolem dirigatur; Quid univerſo magis neceſſarium? Propagationi voluptas occupet locum, en undique adulteria, ſtupra, & cætera Veneris deliria. Vis demum non peccare? Ne operam des voluptati; Hoc eſt fac voluptatem acceſſorium, non finem: Si operam dediſti, contine ipſam, ne ad opus tranſeat, in quo pateat: Si tranſijt, corrige illico: Te pœniteat; Sic in cinere ollæ ueſtigium dele.

Meæ Conieſt.

DE HOMINIS COGNITIONE: HÆREDE INGRATO: INGLORIO VIRO.

HOMINIS COGNITIO. Vaſa ex luto ſumus omnes: Olla eſt homo, cinis eſt vita. Vnus quiſque noſtrûm in hoc cinere, adinſtar ollæ, ſuum facit veſtigium, ſuam oſtendit figuram. Ierem. c. 18. v. 6 & Thren. c. 4. n. 2.

Yy 2 Divi-

Divitiæ, dignitas, pulchritudo veſtigia ſunt hominis; Figuram militis ille habet, hic regis; Hæc verò cuncta in cinere ſunt. Scitè alibi ve-
C.13.n.3. ſtigia viri potius, quàm virum, ponderavit Eccleſiaſticus; Qui ut, non hominem ab homine, ſed divitem à paupere diſtingueret, ab Alciato
Emb. 166. imitatus, ollam cacabo deſignavit hærentem. Hîc Pythagoras hominem ipſum, ut cenſeo, abſque veſtigijs conſiderandum proponit: Ac ideo in cinere ollæ ſigna jubet deleri. Aliud eſt, regem in ſolio ſedentem cernere, ac virum cognoſcere. Aulici, milites, adorationes, tributa illius non ſunt propriè, ſed dignitatis, pecuniæ, adulationis. Tolle coronam, deme figuram, cuncta deficiunt: Sic in magno principe vix parvulum invenies homunculum. Ducem intueris, cui fortuna favet, hoſtibus formidabilem, cunctis glorioſum; Pluries vicit, pluries triumphavit; Exuvias inſpicis, ac trophæa, plauſus audis, encomia legis. Hominem forſan ex ijs te jam notum habere putas? Falleris. Ollam æſtima, non veſtigium, ac figuram. Ille deſeratur à ſorte, deſtituatur ab exercitu, deponatur à principe, thorace, ac gladio privetur; Indè ad illius cognitionem te converte: Quóties in Marte
Plutar. in Phocio. Ariſtogitonem reperies, in homine leporem? Mulierem dum vides, pulchritudinem, ac ornamenta detrahe; Abijciat illa, quæ ſua non ſunt:

Poſtea

Poſtea ſic te ipſum interroga; Quid mulier? Cum Euripide omne malum dices. Quid hæc? Forſan peſſimum. Quid tibi? Contagium & pernicies: Hinc noſce, quid deperias, quid adores. Rectè ſi hominem cognoſcere cupis, ad quid armenta contemplaris, prædia, edificia, menſam, famulos? Hæc non homo, ſed hominis veſtigia ſunt: Immo ut veriùs loquar, ſunt fortunæ, ac temporis. A dominis repetantur; Exuat ille omnia; Quid aliud ſupererit, niſi pulvis, & cinis? Exuat corpus ipſum; Forſan ex tot divitijs nîl aliud remanebit, nisì æs alienum. Fruſtra lacernam attendis, aut cucullum, ſagúmne induat ille, an togam. Quid quæris? Divitem, pauperem, monachum, militem, prætorem, an hominem? Si hunc, quid ad hominem opes, veſtes, vela, zonæ, ſyrmata? Vt cæli cognitionem aſſequaris, nubes intueris, ut hominis, umbram, & veſtigia. Si virum, ſi te ipſum vis noſcere, cuncta neglige, quæ illi, quæ tibi adijciuntur. Confunde ollæ figuram, & veſtigium. Conſidera, voluntatem, mores, conſcientiam; Specta demum, quæ ſua, quæ tua ſunt, non quæ aliena. Stob. ſer. 71.

HÆRES INGRATVS. In cinere hominem defunctum video; In ollâ ex luto viventem; In altero teſtatorem, hæredem in altero: Ille ſuo adhuc tepenti cinere huic victum parat; Hic dum

ipſius

ipſius impletur ſubſtantijs, earum, ac ſuo pondere illum opprimit: Ejus memoriam deridere, fortunas in pravis conſumere, legata non adimplere, animum negligere ingratiſſima oppreſſionis veſtigia ſunt.

Hor l.2. ſit.4. *Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.*

Hic frequens hæredis erga teſtatorem, filij erga patrem uſus. Quis crederet? Immo quis negaret? Ille ſitit,

Ibi. *Filius, aut etiam libertus ut ebibat hæres;*

Hic, qui *velut unda ſupervenit undam,*

E2.ep.2. *Abſumet*

L.2.od.14. *Servata centum clavibus, & mero*

Tinget pavimentum ſuperbo.

Hæc filij verſus patrem, hæc hæredis verſus teſtatorem memoria; Immo hæc ollæ in cinere veſtigia. Et apparebunt? Abſit. Malum ſi tolli nequit, tollatur aſpectus; Animum ſi inficit, ne terreat oculos. Prò hæredum, ac filiorum ingratitudinem! Sic prævaluit hoc vitium, ut quaſi illud interdicere vanum ſit, ne ſaltem appareat, curandum. Quæ enim præcepta ſuadere poſſent, ubi nec beneficium poteſt, nec natura?

VIR INGLORIUS. Iſte ſuæ oblitus dignitatis, ad inſtar ollæ ſe gerit. Olla in cinere ſuam ità imprimit figuram, ut ejus numeri tantùm, ac ponderis extent ſigna. Vir inglorius ad ſuum redeat cinerem; Non ad aliud eum in hoc mundo fuiſſe diceres, nisì ut, velut in navi ſaburra, terram

ram gravaret, quaſi ovis in grege, ſuo armenti numerum impleret. Ex ollæ veſtigio ſolùm vides aliquod ibi fuiſſe corpus, quidque illa in ſe continuerit, neſcis. Poſt virum inglorium, nihil aliud vixiſſe, niſì quoddam corpus apparet; Velut jumentum, nuda relinquit oſſa, ut lignum combuſtum, aridos cineres: Nullam in illo fuiſſe animam putares, cujus apud poſteros nec minimum reſtat veſtigium. Eum pudeat, qui ex luto ad ollam, indè ac cinerem ſic tranſit. Vivat homo, non ut quaſi lebes vermibus eſuris carnem paret; Verùm ut poſt ſe animâ rationali ſe præditum fuiſſe, aliquod exhibeat argumentum. Ollæ demum ſigna ne oſtendat, ſed hominis. Gloria, & exemplum verè humana ſunt veſtigia poſteritati relinquenda, quibus in aliorum linguis, & moribus, etiam poſt mortem, vivere fas eſt.

A FA-

A FABIS ABSTINETO.
Symb. XXXIII.

Var. Lect.

Fabis abſtine: Ficin. & Plutar. Xyl. *A fabis:* Eraſ., Iambl. Arc. & Svid. Port. *Ab ovo:* Marc. Verg. ap. Gyral. & Rhod. *A teſticulis:* A. Gell.

Int. Var.

DE NOTO LEGUMINE: SUFFRAGIIS: AMBITIONE: ANIMALIS FOETURA: REBUS VENEREIS.

NOTVM LEGVMEN.

SI de fabâ locutus Pythagoras, profectò ſymbolicè id egit; Quippequi crebrò eam édebat, ac inter ſymbola hoc recenſuerunt autores: Cujus myſteria ne revelaret, ſibi præcîdit linguam Timicha. Plures tamen probatæ eruditionis viri ſolam inſpicientes fabam, quaſi præcepti cauſas attulerunt; Quas ne omnino prætermittam, leviter attingere ſufficiat.

Gell. l. 4. c. 11.

Olymp. in Plat. phædo; & Iamb. de Pyth. c. 31.

A fabis abſtinendum, nam ſacræ. *Luci. de vit. auc.*

Pierius fabam Ægyptijs, velut Deum quendam fuiſſe, narrat ex Theone apud Plutarchum; Quanvis ex Herodoto hic à fabis abſtinere abominationi potius, quàm venerationi, deferat. Sanè *ſacras ob cauſas* vetitæ à Pythagorâ, & Carneæ

L. 57.

Symp. 8. q. 8. in Enterp.

Iambl. de Pyth. c. 24.

Macrob.

neæ, Iſidi, aliiſque Numinibus oblatæ: Vnde fabariæ calendæ, ac refrina. Ille interim non abſtinet à ſacris, qui os ponit in cælum; Qui vanitatibus, ac perjurijs Deum miſcet; Qui ſacerdotem inſectatur, & ſpernit; Qui templum à lupanari non diſtinguit. Samius ideo forſan & bovem Tarentinum à fabulo, tanquam ſacro, abſtinentem voluit. Erubeſcant qui meretricem, aut ludum, quæ bove indigniora, ex divinis prædijs, decimiſque alunt. Maluit ille occidi, quàm ſacram ſegetem peſſundare. Hinc erudiatur à ſuperſtitione religio; Melius mori, quàm ſacra contemnendo, fœdari.

Sat. l. 1. c. 12. & Plin. l. 18. c. 12.

Iamb. de Pyth. c. 13.

Diog. in Pyth.

Nam faba impura, *Pauſan. l. 8. & Gyral. de ſymb.* Ac nequitiæ cauſa: *Pier. l. 57.*

Ex hoc pateat, nedum à malo abſtinendum, ſed ab ijs, è quibus mala. Stultus qui demergi pavet, ac quotidie vel nat, vel navigat; Qui comburi timet, ac ſemper cum igne jocatur. Faba Pheneatis, impura, nam eam Ceres omiſit, quocunque alio legumine illorum hoſpitalitatem remunerata. Hinc diſcamus; Imitari ſuperos, hominis proprium eſſe debet. Faba ità ob impuritatem, ac nequitiam ſacerdotibus antiquis erat in odio, ut eam nec aſpicêre, nec tangere, nec nominare uellent: Vtinam ſic noſtri à nequitiâ, & improbitate ſe abſtineant.

Pauſan. l. 8.

Herod. in Euter.

Gell. l. 10. c. 15.

Feneſt. de ſac. rom. c. 9.

Faba enim ſola infœcunda. *Amb. in Laer. de Pyth.* Geniſ-

turæ ſola expers. *Eraſ. Gyral. & alij.*

At quî ſola expers genituræ faba, ſi non minus, quàm cætera ſemina, in ſe habet generandi virtutem? Quî ſola infœcunda, ſi ex caule tot ſiliquæ, ex ſiliquâ tot grana? De unico ſcapo centum granis onuſto narrat Plinius; Vel à glacie, vel à gregibus eroſa fœcundiſſimè iterum expletur; Ipſe demum illius reliquiæ agrum ſtercorant. Apollonium audio apud Theophraſtum aſſerentem, ſteriles aliquando à fabis plantas, & gallinas effici: Abſtineant igitur illæ; Plantæ quidem ſumus; Verum inverſis ad cælum radicibus. Ad quid nobis earum uſum inhibere? Diu inter ſententiæ mendacium, & ſcriptorum autoritatem hæſitavi; Ac me id penitus non intelligere fateor, niſi vel mendum in græco Diogenis codice ſuſpicer, vel interpretis æquivocum in latino; Sícque ideo Laertium legendum, ut fabâ interdicamur, nam *agonos*, id eſt ex illis, quæ mortuis prolibantur, quorum ſterilitas propria: Seu quoniam *agonitos*, hoc eſt, non ſinè geniturâ, ſed abſque genibus; Quod verè de ſolâ fabâ dici poteſt, cujus caulis nullis diſtinguitur internodijs; Vnde Plinius de ipsâ, *nec genicula habet molli calamo*. Verùm quia de mortuis, ac inflexibili viro infra dicendum, hîc tantùm ſubdere ſat ſit; A ſterilitate abſtinendum: Hoc eſt ab impuris voluptatibus, in quibus nulla

L.18.c.10 (Plinius)

Var. l.1.c.9. & in apend Scalig. (Apollonium)

Plat. ap. Plut. de exccl. (Plantæ quidem ſumus)

Rhod. l.18.c.3. (agonos)

Steph. th. gr. ind. (agonitos)

L.18 c.13. (nec genicula)

la ſaltem legitimæ prolis cogitatio; A divitijs, & dignitatibus, quæ veram felicitatem nunquam pariunt; A garrulitate, cujus proprium eſt, promiſſis florere, ac ſterileſcere operibus; Ab aulâ, quæ ſpe frondeſcens ut plurimùm caret fructu; Ab ignaviâ tandem, quâ nihil infœcundius.

Nam ſimilis inferni januis: *ap. Diog. ibi.*

Quid hoc? An quia Græcis, ut ait Plutarchus, cicercula, & cicer cum letho, ac erebo annonima ſunt? Hæc mihi remota nimiùm, ac puſilla ratio. Verùm ab inferis, & longè, & ob exigua etiam deflectendum. A ſapiente ſic malum abhorrendum, ut etiam ſimplex mali nomen eum deterreat. *Qu. ro. 95.*

Nam maximè convenit animatis. ***Diog. ibi.*** **Et animalis facultatis potiſſimùm particeps.** ***Svid.***

In quo cum animatis convenit? An ijs, quæ à Laertio, Svidâ, Zaretâ, Luciano, & Acrone tradita? Ad ſolem macerata ſeminis humani odorem contrahat, in ollâ florens pudendi mulieris, ac mox puerilis capitis exhibeat formam, æneâ demum incluſa pyxide vertatur in ſanguinem; Ità corporeis tantùm comparatur. Nos interim cogitemus, animato quid plus, quàm faba, conveniat; A quo potius, quàm à fabis, abſtinendum. *In Pyth. ap. Cyral. & Orig. de phil. Luc. de vit. auct. & ibi Cognat.*

Nam ſimilis naturæ univerſi, & corrumpit. *Diog. ibi & Iambl. protr. c. 21.*

Rhod. l. 27. c. 17. Macrob. Sat. l. 7. c. 15. Senec. qu. na. l. 3. c. 5.

Non me latet apud Græcos eandem vocem ſignificare fabam, & ovum, quod mundi ſimulachrum: In quo autem ſita ſit hæc inter fabam, & mundum ſimilitudo non ſatis percipio; Niſi quia corruptionem ambo ſecum ferunt. Si autem mundi ſpectanda ſimilitudo in fabis, quid in microcoſmo de mundi conditoris imagine dicendum? Si ab ijs, quæ corrumpunt abſtinendum, quid corrumpit magis, quàm vitium? Quid in mundo, quod non ſit corruptioni obnoxium? Ab hoc verè cavendum, quo nihil fallacius, nihil mutabilius. Eum tamen ſic diligimus, à quo certi habemus nihil præter mortem. Quid voluptatis continet, quod ſuis non inficiat venenis? Quid boni, quod mali majori menſurâ non miſceatur? Quid, niſi ad eas reparandas neceſſitates, ad ijs occurrendum incommodis, quæ proveniunt ab ipſo? Nihil ab eo acceptum ferre poſſumus, quod ab incunabulis ad ſepulchrum magno non emerimus; Víxque empta ille rapit, rémque, ac pretium penes eum remanent.

Quoniam ſenſum hebetat. *Plin. l. 18. c. 12.* Mentíſque tranquillitati per ſomnia veritatem quærenti nocua. *Cic. de div. l. 1. & 2. & Sym. Setb. de cib. fac.* Cavendum autem quidquid præſcientiæ officit. *Iambl. protr. c. 21.*

Sed hebetet faba ſenſum, dummodo amore, odio, ac cæteris non hebeſcat ratio. Primus abſtineat à fabis, ut ex ſomnio verâ ſcrutetur, Amphia-

phiaraus; Veritas per vigilias quærenda, non per ſomnia. Síque ab illis cavendum, quæ præſcientiam impediunt, eò magìs à crimine; Præſcientiâ enim veritatem ſectari, & culpâ Deum amittere, qui *veritas*, contraria. Diony Vtic. vel Cōſt. agr. l 2. c. 33. Plutar. ſym. 8. q. 10. Ioh. 6. 14. n 6.

Ne minuta vorentur animalia, quæ fabis innaſcuntur. *Ap. Gyral.* Et nam fabæ ipſe animalia, *ibi*.

Id fruſtra, ſi animalium eſus jam ſuo inhibetur ſymbolo. At quantò minus inferiores homunculi ſuperbiâ, odio, aviditate vorandi? Quantò magìs ratio humanæ mentis habenda? Ab illis veriùs abſtinendum, in quibus noſtra, & aliorum periclitatur anima.

Nam in fabarum flore lugubres literæ, ſeu nigræ notæ. *Plin. l. 18. c. 12. Heron. de re ruſ. l. 2. Dionyſ. vel Conſt. agr. l. 2. c. 33. & Maſſar. in Plin. ibi.*

Florem lege, ac time. Sed lege prius legis tabulas, & obtempera. In florente legumine funeſtum horre vaticinium; Sed etiam in ipſo tuæ ætatis flore de tuo fine cogita: Fabam conſidera, ſed ne fatum negligas.

In ijs enim ſunt mortuorum animæ. *Plin. l. 18. c. 12.*

Hinc Horatio

faba Pythagoræ cognata. L. 2. ſat. 6. & ibi Bend.

Idem magi putarunt. Sic ante Pythagoram Orpheus, Gyral. de Symb. Pyth.

O miſeri à fabulo, miſeri ſubducite dextras,
Eſſe fabas ſimile, ac caput abſumpſiſſe parentum.

Dum-

Dummodo ſecundum carmen potius non protulerit Pythagoræ ſectatur Euripides, ut de primo cenſuit Gellius. Fabæ profectò, quibus manes evocati, ac ejecti lemures, in parentalibus adhibebantur: Qui mos per antiquiſſimam Chytri ſolemnitatem forſan à Deucalione deductus, adhuc, & apud nos etiam viget, dum fabæ in celebri defunctorum die diſtribuuntur. In ſymbolo igitur noſcamus rationem, quæ de mortuis habenda. Defunctum, velut fabam, vorat, qui, ut dicitur, eum *rurſus occidens*, convitijs mordet; Qui reliquias illius uxorem, ac filios impiè vexat; Qui ejus facultatibus impletur, ſed voluntatem non explet. Verùm, ait ille, priſca ætas ob mortuos fabis quidem utebatur, ſed non guſtabat; Nos êdimus. Eas édendo quid putas? Propriè mortuis parentare? Si hoc credis, Telemachi ollam linque, ac Pythagoræ obtempera. Symboli cauſam metempſychoſim neglige, ſed finem ſerva: Hoc eſt de animis defunctorum, memoriam, & rationem habe. Precare, ſacrifica. Vera hæc parentatio, non fabas édere.

L. 4. c. 11. Plut. q. 20. n. 95 Var. de po. ro. & Feſt. l. 6. Gyral. ſyn. 17.

Eraſ. chil. 3. cen. 1. d. 94.

Gyral. ſynt. 17.

Athen. l. 9 c. 16.

SVFFRAGIA. Nam fabis abſtinendum, quibus magiſtratus eligebantur. *Luc. in vit. auct. Thucid. l. 8. Herod. in Era. Plutar. in Peric. Svid. & al.*

Quid mirum ſi ex calculo, quod inflat, dignitas ventoſa? Suffragia cupienti non ſinè ambiguitate, ferenti non ſinè pondere. Petere, quod

jurè

jurè debetur, vanum; Quod nequaquam, injuſtum; Vtrunque daturo injurioſum. In comitijs verè animatæ ſunt fabæ, dum propria cujuſque anima in illis eſt.

Non enim fabæ judiciales édende, nec fides judiciorum pecunia commutanda. *Nonn. in expl. fab. D. Greg. cont. Iul.* 1.

Nec deſunt, qui *fabas arrodunt*, quibus *faba nummus*. Qui calculos édit infami laborat fame; Quam non concoctio ſequitur, ſed corruptio. Qui eos vendit, mercaturam exercet, non judicium; Illâ verò decoquit, ſi hoc perdit. Qui emit, lucrum inſpicit, non honorem; Illud emptio ad pretij redemptionem ſtimulat, hunc venalitate deturpat. De illorum malitiâ dixi, qui fabas comedunt, ac vendunt. Eorum incuriam præterire neſcio, qui ſuffragiorum dignitatem, ac difficultates minus æſtimant, quàm fabam, pejus quàm pueri. Earum diſtributionem pueris committere nefas: Iudicij enim adhuc expertes judicare, rudes, ac pene ad magiſtrum aptos magiſtratus eligere, nondum conſilij compotes, nondum cenſuræ capaces conſiliarios facere, ac cenſores, non decet. Hominis ratio quidem propria, ſed uſus illius ab ætate: Putarunt nonnulli, animas dum è cælo in terram delabuntur, à quacunque ſpherâ diverſis ornata virtutibus, rationis uſum à Saturno recipere, qui temporis, & annorum antiſtes. A fabis ergo abſtineant

Eraſ. ch. 4. cen. 6. ad. 37 & ch. 5. cen. 1. ad. 36.

Macrob. in ſom. l. 1. c. 12.

pueri:

pueri: Sed illi magìs abſtineant ſenes, in quibus cuncta puerilia, præter innocentiam. In arduis quid nocentius incuriâ? Nonnulli ſæpe dum in comitiorum globulo univerſi globum tractant, inſtar pueri, pilâ ludunt. Mentior: Ludus quiſque ſuis regulis continetur; Qui ludit aliquam ſaltem judicij partem exercet. Calculorum pauci rationem habent. Multi ad ſenatum accedunt, velut illi ad judicia, quibus, ne dormirent, opus erat, fabas édere. Suffragium ità eſt venerabile, ut vulgò votum dicatur, quod ad Deum pertinet: Quoties tamen illud damus, nec cui, nec quare ſcimus? Aliquid ſuſurret in aurem vicinus, nec meritum, nec promiſſa tenent; Albæ fabæ nigræ fiunt. Hic eas donat, ille permutat; Vel ſocio, vel ſorti commendat, quod ſibi, & arbitrio debebatur. Suffragia multi non ferunt, jaciunt: Immo ea non traduntur à manu, dilabuntur. Ità ſenatores ipſi non decîdunt cauſas, committunt; Ac ſæpe judex delegatus eſt amicitia, conſanguinitas, caſus. Melius eſt, à fabis abſtinere, quàm eas negligentiâ ſic corrumpere, ac profanare.

Svid.

Nam vitanda reipublicæ adminiſtrat.o. *Plut. de lib. educ.*

Dominium eminens periculum, ſereniſsima tempeſtas, onus purpuratum, coronata ſervitus. Verùm inter multos qui eminet, multis exponitur; Atrocius à tranquillitate naufragium; Populum

pulum ferre, quid gravius? Vni ſervit ſubditus, ac ſuperiori; Princeps inferioribus, & cunctis.

AMBITIO. Nam dedecet ſapientem faſtus. *Rhewcl. de art. cab. l. 2.*

Faba, utpote quæ dignitates impertitur, ac inflat, ambitionis, & ſuperbiæ nota. Quid verò cum ſapientiâ faſtus, quem contemptus aliorum, ſuíque ignorantia ſemper comitatur? Amentem virum agnovi, qui pertinaciter ſe regem eſſe dicebat: Pro purpurâ lacernam, cubile pro ſolio, catenam pro torque jactabat. Quotidie præfecturas, & legationes diſtribuens, de regno loquebatur. Subditos, aulam, exercitum, ſeditiones, & bella ſibi effingebat. Tua hujuſmodi eſt, ò ambitioſe, ac ſuperbe, ſtultitia; Qui te ipſo, & alijs majorem te faciens, inflatus magìs viſibilem tuam reddis exiguitatem. Si nimiùm cupis honores, quos non habes, quos habes amittis. Vel de malo, vel de bono glorieris, illud auges, hoc demis. Dum te ipſum effers propter ea, quæ poſſides, dignus verè es, qui non poſſideas; Dum propter ea, quæ tibi deſunt, dignus, cui deſint omnia. Anticyram pete, non Athenas.

ANIMALIS FOETVRA, Ab ovo, id eſt nedum ab animali perfecto, ſed ab ejus principio abſtinendum. *Marcel. Verg. ap. Gyral. de ſymb. & Rhod. l. 27. c. 17.*

Audiant, qui tam facilè, ac impiè fœtum

abigunt. Prô immane homicidij genus! Hominem mori volunt, priuſquam oriatur; Vitam illi adimunt, quam nondum ipſe attigit: Orbem antequam ingrediatur, ab orbe trudunt. Quid ſceleſtius? Dicam. Ab illis non abſtinere, quæ hominem inchoant malum; Sed pejus ab illis, quæ ab homine Dei abradendo imaginem, præcipuam ejus perfectionem, ac eſſentiam deſtruunt.

RES VENEREÆ. A cyamo abſtinendum, hoc eſt à rei venereæ profluvio. *Gell. l. 4. c. 11.*

Ibi. Marc. Verg. ap. Gyrald. Rhod. l. 27 c 17. L. 4. c. 7. Beroal. de ſymb. Plut q. 20. 95. Iamb. de Pyth. c 31.

Pro cyamo vel coleum cum Gellio, vel ovum cum Marcello, & Rhodigino, vel cum cæteris fabam lege, cuncta venerem inſpiciunt. Ovum pro teſte dixit Avicenna; Et ipſa faba cum eo apud Græcos annonyma, dum inflat, libidinem excitat. Ideo forſan Timycha mulier, ob verecundiam, ſymboli noluit revelare myſterium. In ijs igitur, quæ cunctis animalibus communia ſunt, abſtinentiâ nos diſtinguamus à brutis. Verùm quis huic diſcrimini dat operam? Nunc à venereis rebus non ſe abſtinent homines; Illas maximo periculorum, divitiarum, ſanitatis, animæ pretio emunt: Dapibus, & pharmacis provocant potius, quàm ratione cohibeant; Immo ab illis quò magis læſi, eò magis eas rurſus ad ſe revocant. Ipſos non detinet laſſitudo, ſed incitat; Viréſque tentant reſarcire, non ut habeant, ſed ut amittant; Vbi omne ſtudium deberent im-

impendere, ut libidinem reformarent, ſtudent, ut eam novis, ac fœdiſſimis formis augeant. Nobis data fuit propenſio ad venerem; Nonnulli, ad venerem crebrò ſe ipſos cogunt: Eam dedit natura, ut ſobolem indè aſſequeremur; Pauci de ſobole cogitant; Immo plures avertunt; Ac vitium exercere volunt potius, quam ſacramentum; Quóque merere poſſent, peccare malunt. Deformi hæreat Vulcano Venus, quâ ità claudicant mores; Nóſque ſymbolo cohibeat Pythagoras ab eâ, quæ fabro nupta, ut compedibus cohiberetur.

Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum. Verg. de ven. & ven.

Meæ Coniect.

DE ABSTINENTIA: INFLEXIBILI VIRO: CULPA: VINO.

ABSTINENTIA. Vis abſtinere? Fabis abſtine; Hoc eſt ſolâ Telemachi ollâ utere, qui plerunque fabis victitabat. Curius Romanorum dux ob rapam non eviluit, rapa claruit ob Curium. Si fames te ducet ad prandium, exquiſitiora fercula emes parvo; Si luxus, eſca etiam opulenti patrimonio comparata vilis erit. In hoc audienda natura, quæ pauca petit, non cupiditas, cui cuncta non ſufficiunt. Frugalitatem inglorium te doceret paupertas; A proprio arbitrio, etiam

Ath. l. p. c. 26. Plut. in Cat. maj.

inter lautitias, eam diſcere, tua ſit gloria. Sic virtute aſſueſce, nec obtemperare legi erit arduum. Quid verò? Ipſum jejunium anticipas voracitate; Diebus illi dicatis uberiori eduliorum copiâ menſam oneras, pretioſiores quæris dapes, rariores emis piſces; Tuaéque cœnæ cum fame non deſinunt, ſed uſque ad ſaturitatem protrahuntur. Hæc tua non abſtinentia, ſed crapula, ſympoſium, non jejunium.

Inſuper qui vult abſtinere, à cyamo, ideſt ab ovo incipiat; Hoc eſt principijs obſtet. Quis enim

Iuvenal. ſat.13. *Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit*
Ejectum ſemel attritâ de fronte ruborem?

Mala, velut parvuli dumorum ſurculi, priuſquam altè radicentur, evellenda; Quod illud inſpexit
Pſalm. 136.n.9. forſan, *Beatus, qui allidet parvulos ſuos ad petram*. A cunctis, antequam uſus approbet, facilè abſtinemus. Primum cerviſiæ poculum Italo viro exhibeatur, illud horrebit, ac reijciet; A quarto, & quinto ſe continere non poterit Germanus. Læve opus eſt à primis actibus cavere, mutare habitus, arduum. Abominabile, ac ſordidum ingenuo adoleſcenti ſolum furti, homicidij, ac libidinis nomen; Iam in illis naturam faciat uſus, quis tollet?

Iuvenal. ſat.1. *Omne in præcipiti vitium ſtetit.*

Pro-

Proptérea *in primo limine ſiſte pedem*: Vbi declivem curſum incœperis, ab eo vix poteris deſiſtere. Carceribus equum detinebis, non ità è medio ſtadio revocabis. Omne rerum principium debile; Ideo nullo labore ſuperatur. Difficultatem quærit, non victoriam, qui hoſtem in ſuo incremento aggreditur: Nisì habeat aliunde, mora ipſa illi dat vires. Præclarum quidem, ſuperare difficultates; Verùm eas expectare, imprudentis eſt, augere, ſtulti: Qui penes ſe habet palmam, eámque in diſcrimine ponit, vel turpitudine auget jacturam, vel temeritate victoriam deturpat. Vbi agitur de malo, nîl egregium magìs, quàm tutò, ac citò vincere. Qui prius vincitur, quàm vincat, præter ordinem, nihil plus habet victo.

Ovid. de rem. am. l. 1.

INFLEXIBILIS VIR. In fabâ, cujus caules internodijs, vel genibus carent, virum inflexibilem, ac refractarium conſidero; Eum, qui genua non habet, quibus vel rogantes advolvantur, vel ratione flectatur. Ille hic eſt, qui ſuâ in opinione pertinax, ineruditus, & ruſticus dicitur à Philoſopho; Belluis pejor, quas cicuramus. In bono perſiſtit, aut in malo, non quia illud agnoſcat, hoc neſciat, verùm ne mutet ſententiam. Hanc ſuam eſſe magìs facit, quàm veram; Etſi crebrò ſit à caſu: Propria, ſeu prima decreta eſſe rata, vult potius, quàm æquis cedere

Alex. ab Alex l. 2. c. 19. & ib. Tiraq. & Spond. in Hom. Il. 1. Mor. l. 7 c. 9.

cedere conſilijs, quàm juſtas exaudire obſecrationes. A tali vitio totis viribus abſtinendum. Noſtrum inſtitutum ſit, verè ſic bona ſequi, ut ad meliora tendamus. Ità juſtis admonitionibus, & precibus flecti, non erit mutari. Homines nos eſſe cogitandum, ac tales à ratione: Hanc ideo ſequi, non eſt obtemperare alteri, ſed nobis. Conſideremus Dei proprium eſſe, rectis precationibus moveri: Sed non propterea mutatur; Noſtra enim bona ſemper voluit. Sic nos ità bonum inſpiciamus, ut rectè rogantes audiendo, opus quoddam divinum patrare, ac probis admonitionibus proficientes, propius ad Dei perfectionem accedere, intelligamus.

CVLPA. Faba idem, ac nequitia Pierio.

L. 59. In Eunuch. ac. 5. ſc. 5 & ibi Donat. *Haecque faba in me cudetur* à Terentiano Parmenone pro culpâ dictum. A quo magìs abſtinendum? Sed quid magìs frequentatum? Nonnulli quærentes gloriam in ſcelere, agunt improbè, *ut*

Iuven. ſat. 1. *ſint aliqui*; Alij tranſeuntes ab extremo ad extremum, ſic abſtinent ab errore, ut eos

Horat. de art. *In vitium ducat culpæ fuga.*

In pertinaciâ perſeuerantiam jactantes alij, à propriâ voluptate, velut à vero bono, abſtinere, malum eſſe putant. Omne peccatum in ſe diſſi-

L. 2. c. 16. dium continere, ait Arrianus in Epicteto; Qui enim delinquit, vult rectè facere. Dicendum potius erat, omne peccatum æquivocum in ſe habet;

bet ; Qui enim delinquit, malum pro bono eligit: Quod non eſt abſque voluntate; Vnde Horatius,

In culpâ eſt animus. L.1. ep 14.

Primum peccatum fuit à deſiderio ſciendi bonum, & malum : Nos peccamus , nam ea ſcire nolentes, improbè diſtinguimus. Voluptas quidem in bono, dolor in malo, ſed non è contra: Hæc noſtri æquivoci fallacia, immo cæcitas. Nos abſtinere à culpa idem eſt, ac non cæcutire , ac nos ipſos non decipere. Si te aliquis vel deciperet , vel excæcaret , quid non ageres? Ac injuriâ , quam non ſuſtineres ab alio , ſic facilè te ipſum afficis ? Dic ; Mare cur odis, cur equum non conſcendis, cur fungum non edis? Ne veneno, præcipitio, aut naufragio pereas? Optimè. At ſi mali pericula, quæ dubia, vitas, cur malum ipſum, quod in culpâ certiſſimum , amplecteris ? Viperam fugis, & à dulcioribus edulijs te contines , ne corpori noceant; Nec à virulentâ illâ voluptate abſtinere poteris, quæ perimit animam? Geneſ. c. 3. n. 5.

VINVM. Abſtinere à cyamo, ſeu fabâ ægyptiâ idem eſſe putarem, ac ſe continere à nimiâ vini copiâ : Illius enim folijs in variam ſpeciem vaſorum implexis potare olim gratiſſimum; Vnde ciboria magno ſumptu elaborata pro capacioribus poculis; Steph. in lib. gaste. a. Plin. l. 21. c. 15. Athen. l. 3. c. 1. & l. 11. c. 8.

Obli-

Horat. l. 2. od. 7. & ibi Bond.

Obliviosо lævia Maſsico
Ciboria exple.

Non te volo abſtemium, ſed à nimio potu abſtinentem. Verùm ad quid tot urnæ, lagenæ, hydriæ, cadi, amphoræ, œnophora, carcheſia, crateres, ac pateræ? Ad quid tot ſalſamenta, amygdalæ, piſtacia, marathra, ponticæ nuces, colymbades olivæ, ſyncera tubera, æſtivi glacies? Víſne bibere, ut ſitim extinguas, an ſitim potius excitare, ut bibas? In eo, ad quod pauca unda, ſoláque vola ſufficeret, cur tam varia poculorum genera, tam variæ cyatorum formæ? Potabíſne ad cibi vehiculum, an ad ſocij nutum, ad cottabi præmium, ad amyſtidis certamen, ad ebrietatis amentiam? Prô mirum! Vino *altercamur, provocamus*, certamus, ac ludimus, à quo crebrò mentis patimur jacturam. Nos raro non vincit; Iurè ideo calices olim coronabantur; Immo jure ideo abſtinendum.

Eccl. c. 9. n. 13. & c. 31. n. 30. Virg. Aen. l. 1. & ibi Naſcam.

MAL-

MALVAM SERE, NON EDE.

Symb. XXXIV.

Var. Lect.

Malvam transferto, ſed eam ne comedito: Polit. *In horto tuo tranſplantato, ſed eâ ne veſcitor*: Iambl: Arcer. *Extra domum ſerenda, ſed non édenda*: Georg: Venet. *Herbam molochen ſere, ne tamen édas*: Gyrald. *Molochinam*: Ficin.

Int. Var.

DE MVNDI VNITATE, AC CONSPIRATIONE: MENTIS RELAXATIONE: FRVGALITATE: MANSVETVDINE.

VNIVERSI VNITAS, ET CONSPIRATIO. Nam ex malvæ naturâ, quæ convertitur ad ſolem, transferenda in nobis de univerſi unitate, ac conſpiratione cogitatio. *Iambl: protr. c. 21.*

HOminem pudeat. Herba, quæ forſan vilior terræ partus, ac sólo fixa, vertitur ad cælum: Mens humana, quæ nobiliſſima cæli proles, ad cælum nunquam erigitur, sólo hæret ſemper; Immo ab hoc ad illud tranſitura mœret. Malva, ſeu molochina, velut heliotropium, ſolis motum ſequitur: Homo inſtar ſolis contra cælum movetur; Sed non inſtar ſolis Deo pâret. Quid verò in totius unitate, ſeu conſpiratione ad primam rerum cauſam non converti-

Digitized by Google

tur? Sic ad Altiſſimi nutum, ſua obeundo munera, hominíque ſerviendo, ad univerſi compoſitionem ſimul conveniunt animalia, lapides, flumina, cuncta demum, quæ ſunt. Homines tantùm illorum ſpernentes exemplum, quibus eos donavit Deus, ingratè à ſui principio, id eſt à boni unitate diſcedunt, ac in proprium, aliorúmque málum, quod *multiplex*, conſpirant. Nos ideo de rerum unitate, vel conſenſu cogitemus; Ac indè percipiamus, viro non eſſe dignum, ſôlo numero concurrere ad univerſi conſtitutionem: Suo quiſque fungatur munere; Quod eſt, ſic bonis moribus agere, ut parvum in ſe mundum conſervet, non deſtruat; Majorem extra ſe perficiat, non corrumpat.

Ariſt. eth. l. 2. c. 6.

MENTIS RELAXATIO. Ab ijs abſtinendum, quæ mentem plus æquo diſſolvunt. *Georg: Ven: to. 5. ſec. 5. probl.* 457.

Plin. l. 20. c. 21.

Dum malvæ naturam ſpectas, cujus eſt mollem eſſe, ac laxare, ad mentem ſymbolum transfer; Ac illis abſtine, quibus mens ipſa nimis emollitur, nimiùm relaxatur. Petis, quæ ſint? Voluptates. Hæ turpè mentem ſolvunt, quum eam turpè vinciunt: Vinciunt autem, quum naturâ liberam ſenſibus inſervire faciunt. Nihil nobilius mente, ſenſu nihil vilius: Ecquid ſervientem virum graviùs enervat, quàm nobilem parère, quàm proprijs obtemperare mancipijs? Hoc agit libens? Turpiùs agit: Iam fractus, jam relaxatus

eſt:

eſt: Nec minùs libentem, quàm invitum gravant pondera, necant venena. Erravi. Ea voluptates nuncupavi, quæ blandimenta ſunt; Immo fraudes. Vera voluptas hominem vult liberum, non ſervum; Vires auget, non extenuat; Non blanditur, non decipit. Hæc nîl aliud eſt, niſi virtus; Quæ aſpera quidem mollit, ſed non animos.

FRVGALITAS. Extra domum ſerenda malva, nam utì debemus frugalitate in extrarios. *Georg: Ven: vbi ſup.*

Malvam etiam ob frugalitatem ſumpſit Horatius, dum ità cecinit; *Me paſcunt olivæ,*

Me cichorea, levéſque malvæ. L. 1. od. 31. in convi.

Sic apud Plutarchum Periander interpretatur Heſiodum. Hinc à ſymbolo diſcamus, virtutem ſemper, ubiqne, ac coram omnibus amplectendam. Ille frugalitatem laudat, ſecum ipſe, ac ſuis cum domeſticis exercet: Amicus adveniat: Quaſi temperantiæ parêre legibus, turpe ſit, turpiùs ruitur ad luxum. Vni convivæ multæ parantur menſæ, infinitæ condiuntur, ac transfigurantur dapes, remotiſſimè oppoſita miſcentur vina: Multis convictoribus bellaria ſola integrum, & ſupervacaneum conficerent prandium: Vſque ad faſtidium itur, nedum ſtomachi, ſed oculorum; Vſque ad laſſitudinem, etiam ſedentis. Ne ſordidus videar, id ago, ait ille. Sic ſplendida hæc ſola dies te quotidie ſordidum accuſat: Avarum te oſtendis, quem temperantem putavimus.

Meæ divitiæ, inquit rurſus, mea in cæteris liberalitas, me haud hoc vitio laborare teſtentur. At ſi de tuâ virtute vis teſtes adhibere, cum familiares non probent, cur eam coram aliјs prætereris, cur diſſimulas? In rege cunctis animi dotibus ornato, ſi Tullio credimus, frugalitas, non minùs admiranda, quàm rara laus. Hæc ab opulentiâ, & liberalitate majus acquirit meritum, ac dignitatem; Quæ in paupertate ſibi neceſſitas vindicaret. Amicitiæ, ſubdit, hoc inſuetum permittatur. Rectè inſuetum dixiſti. Nónne amicus apud Pythagoram alter ipſe? Frugalitatem, qua tecum uteris, cur illi negas? Hoc non eſt, amicitiâ velle frui, ſed crapulâ; Eſt amico non gratum facere, ſed vim: Quin immo, ut eum accipias, dum virtutem extrudis, amicitiam ſolvis, quæ nuſquam ſinè virtute. Vt digniùs voces convivam, meliori ſupellectile domum ſpolias. Extraneis deformia occultanda, non pulchra. Virtus ampliſſima, & ingenua res eſt; Non domi coarctanda, non cum ſuis tantum exercenda, ſed ubique, ſed cum omnibus.

Cic. pro Dejot.

Ariſt. eth. l. 8. c. 8. [margin notes: "Cic. pro Dejot."; "Ariſt. ch. 11 con. 8, ad. 8."; "Ariſt. eth. l. 8. c. 8."]

MANSVETVDO. Malva enim molliens, manſuetudine erga alios in nobis transferenda; Non verò édenda; Nam ſeveri erga nos ipſos debemus eſſe judices. *Gyral. de Symb. Pyth.*

Se malvâ eſſe manſuetiorem, gloriabatur Epicharmus: Hominum enim propria eſt manſuetudo, belluarum, durities; Immo illam & in belluis

Ath. l. 2. c. 19.

ſuis amamus, hæc hominem odio dignum facit: Prima nobiliùs agit, dum iram cohercet, ſecunda viliùs, dum iræ famulatur.

Peragit tranquilla poteſtas, claud. de coſ. Mall.
Quod violenta nequit:

Vir mitis errantem ad pœnitentiam allicit; Quem terret durus, & exaſperat; Culpam verò emendare meliùs eſt, quàm punire; Correctio pœnâ eò potior, quò medio finis.

Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus extat Ibid.
Vtilior.

Ità malvam in te ipſo ad alterius beneficium ſere; At ne comedas. Qui erga cæteros lenis, hominem te oſtenderes, erga te ipſum, te ab homine abeſſe permitteres; Ac eâ facilitate, qua corrigere alios poſſes, in errore te ipſum confirmares. Quis verò malvam non édit ſeverus erga ſe judex? Quis in alios placidus eam in ſe plantat? Suam culpam ille negat, hic excuſat; Alienam vel extollimus, vel effingimus, vel ſuſpicamur; Ac in quo alios condemnamus, nos abſolvimus. Injuræ ſolam umbram in proximo ulciſcimur; Nos errore ipſo & læſos, & lædentes negligimus. Conſulat quiſque noſtrûm, num ſibi quid vitioſum inſeverit natura, vel uſus; Indè *in judicando* ſemetipſum, ne ſit *mendacium*, ſed auſteritas. De alijs facilè quidem judicamus, at judicium difficilè: Acta, conjecturæ, teſtes, tor- Horat l. 2. ſat 3 Iob c 34. n 6.

menta

menta & falli, & fallere poſſunt; Cautè ideo, ac manſuetè potius decreta pronuntianda, quàm rigidè. Nos de nobis non conjectamus, jam ſcimus; Ex ipſis noſtrorum áctis patet veritas; Abſque tortore probationes à nobis ipſis habemus; Conſcientia teſtis eſt omni exceptione major: Tutò ſententiam ferre poſſumus; Immo ſeverè debemus. Aliud tribunal ſupra nos eſt: Iudicare meliùs, quàm judicari. Condemnemus nos, ne condemnemur.

Meæ Conieċt.

DE VTILITATE: ALTERIVS BONO: FVTVRIS; AC PERENNIBVS.

VTILITAS. Hæc delectationi præponenda. L. 1. od. 31. Malvas molles inter acetariorum, vitaéque ruſticæ delitias poſuit Horatius; Eas præterea *ſalubres* dixit *corpori;* Heſiodus, ideo Hermippus, & alij utiliſſimas nuncupaverant. Delectationem igitur, ac ſalubritatem in herbâ dum inſpicis, eam ſere, non éde: Id eſt non voluptatis rationem habe, ſed utilitatis. Vt plurimùm hujus vitæ oblectamenta deſinunt in damna, voluptates in dolores: Nos enim à vero bono abducunt, fallunt; enervant; Vtilitas auget, perficit, lætos facit. Nimiùm dulce ſæpe nocuit; Voluptates raró non ſequuntur curæ, inſidiæ, pericula,

(Epod. od. 2. Athe. l. 2. 9 & ap. Plutar. in conviv.)

pau-

paupertas, infirmitates, homicidia. Propterea forſan olim Angeronæ ſimulachrum in arâ Volupiæ; Hinc ille, Macrob. Sat. l. 1. c. 10.

Nulla eſt ſincera voluptas, Ovid. met. l. 7.
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

Vtile, injucundis etiam paratum, parit gaudia: Labores, qui divitias, victoriam, ſapientiam præceſſerunt, poſt profectum in delitias vertuntur; Velut pharmaci amaror in dulcedinem, tumoris plaga in ſanitatem. Voluptaria igitur linque, ac utilia ſectare; In iſtis etiam voluptatem aſſequêris. Quæ tantùm delectant, præferat ſenſus, quæ proſunt, ratio: Ad ea, quæ placent, animalia bruta ſe conferant; Solius hominis eſt, noſcere, quæ juvant. Quid verò? Canis homine prudentior ægrotans deſerit pulmentum, ac herbam édit: Hoc, quod in illo eſt naturæ miraculum, eſſe debet in nobis rationis natura. Arist. de hist. an. l. 9 c. 6. Malvam igitur ſere, ac utilitas oblectationi anteferatur. Sere, dixit: Agricultura præcipuè in hoc ſit magiſtra. Sere; Copioſáque tibi utilitatum reſpondeat meſſis: Verùm te ipſum, ut prudentem agricolam, gere. In areâ ne te maximæ delectent acervorum moles, quæ fallunt ſæpe, nam

Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ. Virg. Georg. 1.

Tritico non ſolida, non plena, ſed corrupta grana, rubigo, ſiligo, ador, & zizaniæ miſcentur;

tur;

tur; Sic utilitatibus tum vanitates, tum damna. Cribri ſeveritate robum ſecerne, tuóque in horreo purum transfer. Hoc eſt ſelige, non quæ ad hoc, vel illud, non quæ tibi, vel mihi, verum quæ omnibus, per ſe, nec ab improbis, utilia. Nullibi profectò veram in orbe utilitatem reperire poteris, præterquam in virtute; Quæ etiam te docebit, quo pacto ipſam contemnas voluptatem; Immo quo pacto in ipſo gaudeas dolore, ac jucundis proficua & præferas, & jungas.

ALTERIVS BONVM. Sere malvam, non éde. Haud de te ſolo conſulendum, ſed etiam de alijs. Qui ſemen comédit, & alijs, & ſibi meſſem furatur. At quid noſtri causâ non agimus? Infirmitati paramus remedia, ſanitatem augemus delitijs, neceſſitati ſuperfluitate occurrimus. In quo alteri proſumus? Quid paupertati damus, quid ſapientiæ, quid juſtitiæ? Hoc édere quidem eſt, non ſerere. Bonum ſui amittit naturam, quum ſe non communicat; Illud enim propriè bonum eſt, quod non tibi, non mihi, ſed omnibus tale. Quis boni dignaretur nomine aurum illud, quod velut in carcere ab avaro conditur? Ipſe tantum; Sed nomine quidem, non re; Nec illi enim bonum eſt, qui eo non utitur. Peſſimum avaritiæ genus eorum, qui bona cuncta ſibi aſciſcunt, de alijs nihil cogitant. Ad quid leges de tumulandis cadaveribus? Ad

quid

quid ultimæ teſtantium voluntates? Ad quid ſculpta ſaxa, impreſſæ paginæ, ac cætera gloriæ monumenta? His omnibus volumus, alios de nobis defunctis recordari; Nos autem illorum, qui aut vixerunt, aut victuri ſunt, memoriam negligimus. Cynicus nedum ad cæteros juvandum, vixit, ſed proprium cadaver inſepultum voluit, ac in flumine proijci, ut beſtias aleret, *ſuíſque*, ut dixit, *fratribus* etiam poſt mortem prodeſſet. Laert. in Diog.

A genio canis hominis officium nos diſcamus, quod eſt, juvare alios; Non cadavere, ſed exemplo, beneficio, ſcriptis. Homo ſe nunquam magìs Deo ſimilem oſtendit, niſi quum alios juvat. Sol Dei ſimulachrum non ſibi ſplendet, ſed nobis: Hercules, qui humanam, divinámque naturam in ſe conjunxit, non ſibi, ſed alijs pugnavit, ac vicit. Prima rerum cauſa, verè Iupiter à juvando, non ad ſui utilitatem, cui nihil deeſſe poterat, ſed ad noſtram, cuncta diſpoſuit, ac ſervat. Deus fecit omnia, ut homini ſervirent; Hominem, ut homini Deus eſſet, ac juvaret. Symbolum audi, tu, qui ne ad inſtar heluonis menſæ reliquias, pleno jam ventre, lugeas, cuncta vorans, vis omnia tecum deficere. Sic non ſeminas, édis. Tótne laboribus tot opes comparaſti, ut paucis diebus tibi tantùm inſervirent, quæ diu pluribus inſervire poterant? Immo ut extranei potius alienatâ earum proprietate fruerentur, Aug. 8 de Ciu. De. 33. Geor. 1.

Ccc rentur,

rentur, quàm tui? Filióſne inter divitias genuiſti, ut paupertate perimeres? Audi, tu, qui vel medicinæ, vel alterius artis arcanum poſſides, quod tecum mori mavis, quàm alteri notum fieri: Dic, lapidéſne, ac herbæ à te virtutem habuere, an tu ab ipſis? Eam illis Deus impertitus eſt, non ut te ſolum, non ad tuæ mortalitatis menſuram, ſed ſemper, ſed omnes juvarent. Sic tu ſacrilegus rem expilas communem, tibi Altiſſimi uſurpas munera, Dei fruſtraris intentum. Sere malvam, non éde.

FVTVRA, ET PERENNIA. Malva, quæ cum ſole circumagitur, velut in horologio, temporis eſt index. Qui eam édit, præſens intuetur ſolùm, quod momentaneum: Serenda; Hoc eſt de futuris, & perennibus cogitandum. Nimiùm ab humanæ mentis amplitudine diſſidet, noſtras cogitationes arctiſſimâ præſentis momenti anguſtiâ coarctari: Donatâ immortalitate futura inſpiciamus, ac perennia. Nos dum vivimus, à præſenti nunc, quod jam præterijt, ad futura tendimus, à momento ad id, quod eſt perenne, dum morimur: De iſtis cogitandum, quæ imminent nobis, ad quæ nos properamus, non de ijs, à quibus diſcedimus, immo quæ à nobis diſcedunt: Præſens nos derelinquit, nos fugit; Ac eò ipſo, quò de illo cogitamus, jam receſſit, jam evanuit. Quid verò? Ad tactûs, vel ad animi

mi

mi potius mollitiem, tepent balnea; Pleuſiaci coli, & Setaba licia fatigantur: Exagitamus aera, excutimus aquas, terram laceramus, cuncta exhauriuntur ad gulæ tributum; Meliùs dixerim ad ſtultitiæ: Auribus indulgendo muſici, ac citharœdi aluntur, aves canoræ, ac loquaces in carcere detinentur; Quinimmo ad mentis naufragium ſirenes: Ad odoratûs blandimentum à Perſis aromata, unguenta à Cypro, ab Hyblâ flores colliguntur; Quorum fragrantiam retundunt crebri morum fœtores: Ad oculorum delitias, deliria, ſeu delicta ferè dixi, Arachnæis acûs miraculis, anonymâ colorum varietate, aulæorum ſuperbiâ, tabularum fraudibus parietes exornantur; Inter quas nihil hero vilius. Hæ hominum curæ circa ſenſus: Hoc eſt circa præſentia, & momentanea; Quid enim ſenſu brevius? Hæc vita momentum; Senſus ipſe momento brevior, ſi ad vitæ medietatem rarò, non deſinit. Ac pro ipſo tot ſtudia, tot diſpendia? Sic édendo, non ſerendo ſolliciti ſumus de præſenti, quod nihil eſt, ac futuri negligimus perennitatem. Futurum intueor, ait ille, dum cupio, dum ſpero, dum opes ad fortuita congero: At ſi futurum, non perenne. Quid verò in hac vitâ futurum tibi aſſeris? Diem craſtinam? Falleris: Te hodie poſſunt vocare fata. Futurum quære, quod certum, quod perpetuum: Hoc nihil

Plut. in conſ. ad Apollon.

rentur, quàm tui? Filióſne inter divitias genuiſti, ut paupertate perimeres? Audi, tu, qui vel medicinæ, vel alterius artis arcanum poſſides, quod tecum mori mavis, quàm alteri notum fieri: Dic, lapidéſne, ac herbæ à te virtutem habuere, an tu ab ipſis? Eam illis Deus impertitus eſt, non ut te ſolum, non ad tuæ mortalitatis menſuram, ſed ſemper, ſed omnes juvarent. Sic tu ſacrilegus rem expilas communem, tibi Altiſſimi uſurpas munera, Dei fruſtraris intentum. Sere malvam, non éde.

FVTVRA, ET PERENNIA. Malva, quæ cum ſole circumagitur, velut in horologio, temporis eſt index. Qui eam édit, præſens intuetur ſolùm, quod momentaneum: Serenda; Hoc eſt de futuris, & perennibus cogitandum. Nimiùm ab humanæ mentis amplitudine diſſidet, noſtras cogitationes arctiſſimâ præſentis momenti anguſtiâ coarctari: Donatâ immortalitate futura inſpiciamus, ac perennia. Nos dum vivimus, à præſenti nunc, quod jam præterijt, ad futura tendimus, à momento ad id, quod eſt perenne, dum morimur: De iſtis cogitandum, quæ imminent nobis, ad quæ nos properamus, non de ijs, à quibus diſcedimus, immo quæ à nobis diſcedunt: Præſens nos derelinquit, nos fugit; Ac eò ipſo, quò de illo cogitamus, jam receſſit, jam evanuit. Quid verò? Ad tactûs, vel ad ani-

mi

mi potius mollitiem, tepent balnea; Pleuſiaci coli, & Setaba licia fatigantur: Exagitamus aera, excutimus aquas, terram laceramus, cuncta exhauriuntur ad gulæ tributum; Meliùs dixerim ad ſtultitiæ: Auribus indulgendo muſici, ac citharœdi aluntur, aves canoræ, ac loquaces in carcere detinentur; Quinimmo ad mentis naufragium ſirenes: Ad odoratûs blandimentum à Perſis aromata, unguenta à Cypro, ab Hyblâ flores colliguntur; Quorum fragrantiam retundunt crebri morum fœtores: Ad oculorum delitias, deliria, ſeu delicta ferè dixi, Arachnæis acûs miraculis, anonymâ colorum varietate, aulæorum ſuperbiâ, tabularum fraudibus parietes exornantur; Inter quas nihil hero vilius. Hæ hominum curæ circa ſenſus: Hoc eſt circa præſentia, & momentanea; Quid enim ſenſu brevius? Hæc vita momentum; Senſus ipſe momento brevior, ſi ad vitæ medietatem rarò, non deſinit. Ac pro ipſo tot ſtudia, tot diſpendia? Sic édendo, non ſerendo ſolliciti ſumus de præſenti, quod nihil eſt, ac futuri negligimus perennitatem. Futurum intueor, ait ille, dum cupio, dum ſpero, dum opes ad fortuita congero: At ſi futurum, non perenne. Quid verò in hac vitâ futurum tibi aſſeris? Diem craſtinam? Falleris: Te hodie poſſunt vocare fata. Futurum quære, quod certum, quod perpetuum: Hoc nihil

Plut. in conf. od. Apollon;

hil faciliùs invenire poteris. Noli hanc vitam ſcrutari, quæ tranſit; Noli ſenſus, qui deficiunt; In animo habes: In hoc ſolo futuri tuta fides, ac perennitas. De hac meſſe cogita, cujus fertilitas in ævum duratura. Tuum eſt, bonam facere, aut malam. Tu idem ſator eris, ac meſſor: In hoc tua opera, tuas cogitationes impende. A ſerente in ſulcis tumulantur grana, ut demum indè reſurgant: Sic de te ipſo erit. Sere id, quod vis colligere; *Vt ſementem feceris, ità & metes.* *Qui ſeminat iniquitatem, metet mala.*

Greg. Naz. in car. de vi. Su. Prov. c. 22. n. 8.

AB ANIMALIBVS ABSTINENDVM.

Symb. XXXV.

Var. Lect.

Ab animalibus abſtine. Ficin. *Ab iis, quibus vita eſt animalis:* Iambl. Arcer. *Ab innocuis*. Diog. Laer. Ambr. & Suid. Voltf. *A morticinis*. Aelian. Vulte:

Int. Var.

DE PARENTIBVS COLENDIS: FRVGALITATE: RATIONE: HOMICIDIO: IMPVRIS.

PARENTES COLENDI. Nam juſtitiam, & honorem debemus conſanguineis, & cognatis: *Iambl. protr. c.* 21. Quorum animæ ferro, morsúve in animalium cede violari poſſent. *Senec. ep.* 108.

CArnes vis édere? Id ſit; Edebat etiam Pythagoras. Illis ne aſſentiaris, qui putarunt, animalium eſu prohibuiſſe mortales, nam bovem Tarentinum, ac urſam Dauniam cicuravit; Symbolicè hîc loquitur: Quis animal, hoc eſt corpus animatum voraret? Animalium carnibus veſcere: Nihilominus pare ſymbolo. Si ab eorum eſu non abſtines, abſtinere ſat erit ab eorum erga parentes naturâ. Pene orta, & ad cibum aſſueta parentes relinquunt, ignorant, invadunt, ſubi-

Ath. l. 7. c 25. Et Gel. l 4. c. 11. Gyral de Symb. Rhod. l. 19. c. 7. & Iambl. de Pyth. c. 131

ſubigunt. Sed quid mirum? Ratione carent. Mirum eſt de homine, cui neceſſe fuit leges im-
Exod c. 20 n. 12. ponere, ac eum longævitatis præmio allicere, mortis pœnâ terrere, ad id, ad quod ſola ſufficere debebat natura. In quo autem profuere præmia, & pœnæ, in quo leges, in quo natura ipſa? Etiam ſuos habet hoc ſeculum Telema-
Odyſſ. l. 1 & Svet. in Ner. chos, & Nerones. *Iuſtitiam* dixit, ac *honorem* parentibus debemus; Ipſis enim honorem præſtare, juſtitia eſt. Quid patri dare poſſum, quod filij munus expleat? Nil parentibus minoris momenti debeo, quàm ſit vita; Ideo quàm ſint cuncta, quibus non fruerer, niſi viverem. Vitam
Ap. Senec. de benef. l. 3. c. 30. dedit, ait ille, ſed *non ſentienti*: Dedit verò, quo ſentires. Dedit per *voluptatem*: At nec beneficij meritum, nec debitum recipientis minuit autoris in benefaciendo voluptas. Dedit vitam; Sed vivere *minima eſt bene vivendi portio*; Dedit vitam *boni, malique communem materiam*: Sed te ſic genuit, ſic educavit, ut tua eſſe poſſet gloria, eam in bonam vertere. At in pejus mutas, dum te ipſum tædet, diu eos vivere, à quibus vitam recepiſti, qui tibi curas eximunt, qui pro te divitias congerunt. Falsò ajebat ille,

res nulla minoris
Conſtabit patri, quàm filius;

Quoties emitur, quoties redimitur? Diſpendioſa connubij onera, graves diſciplinæ ſumptus,

nul-

nullum paternâ inquietudine majus pretium. Sed decedat pater, adhuc filius eris: Te jam ætate provectum, illi obſequi, pudebit? Seniori obſequêris; Nec ſenium, ne ſis filius, impedire poterit: Eris & patre jam remoto, jam defuncto. Si parentum animas in alia corpora tranſire negas, tranſeunt profecto ad immortalitatem; Quovis loco ſint, vivunt adhuc. Nec de illis cogitas? Tua præbe ſuffragia: Vel præſidium illis afferant, vel tuæ ſaltem gratitudinis exhibeant argumentum.

FRVGALITAS. *Vt aſſueſiant homines ad faciliorem victum, ac parabiliores cibos: Diog. in Pyth.*

Natura, quæ nos genuit, noſtræ conſcia neceſſitatis facilem, paratum quotidianum, gratuitum cibum exhibuit ſemper nobis, & condijt: Nos autem morâ famem cruciantes, ea quærimus, quæ noſtris aliena corporibus acquâ, igne, arte, pretio, ac tempore indigent. Abſque carne Babylonij, & Indiæ ſapientes vixerunt, ac reges Calechut, contra illud Catonis, *rex animal eſt carnivorum*, ſacerdotibus inconſultis eâ nunquam veſcebantur: Rarò igitur édebant. Hîc ſymbolicè totum prohibet Samius, ut de nimio intelligamus: Vetat animalia, quibus ut plurimum frugalitatis prætereuntur leges, ut etiam animalibus frugalitati obtemperemus. Multa nimiùm ſumpta officiunt, quæ parcè juvant: Cibi mode-

Herod. l. 1 & Euſeb præp. Euan l. 6. Plut. in Cat Lod. Rom. nat. l. 5, c. 6.

ratio

ratio nutritione auget vires, copia minuit onere; Alit illa, hæc necat. Parcum ideo carnium
Diog. in Pyth. eſum inſpexit Pythagoras, ille enim *ſanitati, ac menti* prodeſt. Qui continuò feris alitur, ad ferinos mores pronum ſe facit; Puer verò non unico, ſed frequenti lactis hauſtu nutricis contrahit mores. At eò peruênit gulæ flagitium, ut

Ovid. met, l. 15. *in viſcere viſcera condi*,

ſerviat, non neceſſitati, ſed luxuriæ; Hæc autem uſque ad ſævitiam protrahitur; At ea venatio, quæ olim ars fuit ad fortitudinem, hodie ludus eſt ad intemperantiam. Nos à morticinis abſtinemus, ijs tantùm gaudentes, quæ noſtro juſſu, noſtro ferro cæduntur. Mortem horremus, ac menſam cadaveribus inſtruentes, morte vivimus. Vni convivæ tot clades? Ad plateam converte oculos: Vectes, ac tigilla truculentis curvata ponderibus recenſe; Numera currus, qui aeris, ac nemorum ſtragibus onuſti, velut per venationis triumphum circumducuntur. Sic verè, ut ajebat Sextius, in voluptatem adducuntur lace-
ap. Senec. ep. 108. rationes. Homini ſuper animalia dominium im-
Gen. c. 1. n. 28. pertitus eſt Deus, non tyrannidem; Dominari enim, ut nonnullis eſt, non idem, ac vorare. Nobis herbas tantummodo, & arborum fructus in eſcam dedit. Temporum inopia tunc nullo agriculturæ auxilio reparata nos ad animalium cædes compulit. Quod neceſſitas fuit, uſus illi-

co

co evaſit; Ac ità impiè in abuſum tranſijt, ut aliquando fames crudelitati aſſueta rueret ad homicidia. Nobis animalium eſus ad uſum ſit, non ad viſum; Ad neceſſitatem, non ad ſpectaculum. Injuſtè non agit, qui utitur animalibus, ajebat Plutarchus; Verùm qui cum ſævitiâ. Ad quid ut patinam impleas, quæ te impleat, exhaurire nemora? Quæ pompæ, ac voluptati ſervit, non venatio, faſtus, & luxus eſt. Geneſ. c. 9. n. 3. & vide Pet. Viu. lec. var. l. 22 c. 18. De ſoler. anim.

RATIO. Nam ijs homo uti non debet, quæ ratione carent. *Nomul ap. Gyral. Quod forſan dum dixit*, ne à forte ſuâ nobiliori cadat, *inſpexit Georg. Ven. to. 5. ſec. 5. prob. 455.*

Vnde venis, quò vadis? A ſymbolo admonitus, ais, nemora fugio, & ad civitatem me confero. Siſte gradum. Vide ne, ut vites *pluviam*, *in foveam* incidas. Nec in ſylvâ, nec minùs in urbe tutus eris. *Fumum fugiens in ignem te conijcis*. Cur à tigride abſtines? Nam ferox eſt? Feroces etiam viri: At illa, inquis, ratione caret. Non illi tantum ratione carent, qui non habent, ſed illi magìs, qui habere nolunt. In iſtis propriè *animalis eſt vita*. Belluæ ſunt irrationales ob naturam, quæ in hoc illos defecit; Homines ob voluntatem, qua ipſi deficiunt à naturâ. Suo utatur furore leo, vipera veneno, ita ſit urſi propria, libido ſuis, vulpis calliditas, rapacitas lupi, tigridis feritas. Homo ſolus à ratione alienus, velut ille, qui animalium quorun- Eraſ. chil. 1. cen. 5. ad. 89. Plat. de Rep. l. 8. Iambl. Symb.

cunque voces imitatur, in ſe omnes, ac pejores ferarum proprietates complectitur. Polleat hic proboſcide, ille cornu, hic dente, ille unguibus. In homine maximus, ac immaniſſimus artifex intellectus, multò ſæviora invénit arma, quibus nedum à longè in bello ferit corpora, ſed in pace ingenium, honorem, animam ſauciat. Magna belluarum eſt homo, qui à ratione recedit, ac feritatem ſtudio auget. Civitatem igitur ne adeas, ubi plures hujuſmodi feræ. At ne caveas tantùm ab animalibus, quibus non eſt ratio, in alijs; Vide magìs, an talia in te ſint. Abſtine ab animalibus ratione carentibus, hoc eſt ab-

Steph. th. gr. to. 1. eſto, dicta, difer ab ijs, hæc enim cuncta Græcis idem ſonat verbum. Noli *fieri, ſicut equus,*

Pſal. c. 31. n. 8. *& mulus, quibus non eſt intellectus*. Ne ſis animal ſolùm, ſed rationale. Quid facilius? Tui naturam ſequere; Sis homo; Eſto quod es, id ſatis erit. Eià utere ratione, quæ potior tuæ vitæ pars, te diſtinguit à feris: Illius ità proprium eſt, ſupra ſenſum ferri, ut olei ſuper aquam: Linque naturam ſuo fungi munere. Si à nemore ad civitatem properare, te vellet Pythagoras, vel crurum debilitas, vel currûs inopia te poſſent excuſare. Motum non imperat, ſed quietem. A te ipſo ne diſcedas, hoc ſufficit.

HOMICIDIVM. Ab ijs abſtinendum, quæ nobiſcum ijſdem alimentis vitæ habent ſuſceptionem. *Iambl. de Pyth. c.* 24.

24. 33. 34. *& protr. c. 21.* Quantò magis ab ijs, quæ communionem habent animæ. *Iambl. de Pyth. c. 30. Præcipuè* à non feris, & innocuis animalibus. *Plut. de cap. ex hoſt. util. Iambl. de Pyth. c. 21. Svid. & Diog. in Pyth.* Ne ad ſanguinem invicem fundendum proni ſimus. *Gyral. de Symb.*

A longè fugienda vitia, quæ contagia ſecum ferunt. Antidotis uti debemus, ne venenum officiat nobis, non ut nos veneno ſimus obvij. Stultus ille, qui remedijs adverſus ebrietatem firmatur, indè intemperans venit ad pocula; Quibus & abſque ebrietate, ebrietatis contrahit culpam. Ab animalium ſtrage abſtinendum, ut ab homicidio abſtineamus: Hoc enim ab illâ ſuam traxiſſe originem, putarunt nonnulli. Haud miror: Nullibi ſcelus tam inhumanum, præterquam è ſylvis, ac inter belluas, erumpere poterat. Ideo ad vitandam crudelitatem, aucupium improbavit Pythagoras, piſciúmque redemptis capturis dimitti eos juſſit. Agricola quidem fuit primus homicida: Sed quid prohibet, quin etiam fuiſſet venator? Saltem in ſacrificio fratris gregis ejus primogeniti occiſionem inſpexerat. Profectò mortales ab animalium cæde ad humanum ſanguinem profundendum proni effecti ſunt: Piſcatores dicuntur homicidæ apud Athenæum; Et Plato, *utinam nos nunquam marinæ venationis cupiditas capiat, ne piraticæ amor per maria venatores hominum nos faciat.* Sic ubi Pharao *venatores vidit, conſolatus eſt ſuper univerſa multitudine ſuâ,*

Iambl. de Pyth. c. 30.

Plut. de anim. Salet.

Plut. de cap. ex hiſt. util.

Gen. c. 4. n. 8.

L. 6. c. 2. De leg. l. 7.

Ezech. c. 32. n. 30. & 31.

ſuâ,

ſuâ, quæ interfecta eſt gladio. Homines ab urſo ad bovem, à bove ad agnum, & columbam proceſſerunt: Sic gradatim ſe ad ſanguinem etiam innocentem, etiam domeſticum aſſuevere. Hoc, quod feritatis extremum dixeris, principium fuit. A columbis ad homines crudelitas tandem ſe contulit. Contra belluas primi ad ſui defenſionem pugnarunt; Mox ad victum, & prædam, poſtremo ad delectationem. Prô quàm facilis à virtute ad vitium declinatio! Quæ fortitudo fuit, crapula effecta eſt, ac ſævitia. Hinc protinus à belluis defenſio, ad vindicandas hominum injurias, iram erudivit; Nemorum preda regnandi aviditatem excitavit, ad ſtruendas acies: Vtrunque fuit uſque ad ſanguinem. Ad cædes tandem ſic aſſueti eas & ad diſciplinam, & ad oblectationem traduxerunt. Ad diſciplinam dixi; Quoniam à venatore ad laniſtam ſe contulit juventus; Ac ipſius mortis officium artem fecit: Nec amplius mortales, juxta Dei decretum *morte moriuntur*, ſed occiſione; Qua Deus ipſe nec homicidij primum autorem mulctari voluit. Ad delectationem, quia theatrales factæ fuerunt, nedum ferarum, ſed hominum dilaniationes; In Beryti amphiteatro ſic, ut ille ſcripſit, noxiorum pœna in pacis voluptatem vertebatur: Quod ſub æqui ſpecie adhuc noſtris durat temporibus. Obſtupeſco, dum in foro copioſam intueor populi

Geneſ. c. 2. n. 18 Levit c. 14. n. 17. &c. Gen. c. 4. n. 15.

Ioſeph Ant. l. 19 c. 5.

puli frequentiam, quum reus vel ſuſpenditur laqueo, vel plectitur capite, vel membratim à carnifice diſcerpitur. Sponte ad mœſtitiam nullus accedit, dolorem quiſque fugit: Reſtat modo, ut dicamus, hominis lacerationem gratum adhuc, & voluptuoſum eſſe homini ſpectaculum. En aſſuetudinis per gradus fructum, quem pravus maturauit calor. Ad illud redeo, à quo cœpi. A longe fugienda mala; Hoc eſt à cauſis, ab occaſione, ab ijs, quæ ad ea nos pronos faciunt. A fungis abſtinendum, qui dicuntur à funere; Non quia eos édere non liceat; ſed nam cavendum, ne in venenatis incidamus: Sic ab animalibus, ne incauto eorum eſu in nobis humani ſanguinis excitetur ſitis. Puero, ut à flumine ſe abſtineat, foſſula etiam areſcens inhibenda.

IMPVRA. A morticinis abſtinendum, incertum enim eſt, an ſiut pura. *Ael. l. 4. var. hi;. c. 15. Vult. int.*

Iam etiam à lege morticina ob impuritatem Lev. c. 11. n. 11. c. 17.
vetita. Quid aliud verò morticinorum impuri- n. 15. c 22. n. 8, &c.
tas, niſi eorum vitia, & peccata, qui ex ſe gra- Hieron. ſup Ezech.
tiæ, ac innocentiæ moriuntur? A morticinis er- c. 4. n. 44. & Iſy. ſup.
go abſtinendum, non quia corrupta eſſe poſſint, Lev. c. 5. n. 17.
vel infecta veneno, ſed nam immunda. Veluti per ſe virtus capienda, ità & vitium fugiendum; Non quia me lœdit, ſed quia me fœdat: Qui non ulciſcitur, ne ſicarios emat, ne augeat inimicos, ne ſe

ne ſe ipſum in diſcrimine ponat, ab omnibus abſtinet, præterquam ab ultione: Quam unicus momento conſumaret effectus, mora pluries patrat, diúque durare facit voluntas. Cuncta mihi noceant, dummodo ego ſim innocens. Lacera ſit veſtis potius, quàm inquinata: Illud fortunæ, hoc mentis vitium indicat. Quid verò? Veſtem labefactatam quotidie abijcimus, animam quotidie labefactamus.

Meæ Coniect.

DE FERITATE: SENSV: VITIIS: IMPROBA SOCIETATE.

FERITAS. Hæc ſemper mala, vel nocet, vel terret: Mala & cuique; Habenti, nam hoſtes provocat, ferenti, nam experitur hoſtilitatem, cæteris, nam vel miſeratione, vel periculo cruciatur: Ab eâ igitur abſtinendum. Sive ferum ſit animal, ſive manſuetum, cave; Ab illo, ne ſæviat, ab hoc, ne ſævias, ab utroque ne amittas humanitatem. A brutis ad viros tranſito, ac vide, quàm ſæpe tranſeant viri ad bruta. Neque in nocentibus irritanda crudelitas, neque contra innoxios exercenda; Illud pernitioſum, hoc injuſtum: At ipſum exercere, irritare eſt, undè Pimander,

Auſon. in ſud. ſept. Sap.

Multis terribilis, caveto multos.

Ma-

Malam dixi feritatem: In homine peſſima; Nam quò magìs extra ſui centrum, eò magìs gravat. Illa in belluis à naturâ, in hominibus acuitur ab ingenio; Ac in iſtis eò ſævior fit, quò ſævius eſt vim inferre, quàm repellere. Ità qui ad manſuetudinem belluas inſtruunt, ſe aſſuefaciunt immanitati; Quódque in illis domant, ſic transferunt in ſe, ut ſit difficilius, virum cicurare, quàm feram. Leo ſuæ feritati dat leges; Beneficio accepto parcit, proſtratum non lædit: Quis modus humanæ crudelitati, cui ratio, quæ ſola dare potuiſſet, jam ceſſerat?

SENSVS. Ab animalibus abſtinendum; Hoc eſt à ſenſu, in quo præcipuè animalium eſt vita. Eo bruta differunt à plantis, homines non differunt à brutis: Habent quidem, quo diſcrepent, ſed diſcrepare nolunt, illi potius hærentes, quod commune, quam illi, quod proprium. A belluis cavemus, nam officiunt nobis: Eadem ratione magìs cavendum à ſenſibus. Illæ ſaltem unguibus, ac dentibus nos præmonent ad fugam, & ſecuritatem; Iſti blanditijs nos alliciunt ad vulnera. Feræ malum, indéque dolorem ſuis armis præmonſtrant. Sacharo napellum operit ſenſus, ac per voluptatem ad mœrorem nos trahit: Sæviora verò tormenta, quæ inter delitias, quàm ex periculis; Ea enim à contrarijs augentur, hæc prævisa minuuntur. Cave igitur à ſenſu.

ſu.

ſu. Non quia te ſtoicum velim; Cupio ſocraticum. Senſu ne careas, immo utere, ſed cautè: Illo ne ab homine ad animal relabaris; At eo ipſo te ad divinitatem extolle: Formoſum aſpice, audi armonicum; Non ut à libidine proſternaris, verùm ut ab illis ad ſphærarum concentus, ad Dei pulchritudinem eleveris.

VITIA. Quot vitia, tot beſtiæ ſunt, ajebat Nyſſenus. Ira, calliditas, & fraus, contumelia, ultio, auaritia, libido belluæ ſunt cæteris immaniores; Blanditijs enim aliæ manſuefiunt, iſtæ efferantur. Ab hujuſmodi animalibus abſtinendum. Quid verò? Nos ea potius domeſtica nobis facimus; Nec domo tantùm, ſed corde, ac animo vivaria, & eſcam illis tradimus; Ac ità cicuramus, ut ſæviores erga nos ipſos, & alios fiant: Sic dum ijs, quæ extra nos, noſtrum eſt dominari, ea, quæ in nobis, quod noſtrum magìs deberet eſſe, nobis imperant: Nimirum ea nos non habemus, ipſa nos habent. Iugum tam indignum excute; Pelle feràs; Ab animalibus abſtine. Sed ſcias vellem, te à cane prorſus non continere, dum caves tantùm, ne mordearis; Cavendum etiam, ne mordeas. Ab urſâ non abſtinet, qui à ſpecu diſcedit, ſed qui à furore, quo abſtinendum ab urſâ: Gramineum cæſpitem ad quid horrere, ſub quo latet vipera, ſi viperæ venenum jam invidus habes in ore? Feritas eò nocen-

D.Greg. Orat. 1. in verb. fec. hom.

Geneſ. c. 1. n. 28.

centior eſt, quò proximior. Ab eâ vis, perfectè abſtinere? Illam vel non admitte, vel longè abs te dimove.

SOCIETAS IMPROBA. In ſacris literis vir impius & brutis animalibus comparatur, & *fera* dicitur. Sic ſtultus homo, cujus animam in hunc mundum ingredi, olim putarunt per cancrum, facilè vitio retrocedit ad ſuæ geniture ſydera, quæ ut plurimum denominantur à belluis. Propterea *qui cum eo comitatur*, illi ſimilis eſt, *qui appropinquat beſtijs*: Quod abſque periculo fieri non poteſt. Fit etiam cum beneficio, ait ille: *Feræ convictu noſtro manſueſcunt*. Hic ſimplicis convictûs dici effectus, nequit: Eſcâ, blandimentis, arte manſuefiunt; Hæc diſciplina eſt, non ſocietas. Qui autem cicurat belluas, domeſtica, & ideo majora, ſibi facit pericula. Quæ ab arte ſunt, ad tempus durant; Nunquam penitus naturæ obliterantur characteres. At plus metuenda pravi hominis, quàm belluæ ſocietas: Ab ijs animalibus magìs cavendum, quæ bruta ſunt electione, quàm ab ijs, quæ naturâ. Hæc nocere tantùm poſſunt, illa & nocentes facere. Speciei differentia eum, qui cum feris verſatur, cautum reddit: Homo faciliùs hominis, quàm beſtiæ, contrahit mores; Proclivem natura ipſa docet tranſitum: Vitia verò inſeruntur magìs, quàm virtutes. Quidquid putet Eraſmus, ex anteceden-

Pſal 48. n. 20. 67 n. 31. & ibi Lulcin. alleg.

Macrob. ſom. l. 1. c. 2.

Eccli. c. 13. n 13.

Senec. de irâ l. 2. c. 31.

Chil. 3. cen. 2. ad. 97.

tibus patet, non maturitatem, ſed corruptionem inſpexiſſe illud

Iuven. ſat. 2.

Vváque conſpecta livorem ducit ab uvâ.

Vnico bono unica ratio dat aditum. Voluptatum, ac ſenſûs multæ ſunt portæ, per quas multiplex ingreditur malum. A ſocio igitur improbo cave. *Corrumpunt mores bonos colloquia prava,* ex Menandro protulit Paulus; *Amicuſque ſtultorum, ſimilis efficitur.*

Ad Corint. c. 15. n. 33 & Tertull. ad vxor.

Prouer. c. 13. n. 20.

A PI-

A PISCIBVS ABSTINE.

Symb. XXXVI.

Var. Lect.

Piſces ne guſtato. Gyrald. *A piſcibus abſtineto*: Eraſm. *Ab iis, qui ſacri ſunt*: Laert. Ambr.

Int. Var.

DE SILENTIO: DEO: INNOCENTIA: TEMPERANTIA: IGNOBILITATE.

SILENTIVM. Nam piſces pythagoricæ diſciplinæ ſunt quodam modo contubernales: *Eraſ. de Symb. Pyth. ex Plut. & Pier. l. 31.* Propter ſilentij præmium. *Plutar. ſymp. 8. qu. 8.* Quod maximè colendum. *Athen. l. 7. c. 2.*

QVale inter piſces, ac homines contubernium? Illi ab humanâ regione alieni mare incolunt, quo nihil naturæ noſtræ contrarium magìs Theo putavit. Sed quæ à Plutarcho jam ſcitè rejecta, eſúque piſcium longè à ſymbolico ſenſu aberrantia prætermittantur. Sic piſcium taciturnitatem colendam ſubdunt alij, ſic præmio donandam. Verùm taciturnitas, quæ honore, ac præmio decoranda, non dicitur de omnibus, quæ non loquuntur; Non eſt enim ab impotentiâ, ſed à voluntate: Aliàs & plantæ mererentur, & lapides: Nec mutus *Ap. Plut. ſym. 8. q. 8.*

 ideo,

ideo, nec piſcis verè ſilent; Sicut nec verè ſurdum æquor, aut cæca nox. Propriè ille tacet, non qui linguâ caret, ſed qui linguam cohibet; Vnde illud antiquum *favete linguis* pro ſilentio; Angerona, & Harpocrates illius numina digitum ad os admovebant, non ut ſe mutos, aut elingues indicarent, ſed ut vocem comprimerent; Hinc Ovidius,

Cic. de div. 1. Ovid. 15. met verſ. 3. Æn & Horat. l. 3. od. 1. Macrob. Sat. l. 3. c. 9. & Gyral. ſyn. 8. Met. 9.

Quique premit vocem.

At impropriè ſilentium à Pythagorâ hîc ſumatur. Si tam ſtrictâ lege illud à ſuis voluit ſervari, cur piſces ad abſtinentiam, non imitationem potius excitandam, propoſuit? Afferam, quod ſentio. Sileant, velut ajunt, piſces. Itáne Samius voluit innuere, abſtinendum eſſe à quacunque ſilentij ſpecie, non enim mordenda cujuslibet taciturnitas? Profectò ut plurimum garrire ſtulti eſt, ſilere ſapientis; Crebròque magìs diſcurrit qui tacet, quàm ille, qui loquitur. Verborum copia falſa ingenij menſura, cujus eſt illam metiri. Sæpe illius, quem ore infantem coætaneus riſit vulgus, calami eloquentiam docta comprobauit poſteritas. An potius in gratiam ſilentij pythagorici à piſcibus abſtinendum? Hoc eſt piſcium taciturnitas, quæque ſit, à nobis nullo pacto imitanda? Non debemus, velut illi, verba non habere ſemper indociles; Verba nos debemus non emittere, ut doceamur: Silere videan-

deantur ipſi, nam loqui nequeunt; Silendum eſt nobis, ut loqui diſcamus: Taceant piſces nunquam locuturi; Taceat homo, ut bene tandem loquatur: Hic proprius echemythiæ finis, qui proprium diſciplinæ pythagoricæ principium. Gell. l. 1. c. 9.

DEVS. Nam Dijs de piſcibus rem ſacram non faciebant Ægyptij: *Ap. Gyral. de Symb. Pyth.* Nec ſacri guſtandi, nefas enim Dijs, & hominibus eadem apponere. *Laert. in Pyth.*

Duplicem piſcium diviſionem habemus: Alteram in antiquâ lege, in ſymbolo alteram. Illa in eſu hominum inſpexerat mores; Hæc Dei ſpectavit majeſtatem in ſacrificijs: Lex piſces puros ab impuris diſtinxit; Quod à ſacris Autoribus interpretatum pro viris probis *divinâ dignis menſâ*, & improbis in vitiorum cœno latentibus: Ideo ſolùm à poſtremis abſtinendum erat. Pythagoras & ſacros, & non ſacros exhibet vitandos: Ex quo nobis libeat elicere, ab ijs omnibus abſtinendum, quæ vel à Deo diffident, vel ad Deum ſpectant. Sic utinam feciſſent primus homo, primus angelus: Obtemperans ille, à Domino vetita non guſtaſſet, hunc ad tentandum Diuinæ unitatis raptum, ſuperbia non extuliſſet. Vitium utrunque propagavit ætas; In gentium perniciem nova non defuere poma; Non viri, qui tonitrua, & fulmina æmulati, Deorum ſimulachris dempto capite ſuum imponerent. Prô amentiam! Piſces guſtat non ſacros,

Levit. c. 11. n. 9.

Bernard. in Levit. c. 11. Ap Pictis. 13.

Geneſ. c. n. 6.

Iſai. c. 13. n. 14.

Hygin. fab. 92.

Dion. & Suet. in Calig.

cros, qui delectatur ijs, quæ à Deo aliena ſunt: Deus non abhorret, niſi à turpibus, non prohibet, niſi mala; Et quæ nobis talia: Te pulchrum, te bonum vult; Quæ ſuavior lex? Vult, qualem eſſe, gloriareris; Quid utilius? Vult, qualem eſſe, tuum eſt; Quid facilius? Verùm tu extra illum fruſtrà, immo in ipſo malo, in ipsâ deformitate ſtultè quæris pulchrum, & bonum, ſtultiùs tibi effingis. Deſine. Hanc tui fallaciam corrige. Ille ad hoc te hortatur, qui cogere poſſet: Non cogit, ut nobiliùs agas; Non cogit, ut tua ſit virtus, quod eſſet neceſſitas. Abſtinere inſuper neceſſe eſt à ſacris piſcibus, eáque ſibi non arrogare, quæ Dei ſunt. Arrogas tu, qui omnibus vis dominari, nulli parêre; Qui aliorum corda ſcrutari tentas, nec tuum probè vides; Qui cuncta ſcire jactas, téque ipſum neſcis; Qui ſemper te victurum putas, & ſemper moréris. Arrogas, dum animam, pro qua Dijs dabantur piſces, quæ veriùs Dei eſt, cujus à Deo habes uſum, cujus proprietas ipſi Deo ſervanda, perturbationibus dividis, voluptatibus proſtituis, vitio mancipas; Dum elementis, dum te ipſo, dum his omnibus, inter quæ nihil eſt, quod à Deo, & Dei non ſit, contra Deum uteris: Arrogas denique, dum ſtat tibi, non dicam pro ratione, ſed pro divinitate voluntas. Infelix numen, quod ſemper extra ſe trahitur, ſemper mobile,

Fict.l. 31

bile, ſemper indigens. Piſces igitur ne tangas. Ab ijs, quæ à Deo diſſident, quæ Dei ſunt, abſtine. Clariùs loquar: Cura, ut ſis homo Deo ſimilis; Verùm te hominem, non Deum eſſe, cogita.

INNOCENTIA. Injuſtum eſt lædere piſcem animal nobis innocuum: *Plutar. Symp. 8. qu. 8. & Pier. l. 31.* Quo innocens homo ſignificatur. *Rheucl. de art. cab. l. 2.*

Qui piſcis è mare unquam ad hominis perniciem egreſſus eſt? Mare quidem ganeæ ſtudio ingreſſi homines, ut piſces perimerent. Belluæ marinæ in terram exeunt, fruticúmque ſaturatæ radicibus remeant: Piſcatores nunquam ſaturi (Plin. l. 9. c. 4.) tot vivarijs, everriculis, & arundineis labyrinthis circunſepiunt aquas, tot hamis, tridentibus, ac medicatis eſcarum blanditijs piſcium ſtragem fortunæ committunt. Exocœtus in Arcadia, velut ſuæ conſcius innocentiæ, crebrò extra mare, (L. 9. c. 19.) ac tutè dormitat: Hamiotæ, retiarij, & conchytæ in mare ad innocentium necem noctù, diúque vigilant. Lepus quidem in Indico peſtilens, (C. 48.) in Armeniæ fonte, ac in Lydiæ ſtagno venenati piſces; Danubij, ac Tibiſci glanides truculenti aliquando reperti, qui hominum capita, manúſque annulis ornatas geſtabant in ventre: Sed homo ille eſt, qui eos in ipſo illorum elemento (Ionſto. Thaum. ex Geſner.) quærit, ac provocat: Sacrificum non peremiſſet perca, niſi ab avido natantis ore prehenſa, in (Gib. Cognat. l. 2.)

ejus

eius gulam illapſa illud ſtomachum ſibi tam noxium petijſſet. Nec torporem cuique torpedo, Athen. l. 7. c. 31. nec urtica pruritum facit, ſed illis tantùm, qui eis parant inſidias: In nobis polypus tunc libidinem excitat, quum ipſi câro pretio libidinem in polypo comparamus: Ità non piſces homini, ſed piſcibus homo ſibi nocet. Verùm nos rectiùs Anaximandro, qui homines à piſcibus natos putavit, Plut. ſymp. 8. qu. 8. à piſcibus ad homines tranſeamus. In homine ſolùm nocere injuſtitia eſt; Nocere autem innocenti, eſt injuſtitiæ ſuperare fines, & ad feritatem progredi. Belluarum ſit, lædere abſque diſcrimine, hominis, prodeſſe. Qui alium offendit, hominem exuit, qui innocentem belluam induit. Decipior. Feræ innocentiam exercent, quanvis non agnoſcant: Manſuetudinem aliquando, etſi nunquam rationem, diſcunt: Nos igitur hâc præditi, eámque docentes, ne utrâque carere videamur, innoxijs noxam inferendo. Nimiùm à ratione, ac manſuetudine diſtat, nos eâ in hanc ſævire. Quid ſceleſtius, quàm innocuum lædere, ſi nec lædere nocentem, licet?

TEMPERANTIA. Nam piſcatio intemperantiam, gulæ incontinentiam, ſumptuoſámque curioſitatem ſecum trahit. *Plut. ſymp. 8. qu. 8.*

Quaſi domeſticâ ciborum varietate jam ſaturis nec terra, nec aer ſuffecere lurconibus. Ab aere ac terrâ ut aliena quæreret, ac peregrina,

ma-

maris penetravit gulæ aviditas. Piſces invênit, quibus propriam opſonij gloriam olera, feræ, ac aves ceſſerunt. Horum ſuavitas pretium auxit, pretium ſuavitatem, utrunque intemperantiam; Ità ut non defuerint, qui aquâ roſaceâ piſcinas implerent, qui piſces humano ſaginarent ſanguine. Orbis ſtupor Cato, in Vrbis luxum invehens, obſtupuit, plus emi piſcem, quàm taurum. Sic eò pervênit cetariorum aviditas, ut non piſcem, tantùm ſed emptoris guſtum venderent; Eò ementium ſtultitia, ut ea inſipida judicantes, quæ gratuita, *cariore mensâ*, voluptatem diſpendio metirentur; Eò denique hominum mores, ut in parvâ piſciculi quantitate bovis experti molem, temperantiam illam perimerent, quæ magna reijcit parvi contenta. A piſcibus igitur abſtine, idem ſit, ac ſublimius temperantiæ faſtigium tenê. Quidquid vult, impiè latret Eraſmus, noſtróque jejunio delicatæ piſcium lances permittantur. Inter lapſanas, & cepas temperantiam exercere, puſillá eſt laus; Eduliorum dignitas difficiliorem, ideóque digniorem efficit virtutem. Nos interim ſic à piſcibus abſtineamus, ut maris opſonia ſint, non ad inſatiabilem ventris luxuriem, ſed ad pœnitentis abſtinentiæ *ſolatium*; Non ad ſplendidi crapulæ delirij oſtentationem, ſed ad ipſius temperantiæ meriti augumentum.

Lamprid. in Heliog. Svet. in Aug. Plut. ſymp. 4. qu. 4. Horat. l. 2. ſat. 4. Pier. hier. log. l. 33. Greg. ep. ad Aug. Brit.

IGNOBILITAS. Ob piſcium ignobilitatem. *Gyral. de Symb. Pyth.*

Pyth. Qui primò creati animâ tardiſſimâ, & ignobiliſſimâ, corporiſque ſubſtantiæ magis, quàm animi participes. *Ex Philon. de op. mund.*

Hinc ſapientis eſſe, diſcamus, ab illâ nobilitate abſtinere, quæ ad inſtar piſcium nititur antiquitate. Hæc non dat gradum, ſed æqualitatem, quâ cuncti ab vno ſumus principio. Nobilitas in fumoſis imaginibus fumoſa quidem, non clara; Non vera, ſed picta. Opus quodcunque naturæ ab imperfecto ad perfectum tendit; Hoc eſt ab ignobili ad nobile: Ab herbâ ſic flos, fructus à fronde, ab acerbitate maturitas: In ijs antiquius, ignobilius eſt. Homo cur cæteris animalibus nobilior, ſi poſt animalia cætera creatus? Ob animam ſolam. Si ob ſolam animam cunctis animalibus nobilior eſt, ad quid aliud recurrendum, niſi ad animam ipſam, ut nobiliorem inter homines agnoſcamus? Animas avorum intueri, eſt de illorum claritate agere, non de noſtrâ. Vas à vaſe non diſtinguitur ob figuli formam, ſed ob ſuam; Sic homo *figuli manuum opus*, ab homine. Vile nobilitatis pretium, ſi gratis, ac prius datur, quàm accipiens, vel mereri, vel accipere poſſit. Quî mea propriè laus erit illa, quæ à progenitoribus, non mihi, ſed ex ijs cuique lucem adituro præparata? De opere noſtro gloriari debemus, non de alieno; Ac ſaltem de illis, quæ judicio data, non quæ caſu, nobis jam extantibus, non cuique futuro.

Thren. 4. 2.

turo. A piſcium igitur nobilitate abſtinendum, quæ ab annis; Ea tantùm ſpectanda, quæ ab animo, quæ à nobis.

Meæ Coniect.

DE OBMVTESCENTI NEQVITIA: MOMENTANEA VIRTVTE: AMORE, AC OD O NEQVAM: INFERIORVM OPPRESSIONE.

NEQVITIA OBMVTESCENS. Piſcis Horo ſcelus, Iomethi dæmon: Hinc vide tu homo Deo ſimilis, à quo, & ad quid te nequitia deduxerit: Vide, quî dum improbæ cedis voluptati, velut in Derceto, in te ipſo L. 1 hier 44 & ap. Plut. l. 31. Diod Sic. l. 3. c. 2.

[illegible] turpiter atrum

Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè. Horat. ſ. art.

Aſt ubi amplius formoſa in te divinitatis imago, ſi nihil jam tui apparet, præterquam piſcis, & dæmon? Iam pulchritudo in deformitatem verſa eſt. Hæc vitij ſuper virtutem proprietas: Vnica virtus bonum virum te facere nequit, unico vitio malus es; Hoc totum hominem in ſui fœditatem mutat; Eóque ipſo, quo Deo jam fuerat ſimilis, majorem illi turpitudinis, ac miſeriæ cauſam præbet. A nequitiâ igitur abſtineamus; Eò magìs cum ad inſtar piſcis taceat. Duplex in homine improbo taciturnitatis damnum; Aliud errorem antecedit, ſubſequitur alterum: Antecedente ſilentio vir ma-

lus majus ſuæ malitiæ meditatur augumentum; Sícque majorem efficit. Sæpé ante ſcelus quid quid exivit ab ore, pars ſceleris fuit; Defuítque operi, quod in verbis evanuit. Silentium ſubſequens culpæ renuit expiationem, ſcelus firmat, illúdque ſic tegit, ut gallinæ inſtar ſuper ova cubantis, vitium in novos fœtus erumpere faciat.

MOMENTANEA VIRTVS. A piſce abſtine, qui *nequam, niſi recens*: Hoc eſt cave, ne in te virtus momentanea ſit, vitióque ſtatim corrumparis. Difficile, virum bonum manere, ajebat Pittacus, difficile bonum fieri, Simonides. Verùm ad qvid juvat fieri, niſi maneat? Immo quid, niſi maneat, bonum? Virtus momentanea virtus non eſt; Actus potius dici poteſt, quàm ſit habitus; A caſu magìs elici videtur, quam à voluntate. Peripatetico *immutabilis, ac ſtabilis* debet eſſe: Ideo ſola ex virtutibus coronatur perſeverantia; Ipsâ enim ſolâ viget virtus, deficiente illâ, hæc perit. Bonum, quod deſinit, non eſt, fuit: Si tamen fuit; Quod enim brevi durat tempore, veriùs fluit, ac fugit, quam ſit; Eóque ſolùm eſt, quo tendit ad non eſſe. Mihi parcat Philoſophus: Diuturna quidem albedo æquè alba eſt, ac diuturna, æqua enim utriuſque ad albedinem ratio; Non ità de longævo, ac brevi bono aſſerendum; Horum enim ad bonitatem ratio diverſa: Longævum puriùs, ac veriùs bo-

Eraſ. chil. 4. cen. 1. ad 74.

Ap. Plat. in Prot.

Eth. l. 2. c. 4.

D. Bernar. in Matt. c. 10

Eth. l. 1. c. 6.

num

num eſt, boníque ideam propius attingit, quàm breve. Hoc ſyncerè, ac propriè bonum dici, nequit, cui aliquid mali permiſcetur: Permiſcetur autem, nam bonum ceſſare, hoc eſt non eſſe amplius, ac deſtrui, etiam ipſi bono malum eſt. Abſtine igitur à piſce. Tua uſque dum vivis, incorrupta perduret virtus, nec boni corruptio, quàm ſit peſſima, experiaris in vitio. Erravit Simonides, dum ut Pittaci ſententiam refelleret, *impoſsibilem* dixit, ac *Deo tantum propriam* in bono perſeverantiam. Vbi agitur de virtute, quid mirum, ſi ad eam etiam divinum aliquid referatur? At hominis eſt, perſeverantem eſſe, Dei ſempiternum. Falſa conſtantiæ arguitur impoſſibilitas ex eo, quod *ſapiens, quoties eum caſus inopinatus circumvenit, malus efficitur*. Inopinatum nihil ſapienti, qui ad omnia paratus, omnibus imperat, etiam ſyderibus: Nihil ei vim facit, qui cæteros inter homines maximè liber. Profectò virtutem non perfectè poſſidet, qui eâ caret, quâ perſeveret in virtute; Immo jam nullam habet virtutem, omne habet vitium, qui vitio cedit.

Ap Plato in Prot.

Ibi.

AMOR, ET ODIVM NEQVAM. Marinis piſcibus odium, & ſcelus notarunt Ægyptij, ſydereis amorem impurum natis prænuntiarunt aſtronomi. A piſcibus igitur, hoc eſt ab amore, ac odio nequam abſtinendum. Amare, ac odiſſe

Hor. l. 1. hier 44 & Plut de Iſid & Oſir Manil. l. 4 c 3. & alios.

De Rep. l. 1. odiſſe decet, ajebat Plato: Per ſe amor, & odium bona ſunt; Mala nos facimus, nam malè vel odimus, vel amamus. Hìc antypathiam, & ſympathiam prætereo: Liberos conſidero motus, qui eò tendunt, quò illos dirigimus. Improbitatem odiſſe, juſtitiæ argumentum eſt, probitatem, ſtultitiæ; Virtutem amare, principium virtutis, vitium, vitij. Ex eo ſemper, quod nobis diſplicet, oritur odium, ex eo, quod placet amor; Cavendum, ne diſpliceant placenda, ne diſplicenda placeant: Affectum vel legitimum, vel ſpurium gignere noſtrum eſt. Amat ille, hic odit: Sua quiſque inſpiciat, quiſque obeat; Ille bonum ſequatur, hic malum fugiat, juſtus erit uterque, ac laudabilis. Verùm ne malum pro bono, bonum pro malo ſumat: Videat, non quid videatur, ſed quid ſit; Non à voluptate, aut dolore conſilium capiat, ſed à ratione: Immo bonum, etiam ſi cum dolore, ſequatur, etiamſi cum voluptate, malum, fugiat. Qui ſecus agit, odij, ac amoris abortum exhibet, ac diſtorquet uſum; Quodque optimum eſſe poterat, peſſimum facit.

In Hexam. hom. 7. INFERIORVM OPPRESSIO. Baſilio *vitia piſcium* eſt, inferioribus vim facere; Majores enim piſces minores liguriunt. Vitium hoc utinam in ſolo mari degeret: Mundus hìc totus eſt Orig. ſup. Matt. hom. 4. Abach. c. 1, n. 5. mare, in quo *juſtiorem ſe conculcat impius*: Vnde illud *homines quaſi piſces maris*. A divitibus vo-

ran-

rantur pauperes, à potentibus imbelles: At quæ potentia, imbecillioribus vim facere? Quæ divitiæ, indigere pauperibus? Potentiorem eſſe, ac ditiorem, ſortis inæqualitas eſt, non dignitatis, ac meriti; Eſt fortunæ cæcitatis effectus non æquè diſpertientis. Potentiorem, ac ditiorem te fecit pars illa, quæ, ſi res diſtribuiſſet Aſtrea, illi obtigiſſet, quem impotentem, ac pauperem vocas. Excelſior es? Non ideo magìs homo: Cave, ne ſis eo minor, quo, ſi eum voras, eges. Hæc majoris, & minoris differentia non gradu, ſed virtute conſtituenda. Semper aſcendit virtus, gradus æquè ad aſcenſum, & deſcenſum paratur. Si ad tui menſuram eſt ille minor, tu es ad alterius: Immo quid prohibet quin & te ipſo, & illo tu minor evadas? Vim eandem, quam alteri tu infers, te ab altero pati poſſe, cogita. Virtute majorem te redde, nec eum velut minorem ridebis, à quo ipſe majoris habes gloriam. Illum potius auge, ut te augeas: Inferiorem ſuum qui extollit, ſublimiorem ſe facit; Qui deſtruit, ſuperior illi eſſe jam deſinit.

PRI-

Digitized by Google

PRIMO TRIOBOLVM COLE.

Symb. XXXVII.

Var. Lect.

Honora in primis figuram, ac pretium denariorum trium: Gyrald. *Figuram, & aram:* Ficin. *Honorato cum habitum, tum & tribunal, habitum inquam, & triobolum.* Iambl. Arcer.

Int. Var.

DE PRETIOSIS: ITALICA PHILOSOPHIA: STATVIS, AC IMAGINIBVS: DEO.

PRETIOSA. Spernenda quæ majore in pretio à pleriſque habentur. *Iambl: protr. c 21.*

TRiobolum, hoc eſt, quod parvi omnes pendunt, ſæpe colendum magìs, quàm id, quod pluris æſtimant plures. Voluptatem ſequitur populus, ac rerum æſtimationem facit voluptas. Pauci ad æquitatis cultum remanent, pauci ejus æquè dignitatem ponderant. Majore pretio comparantur vitia, quàm virtutes: Carìus emitur crapula, quàm frugalitas, homicidium, ac libido, quàm temperantia. Vnico Epicteti libellus triobolo venditur, ſexcentum ſeſtertijs avicula, ſeptem millibus nummum piſcis. At rerum pretium à pretio non arguendum. Præſtantius eſt, ajebat

Macrob. ſat l. 3. c. 16 Plin. l. 10 c. 51.

ajebat ille, hominem ipſum magni eſſe pretij, quàm ea, quæ extra hominem ſunt. Verùm quid pro homine impendimus? Æraria profundimus in ædificijs, quæ ex lúto, ex cœno ſunt; In edulijs, quæ vel cadaverum fragmenta, vel ſterquilinij fœtus; In veſtibus, quæ à nentium ſputo, à pecudum lanis, à vermium inteſtinis. Hæc ſumptuoſa quidem, ſed vilia, ſed ſpernenda. Quid ergo *trium denariorum figura* maximè veneranda? Nil aliud puto, id eſſe, niſi hominis animam, quæ trinæ divinitatis imago. Hæc quidem toto Midæ auro non æquata, omni major pretio; Sed gratis nobis data, ob quam rari, qui obolum impendant. Hæc verè colenda. Gen. c. 1. n. 26.

ITALICA PHILOSOPHIA. Sapientia, quæ incorporea ſpectat, ampleſtenda; Non ea, quæ primò corporea contemplatur. *Iambl. ibi.*

Hîc ut aliqua ſaltem umbra ex tot tenebris eliciatur, pro *habitu* ſcientificum ſumo, vel *figuram* lego; Et ad eum pugilem recurro, quem arithmeticam, & geometriam docuit Pythagoras. Ille non ſatis habens, quo ſe aleret, jam ſtudium deſtituere cogebatur. Prô fortunæ, ac divitum iniquitas! Eum ideo magiſter, pro vnaquaque diſciplinæ *figurâ*, *triobolo* ſæpius donavit. O magnanimam, & raram præceptoris ideam! Triobolum igitur Ionicam referat philoſophiam, quæ authore Thalete, primò corporea contemplatur; *Figu-* Iambl. de Pyth. c. 5.

ra, vel *habitus* Italicam, quæ à Pythagorâ, incorporea intuetur: Hæc primis honoribus decoranda, illa ſecundis. Accipe *triobolum* ad neceſſitatem, quæ paucis contenta; *Figuram* delinea, ſeu *habitum* ſcientificum indue ad contemplationem, quæ omnium capax: Illo utere, hanc ſpecta. Corpus ad vitam nutriat nummus: Sapientia ſatis ex ſe ipsâ nutritur ad immortalitatem: Sit ille non mercedis loco, ſed viatici; Ad hanc perge, quæ incorporea corporeis non perficit. Nullam virtus æqualem ſui, præter ſe ipſam, invénit mercedem.

STATVÆ, AC IMAGINES. Hæ, quas colamus, non magno pretio comparandæ. *Gyrald. de Symb. Pyth.*

Hoc illi audiant, quos

Iuvenal. ſat. 8. *magis illa juvant, quæ pluris emuntur*:

Simulachri dignitas ab exemplari eſt, non à materiâ, non à pretio. Sit Cæſaris effigies in auro, ſit in argillâ; Præſtantior non erit, quæ pretioſior, ſed quæ ſimilior. Vbi dari nequit ſimilitudo, nec imaginem facit argilla, nec aurum. Picturæ inſerviunt, ac ſtatuæ ad memoriam, vel ad cultum eorum, quæ nec picturæ, nec ſtatuæ ſunt; Mens ab ijs tranſire ad exemplaria debet: Niſi tranſeat, ubi cultus, & memoria? Sumptuoſæ difficilius talem tranſitum exhibent. Statim allicientes oculos ars, & materia totum hominem ad ſe rapiunt: Memoriam, & cultum rarò excitant,

cre-

crebrò impediunt: Eóque tempore ſaltem, quo impediunt, exemplar neque recordamur, neque colimus. Nimis fragilis humanitas, homo nimis impius. Ex auro, gemmíſque Servatorem in cruce ſumptu inæſtimabili compactum ſcio, qui, Iſcariotis pluries renovato ſcelere, mercaturæ potius, quàm devotioni occaſionem præbuit. Profectò ſi de ſuperis agitur, nihil mare, ac terra dignum habet, quod cum eis compararetur; Cuncta illorum collatione triobolaria ſunt: Nec metalla, nec gemmæ dignitati reſpondent: In illis rectè pretioſiora impenduntur, ſed non æquè. Rectè dixi, non enim ſumptuoſas Divorum imagines damno: Laudo humiles; In quibus operis pretium propoſitam ſpeciem potius imitari, quàm æmulari videatur; E quibus facilius ab inferioribus ad ſuperiora extollatur animus.

Hic nimios pictarum tabularum ſumptus paulisper conſiderare liceat. Nonnulli vetuſtam penicilli famam etiam in annoſis, ac prope obliteratis ævi reliquijs carè emunt. Sic ſæpe, ut inani diſpendio atrium impleant, univerſam evacuant domum; Et filiorum nuditate, barbarè magìs neſcio, an ſtultè, parietes veſtiunt. Ad quid tot picturæ? Vel librarium, vel ſtudentem virum deceat, ingentem parare bibliothecam; Miles arma, cytharas muſicus, picturas congerat pictor. Hanc ſplendidam colorum copiam, ſi ad

uſum commendo, ſi ad ſolum viſum, ſtultitiam voco. Quis homine ignaro, quis timido, & à muſicis alieno, librorum, armorum, ac tibiarum numerum jactante, non renovaret Heraclitum? Idem prorſus mihi eſt, qui tanto pretio, talíque numero non pictor picturas accumulat. In ijs ad quid æraria profundere? Hîc viros, dicis, ac mulieres poſſideo, canes equos, navigia, civitates, maria. Falleris. Ea, quibus intuitu ſôlo frueris, non poſſides, vides. Varijs diſtracta locis, in unum, inquis, coegi. Sed quo pretio? Eo ſanè, quo ad ea & alia quamplurima, non ficta, ſed vera, videnda te conferre potuiſſes. Plurium, ſubdis, ætatum miracula in mei obſequium collegi: Sed inter tot miracula unum hoc non habes, quo, dum mendaci mendaciorum anachroniſmo tot dies in unum congregaſti, nunc tu diem unum teneas. Dulce diſpendium, ais; Omnes principum effigies hîc recolo; Hæc Titiani manus, illa eſt Apellis. Prô amens! Ità populares facis reges, quódque fuit ſingulare, numero extenuas. Cave, ne ſupellectile vilior ſit herus. At majoris principis, melioríſque manûs imaginem gratis, & verè non vides, poſſides; Ac negligis? Deſere atrium, ac te ingredere. In te ipſo Dei ſimulachrum habes à Deo. Quid ſinè pretio pretioſius?

10. DEVS. Arâ, triumque denariorum pretio, cultus, ac my-

ſterium

ſterium præcipi videtur, quod in Sanctiſſima Trinitate conſiſtit. *Gyrald. de Symb. Pyth. cum Calcagn.*

Suo ternario Divinitatem à longè Pythagoras vidit, ac in primis colendam voluit. Quid à nobis agendum, qui fide proximiùs eam intuemur? Deus, quo nihil prius, primo cultu venerandus, unicus unico, trinus perfectiſſimo. Nos quid ante omnia honoramus? Genium. O divinitas ad malum magìs, quàm ad bonum parata. Quot præter Deum colimus? Ex genio tot Deos nobis facimus, quot ſunt affectus. O numina, quæ ſemper egent, quæ ſemper cruciant. Quàm perfectè Deum veneramur? Vel ob legem, aut conſuetudinem religioni litamus, vel ipſis noſtris affectibus adorationem miſcemus; O coacta, immo corrupta ſinè veneratione veneratio. Ad noſtras perturbationes prima diriguntur vota; Eas unicè inſpicimus; Ad noſtrarum voluptatum miniſteria ſacrilegi Deum imprecamur. Hic primus, hic unicus, hic perfectus à nobis cultus. Primò Deum colo, ait ille, ſigno enim Triadis venerabili dies cunctas incipio. Rectè. Sed indè totas dies iniquitate conſumis: Primò Numen venerari parum juvat, ſi non unicè; Si Martem ſecundò, Venerem, Mercurium adoras. Vnicè Deum fateor ſubdis, numina gentilium non credo. Quid prodeſt, non credere, ſed imitari? Deus nedum primò, ac unicè colendus, verùm & perfectè: Hoc

Gyral. in hoc Symb. Ficin. in conv. or. 2. c. 1. Ariſt. de Cæl. l. 1. tex. 2. Iãb. de Pyth. c. 28. prom. c. 4.

eſt

D. Bernard in Gen. c. 4 eſt non ſolâ fide, ſed operibus. Vide quid agis, ac indè quid credas, & quî colas, noſce.

Meæ Coniect.

DE IVSTITIA.

IVSTITIA. Habitum, aram, tribunal, ac triobolum honorare, nihil aliud mihi videtur, niſì verè juſtitiam colere. *Habitus* eſt juſtitia: Huic non defuerunt *aræ*. Illius templum *tribunal* dictum fuiſſe, narrat Plutarchus; *Triobolum* ipſis judicibus, referente Polluce, loco mercedis dabatur. Prô temporum, ac morum in deterius mutatio! Iuſtitia non amplius in animo ſuum tenet habitum, ſed in togâ: Templum, & aram Themis poſſidet, ſed ut precibus, & ſacrifitijs flectatur: Non triobolis hodierna judiciorum ſaturatur aviditas; Crebrò totam rem controverſam vorant, aliquando & perſonas: Hinc ille, *ubique venale judicium eſt*. Habitum ergo tribunal, aram, & triobolum ſpectemus. Nobis non actus tantum ſit juſtitia, ſed *habitus*; Iuſtè agere alıud eſt, ac juſtum eſſe: Appareat virtus in opere, ſed in animo vigeat; In hoc, more judicum, velut in ſuo *tribunali* ſedeat; Sí que Peripatetico ſtabilis, Vlpiano conſtans, & perpetua. Erit dummodò ante oculos *aram* teneat; Non hominem, ſed Deum inſpicere debet; Nequit non eſſe verè juſtus,

Gyral. ſy. 15 de Them. De præc. ger. reip. L. 8. c. 4. n. 2. S. Iſid. in ſoli. l. 1. c. 1. Ariſt. eth. l. 2. c. 4. Ibi. Vlpian. in l. juſt.

ſtus, qui Deum ſe habere actionis, & animi ſpectatorem, ac judicem intelligit. Erit demum, ſi à *trioboli* exilitate duo diſcat; Vnum ſit, æquitatem in exiguis etiam ſervandam; Leviſſimo, ac prope inſenſibili pondere libræ lances perturbantur. Aut. obj. la. c. 4. Aliud, ob premij magnitudinem non agendum; Iuſtus non eſt, qui propter aliud eſt, quàm propter juſtitiam.

NIHIL DE DIVINIS ADMIRABILE NON CREDENDVM.

Symb. XXXVIII.

Var. Lect.

De Dijs, rebúſque Divinis nihil tam admirabile dicitur, quod no debeas credere: Ficin. *De Dijs, aut Divinis oraculis nihil eorum quæ ſunt admirabilia, fidem derogato.* Iambl: Arcer.

Int. Vnic.

DE DISCIPLINIS, QVOAD DIVINA:

DISCIPLINÆ QVOAD DIVINA: Diſciplinæ illæ comparandæ, quibus ab ijs, quæ de Dijs, ac Divinis, non deficiamus: *Iambl. protr. c. 21. Symb. 4.* Nullóque modo de Dijs & Divinis diſciplinæ, ac ſcientificæ demonſtrationes haben dæ. *Iambl. ibi poſt Symb. 25.*

De Symb Oyth. NIhil de hoc, & ſequenti, velut præceptis non ſymbolis, ait Gyraldus: Vtrunque tamen inter ſymbola recenſet Ficinus, Iamblicu interpretatur: Hic in præſenti quaſi verbalem aggreſſus explanationem pluribus recedit à ſymbolo: Cætera inter ſe ità videntur pugnare, u in aliquo mendoſum Chalcidenſis textum ſuſpicer, Quî enim diſciplinæ comparandæ, quibus Deum, & Divina credamus, cum diſciplinæ, ac

ſcien-

ſcientificæ demonſtrationes de ijs haberi nequeant?

Duo hinc nos interim diſcamus: Alterum ſit, longè à nobis abducenda, quæ nos à religione poſſunt abducere; Alterum, ubi de Divinis agitur, fidei ſolæ acquieſcendum. Primò igitur à perverſis diſciplinis, ac impijs ſcriptis abſtinendum, quæ prius intellectum, indè voluntatem inficiunt. Ideo publicè combuſti Numæ, ac Protagoræ libri, ne à Deorum cultu homines avocarent. Maximam vim habent paginæ, quæ multis vigilijs paratæ unico intuitu animum penetrant. Aliquando quæ leguntur, non lædunt, vel quia mens rarò alienis hæreat opinionibus, vel quia ictus à veræ fidei clypeo retundatur: Quid verò, ſi ejus albedinem inopinum invadat telum? Religio in tuto ponenda eſt. Morſus, & mortem petit, qui viam tenet, in qua lilia æquè, ac cicutæ florent, ſúbque roſis latent viperæ. At nedum ſcripta, ſed acta improba vitanda, quæ citò in ſimiles habitus, & mores transferuntur: Vbi autem pravi habitus, ac mores naturam fecerunt, ibi vel nulla fides, vel perfidiâ pejor. Impium eſt, non credere, ſed pejus credere, ac impium eſſe. In Divinis poſtea ſola fides adeunda. In his ratiocinandi facultas fruſtrà ſibi fidei munus arrogat; Cavendum à naturâ ipſâ, quæ terminatis menſuris nos decipit; A nobis ipſis,

Liv. l. 10. dec. 4. Rhod. l. 28. c. 1.

qui ſtulti noſtrorum collatione divina æſtimamus. Nihil de Dijs, aut Divinis nominibus cognoſcere nos poſſumus, ajebat Plato. Per cauſas, & principia res ſcimus; Dei autem, qui ab æterno, & à quo cuncta, quæ principia, quæ cauſæ? Hoc unum ſcire poſſumus, Deum eſſe: Hujus veritati non deſunt demonſtrationes, & argumenta; Nullus verè ſapiens id negavit: Cætera fidei committenda. Iam ſolem eſſe nullus non credit; Oculos verò dum in illius fulgentem rotam intendimus, non exercemus viſum, cæcitatem quærimus. Vt ſolem intueamur perſtringendæ ſunt palpebræ; Immo cæcitate videndum, ne viſione cæcutiamus, juxta illud *qui non vident, videant, qui vident cæci fiant*. Quæ viſui non ſubijciuntur, piâ cæcitate, non temerario intuitum petenda. Melius eſt, religiosè ignorare, quæ credenda, quàm curiosè ſcrutari, quæ ignoranda. Vbi de ijs, quæ ſupra ſenſum, ad diſciplinas non recurrendum, quæ primordia ſumunt à ſenſu; Ad quod facit oraculum, *noli me tangere*. *Manus*, ajebat ille, quæ dialecticas probationes oſtendit, *quid explorare conatur, quod ſupra ipſam eſt?* Qui ſcientiâ Deum comprehendere tentat, Lucifero inſanior, Divinæ immenſitati, non æqualem, ſed eâ latiorem, ac ampliorem ſe jactat.

In Cratylo.

Ioh. c. 9. n. 39.

Et ibi Gallic. d.

Ioh. c. 20. n. 17.

D. Bernar. ib. Pier. l. 35.

Mat. c. 14. n. 14.

Meæ Coniect.

DE FIDE DIVINIS.

FIDES. De Deo, ac Divinis cuncta crede, ait Pythagoras; Quaſi dicat, de cæteris, vide, quid credas. Cavendum eſt, ne intellectus falſum propriæ fidei ſtatuat obiectum. In Deo ſolo veritas, extra ipſum mendacia: Ideo *qui credit citò, levis corde eſt*. Eccle. 19. n. 4. Hîc nulla in eo, qui vel ſpondet, vel credit abſoluta fides, quæ conditionibus non implicetur, ac ideo non ſubijciatur mutationibus. Promiſſa futurum ſpectant; Quis, præter Deum, futuri dominus? Quis ideo noſtrûm abſolutè promittere poterit? Credens veritatem inſpicit; Quæ veritas, ubi de incertis agitur? Quis ergo re verâ credet? Quæ igitur extra religionem, ubi extra Deum certa fides? In humanis, nec ſenſibus fidendum, qui aſſiduè nos fallunt, ac deſtituunt; Nec juramentis, quorum patrocinio involutæ incedunt fallaciæ; Nec veritati, quæ dicitur aliquando, ut viam paret fraudi. Promiſiſti? Nîl aliud, niſi te promiſiſſe, credam. Promittere poteras cum Euripidis Hippolyto, qui *linguâ juravit, mentem injuratam gerens*. In Hippol. Promittere poteras, etiam ſervaturus; At omnia, quæ poſſunt promitti, ſervari nequeunt, ubi omnibus imperat caſus. Malè tuta fides, quam

Hhh 2 obſi-

obſident viciſſitudines, cui caſus imminent. Verè tantum Deus eſt, cætera non ſunt, fluunt. In illo igitur, & de illo ſit fides; In cæteris nequit eſſe, cum quibus, dum mutatur, eſſe deſinit.

DIVINA. Vbi de Divinis agitur, nedum crede, ſed obtempera: Vtrunque à Græcis ex eodem elicitur verbo. In hujus æquivoco ſymbolum ſtatuere liceat. Fides obedientiam pariat, firmet obedientia fidem. Alterum ſinè altero quid prodeſt? Principi autoritatem, ac fidem derogat, qui ſpernit leges, in quibus & fides & autoritas principis. Deum fateri, ac Divinis non parêre, fidei cadaver eſt: Immo quæ in illo fides, qui Numini quod debet, propriæ vendicat voluntati? Quid tandem divina jubent, quid prohibent? Ea profectò, quæ abſque Deo, nec juſſa, nec vetita, eſſent agenda, eſſent vitanda. Legem Divinam percurre, ac nîl aliud, niſi moralitatem, niſi tui bonum invenies. Nihil à te vult Deus, nisì ut ille homo ſis, quem te fecit. Regum placita ipſis etiam proſunt, nam vel fiſco, pedagijs, ac vectigalibus proprium augent ærarium, vel populi probitate propriam complent felicitatem. Lex Dei non Deo, cui nihil deeſt, ſed nobis proficit, qui cunctis indigemus. Vult noſtram navem à ſcopulis declinare, ac gubernaculo regi, ut auſtris etiam reflantibus portum adeat ſecura: Nos autem ſyrtes quærimus,

Steph. th. gr. l. ſ.

& nau-

& naufragia. Credamus igitur, & obtemperemus, fidémque acta probent. Maxima hominum virtus, ob fidem credere contra id, quod ſentiunt; Sed maxima hominum ſtultitia, ob ſenſum agere contra id, quod credunt.

Digitized by Google

A NIMIO RISV ABSTINE.

Symb. XXXIX.

Var. Lect.

Riſu effuſo abſtine : Ficin. *Cachinno* : Gyrald. *Incontinenti ne concutitor* : Iambl. Arcer. *Intolerabili* : Scutel. in Iambl. *Riſui aquè, ac ſtultitia non indulgendum*. Laert. Ambr.

Int. Var.

DE AFFECTIBVS: HVMANITATE: RATIONE.

AFFECTVS. Nam affectiones vel ſecundâ fortunâ, vel adversâ, vincendæ. *Iambl. protr: c. 21.* Ac temperandum mœrori, & voluptati. *Reuchl. de art. cab. l. 2.*

In conſol. ad vxor. CVr obſtupeſcis, ò Plutarche? Nam riſus nimius prohibetur, non ejulatus? In quo hæc diſtinguis? De riſu qui loquitur, jam loquitur & de lachrymis. Nullum in hac vitâ bonum abſque malo; Immo valde major mali menſura, quàm boni; Hoc enim ſemper malo mixtum, illud ſæpe ſinè bono; *Riſus dolore miſcebitur* ſemper; Non ità de dolore dicendum, qui dum *extrema gaudij luctus occupat*, vel ante riſum, vel poſt, ſinè riſu eſt. In cachinno igitur vehementes affectiones omnes habemus, quas, ut ajebat Plato, *vehemens mutatio ſequitur*. Hæ à ſapien-

Prov. c 14. n. 13. Ibi.

De Rep. l 8. de leg. 4. 5.

piente viro, velut præ cæteris Deo ſimili, prorſus vitandæ. Mutari nequit Deus, neque deterior enim fieri, neque melior, neque alius poteſt. *Ego dominus, & non mutor*. Scitè propterea, quidquid Proclus afferat, inextinguibilem Numinum riſum in Iliade, ob claudicantem Vulcanum, divinus accuſat Philoſophus: Ad ſenſum allegoricum illud non juvat detorqueri, quod per ſe à divinâ diſſidet majeſtate. Sic velut à Deo, vehemens affectionum mutatio à ſapiente abhorret; Contra enim hujus libertatem nulla vis, ejus prudentiæ nihil novum, nihil deſideranti nec propitia ſors, nec irata: Ideo nunquam vel turbato magìs, vel hilari vultu fuit Socrates. Cachinnatione, vel gemitu non mutatur ille, qui nunquam mœret, qui ſemper, ac eodem modo gaudet. *Riſus dentium*, hoc eſt nimis aperta mutatio, ſtulti eſt; *Sapiens*, qui ſemper lætus, *vix tacitè ridebit*.

Malach. c. 3 n. 6. In Plat. de rep. 3. l. 8. Plat. de juſt. l. 2. Plin. l. 19. c. 19 Eccli. c. 19. n. 21. C. 21. n. 25.

HVMANITAS. Nam humanitati, quæ ridendi potentiâ notatur, niſi obiter, non inſiſtendum, ſed imitatio Dei pro viribus comparanda. *Iambl.*

Ad quid rides? Vt hominem te oſtendas? Falleris. Quodammodo etiam rident canes, & prata. Metapontinus ille à Trophonij ſpecu reverſus non ideo humanitatem amiſit, quia deinceps ridere non potuit: Anaxagoras, & Craſſus viri fuerunt, nec unquam, riſere; Immo ut ſe magìs homi-

Athen. l 14 c. 2. Ael. var. hiſ. l. 8. c. 13 & Plin. l. 7. c. 19.

homines probarent, in Accademiâ nunquam ridebant ſapientes. At potentiam quidem habes ridendi, non cauſam: Id vel ignores, vel ſcias, tuus riſus aut ſtultus, aut Sardonius eſt. Humanitati nimiùm hæres, dum ridens hanc vitam corpoream, corruptibilem, momentaneam ſpectas, quam alij ſpectarunt lugentes. Linque, ſyncruſio riſu hanc tuam exercere humanitatem, qua eò minùs es homo, quò magìs potiorem, ac divinam tui partem negligis. Humanum, ac effuſum linque riſum, & pro viribus Dei quære imitationem, quâ digniùs homo ſis, & abſque riſu gaudeas. A corporeis, corruptibilibus, & momentaneis diſtat Deus. Tu quid agis? In ijs totus immergeris, quotidie corrumperis, quotidie moreris; Et rides? Deus verè juſtus, verè ſapiens; Tu quid es? Improbitas, & ſtultitia: Ille omnia, tu nihil; Et rides? O riſum riſu dignum! Vtinam tibi, velut Parmeniſco, ridendi potius facultas deeſſet, quàm occaſio. Vis, te hominem oſtendere? Te ipſum ab humanis ad Divina extolle. Homo nequis eſſe, niſi homo eſſe deſinas, ut per Dei ſimilitudinem veriùs homo ſis.

Ael. var. hiſt. l. 3. c. 35.

Eraſ. chil. 3. cen. 5. ad 1.

Iuven. ſat. 10. & ibi Barnab. Braſ. chil. 3. cen. 6. ad 99.

Iambl. protr. c. 14 & Plat. Theæt.

Iambl protr. c. 8. Athen. l. 6. c. 6.

RATIO. Nam in diſcrimine cum reliquis animalibus, ridendi facultati ratio anteferenda. *Iambl. ibi.*

Dic denuo, cur rides? Vt à cæteris animalibus differas? Abſtine. Si ridendo à brutis hominem dignoſci, putas, non ridendo ſapientem

ab

ab hominibus diſtingui putavit Phocio. Verùm infelix homo, ſi unico riſûs accidenti à belluâ diſtas, quo à te, ut ità dicam, veris tempore non diſtant plantæ. Quære id, quod te faciat non alterum, ſed aliud à feris. Amens, rationem poſſides, ac ut homo appareas, recurris ad riſum? Etiam rident canes, ac jumenta; Provocant, immo cogunt riſum titillatio, Sardonius ranunculus, Alazonij aranea, Turcarum heiramluc, præcordiorum vulnus. Homo non diſtinguitur à cæteris animalibus, quia ſic ridet, ſed quia ridere poteſt; Non riſu quocunque, ſed eo, qui ab obiecto: Non utpote riſus ex ſpirituum frequentia diaphragma impetentium, eſt motus ſplenis, & labiorum, ſed animi. Ille tantum riſus hominis propriè nuncupari poteſt, quo ridet homo, ut homo; Non ut digito in axillis provocatus, non ut ſauciatus, aut æger; Quo tandem ridet à ratione motus ob id, quod novum, ac jucundum: Talia ſunt amici adventus, lætum nuntium, turpitudo ſinè dolore, ac minimè noxia, quæ noſcens animus erumpit in riſum. Loquitur homo, loquitur & pſittacus; Ille tamen ſolus ratione ductus, hoc eſt, ut homo, fatur: Non ſermo igitur, ſed ratio per ſermonem diſtinguit hominem à brutis animalibus. Ille à ferâ propriè non diſcrepat ob riſum, qui hominis aliquando eſt, aliquando non hominis, quanvis in homine; Di-

Plutar. in apoph.

Dioſc. l. 6. c. 14.

Strab. l. 11. Vier. præf.

Dæm. l. 2. c. 35

Ariſ de par ani. l. 3. c. 11.

Mad de rid. dic. p. 3.

ſcrepat ob rationem, quæ riſum facit, ac ſemper hominis eſt.

Meæ Coniect.

DE IRRISIONE: SCVRRILITATE: GAVDIO ABSTRACTO.

IRRISIO. Riſum, quem Momi comitem vocavit Plutarchus, nec in alijs de te ipſo, nec in te ipſo de alijs excites. *Abominatio Domini eſt omnis illuſor*. Vel tu illudas quempiam, vel ſic te geras, ut illudaris, tu ſemper illuſionis cauſa, tu ſemper illuſor es. Facere quidem non potes, ne aliquis te derideat, ſed ne ſis deridendus, potes. Proprios ictus in promptu ſemper habet malignitas: Verùm tela jaciat, modò ea tu non ſuppedites. Invulnerabilis virtus eo fulcitur privilegio, quo ſagittas in emittentes retorquet. Sic age, ut bonorum plauſum merearis, ut riſus malorum ſit tibi plauſus: A probis laudari, ab improbis derideri maximum integritatis argumentum. Sed jam dixi etiam cave, ne tu alios derideas; Hoc ipſo te improbum faceres, ac ideo deridendum. Malorum miſereri debemus, bonos imitari: Ludibrio illos habere contra charitatem eſt, hos contra juſtitiam; Vtrunque aſininæ ignorantiæ ſignum: Ideo irridentem virum Diogenes, ad inſtar aſini, conſiderandum putauit; Cujus aures innocentes homo, ut irridendo noceat, manu ef-

Symp. 1. qu. 4.

Prov. c. 3. v. 34.

Ziet. l. 12.

effingit. Sic ſaltem manu auritâ, ſe pro contumelijs contumelias auditurum ediſceret; Iuxta illud, *qui ſpernis, & ipſe ſperneris.* Iſai. c. 33. n. 1.

SCVRRILITAS. Prô contempta virtutis dignitas, cujus nomine à potentibus decoratur ſcurrilitas! Cæca potentum inſania, quibus ſcurrilitas loco virtutis eſt! Miſera ſcurræ conditio, cujus fuiſſet honeſto labore, de ſe invidiam excitare, ac turpi riſum maluit! Sic ebrietatem ſtudemus, à convivijs arceſſere, ac eos accerſimus ad convivia, qui ſtultitiæ ſtudent: Sic viri proceres rationales mimorum pecudes nutriunt, laudant, ad arcana admittunt, præponunt ſapientibus, deridentes, ac nocentes ferunt, ab ipſis & adulari, & obtrectari lætantur: Sic ad inſtar Lyſimachi domus, quæ ſcena videbatur, divitum aulæ potentiam in fabulam vertunt, gravitatem in delirium: Sic relictis naturæ inſtitutis, quæ nos primâ die lachrymis erudivit, principes, quaſi aliunde nequeant, à ſcurris quotidianum ſibi emunt riſum. Hujus indignitatem novit Anacharſis, quum accitâ in convivium ſannionum turbâ, immutabilem, ac feriam ſervauit oris auſteritatem: Solùm poſtea riſit adducto pitheco, qui de ipſo ridere non poterat. O quot, velut Dionyſius à Chariſopho, de ludione dum rident, à ludione ridentur! Scurram qui verbis, ac riſu agit, ſcurratur ipſe ſibi, ut aſtans riſu, ac
Athen. l. 14. c. 3. Zod. l. c. Ibid.

ac rebus illi ſcurretur. De ſimiâ rideo, ajebat, ille, quam ridiculam natura genuit, non de homine, qui arte, ac ſtudio talem ſe gerit. Ars verè turpis, turpe ſtudium, quibus in homine contra hominis naturam ſic elaboratur dementia, ut majeſtas in riſum delabatur. Simius proprijs geſticulationibus riſum moveat; Homo tam pulchrum Dei opus, ac ſimulachrum admirationis obiectum ſit, non cachinni. Attamen tot ſunt, qui ad talem uſum inſervire hominem volunt, ac qui hominem in ſe ipſis ridiculum ſic faciunt. Mentior. Non faciunt, deſtruunt. Ridiculum, ait Philoſophus, id eſt, quod turpe quidem, ſed abſque noxâ; Innoxium nequit eſſe id, quo ſic hominis deturpatur decus, ut riſum excitet, principis, ut de homine rideat.

Poet. c. 5.

GAVDIVM ABSTRACTVM. Quod alij *effuſum*, vel *incontinentem* riſum legunt, cum Budæo *abſtractum* legere, liceat. Semper abſtractum quiddam, & abſque ſubiecto, eſt riſus effuſus, ubi vel falſa, vel nulla veri gaudij materia. Ideo Sapiens de vanitatibus loquens, *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Hinc ſtultus longè abeat, ſuâ

Steph. th. gr. 1.

Eccle. c. 2. n. 2.

facili cenſurâ cachinno,

Iuven. Sat. 10.

Democritus. Facili profectò, ſi Pythagoram non audiens eas proſequutus eſt hominum ineptias riſu, quæ magìs fletu erant proſequendæ. Si proprium

prium uſum plus irridentem, quàm ridentem oſtentaret, improbi potius, quàm imprudentis notam ſibi aſciſceret. Sapientis erat, gentium errata corrigere, non illudere. *Stultus illudet peccatum*. Dementer agebant? Dementius erat, dementes deridere: Non riſu, helleboro, ſeu ſatyrâ, non cachinno uti debebat. Redeo ad rem. Ea, ob quæ lætamur, læta rarò ſunt, cum circunſepta curis nova ſemper deſideria excitent, ac propterea ſemper indigeant: Filius prolem cupit, pater divitias, dives dignitatem, dignitas primatum, primatus voluptates, voluptas perpetuitatem. In ijs ergo lætitia, & riſus in abſtracto dici poſſunt, cùm parùm inter ſe diſcrepent, vel de nuntio falſo, vel de nihilo lætari: Vis gaudium in concreto? A ſolâ virtute habere potes, quæ ſecura, ſuique contenta riſum in labijs non effundit, retinet in animo. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam*; En effuſa in labijs cachinnatio: *Sapiens vix tacitè ridebit*; En retentus in animo riſus.

Prov. c. 14. n. 9.

Eccli. c. 21, n. 23.

NE

NE VNGVES INCIDITO IN SACRIFICIIS.

Symb. XL.

Var. Lect.

In ſacrificijs vngues ne præcidito: Iambl: Arc. *Ad ſacrificia:* id. *Iuxta ſacrificium ne incidas:* Ficin. *Ne inter ſacrificandum vnguem reſecemus.* Rhodig. *Penes ſacrificium ne ſis caſis vnguibus.* Iambl. Scutel.

Int. Var.

DE AMICITIA: IRA, ET CONTEMPLATIONE: PVRGATIONE.

AMICITIA. Domeſtici & affines, quanvis à longè, ac alio tempore neglecti, ad ſacrificia vocandi. *Iambl. Scutel: & Arcer. protr. c. 21. & Vulcan. in caſtig ibi.* Neque à ſacrorum participatione reijciendi. *Georg. Ven. to 5. ſec. 5. prob. 448.*

SIC ad remota fertur charitas, ut nedum amicis, verùm & hoſtibus prodeſſe juſtè *ambitioſa* velit. Sed quis remotus, quis hoſtis? *Nunquid non pater unus omnium noſtrum?* Homines cuncti ſibi ſunt invicem affines, ac ſibi eſſe debent invicem amici: Quilibet, quanvis aut cognitione, aut affinitate, aut regione diſtans, mihi proximus eſt, ac ideo à me diligendus: Non autem diligo, dum ad ſacrificij bonum, ad quod ipſe tendo, eum non adduco; Illum potius odio proſequor,

Bernard. in ſapien. c. 8.

Malach. c 2. n. 10.

D Paul. ad Rom. c. 13. n 8.

D. Aug. mor. l. 1.

ſequor, dum à ſacris arceo. Sic ara, quæ alijs vitandæ hoſtilitatis locus fuit, eſt mihi exercendæ. Athenienſis orator malè uſque ad aram tantummodo ſuum voluit amicum: Pro illo quidem falſum non erat dejerandum; Sed nec ideo erat ille arcendus ab arâ; Immo ad aram erat vocandus: Nedum propriæ famæ, ſed proximi etiam conſulendum erat utilitati; Non in eo, quod petebat, ſed quo indigebat. Si adiuvare illum in improbis non potuit, nam ſic hoſtis, non amicus fuiſſet, verè amicus ad aram poterat, eum Numinis favore ab improbis revocando: Sic Pericles amicitiæ leges haud novit, quæ ſemper in virtute ſita. Quiſque ad aram nobiſcum adducendus, vel quia cum virtute amicus ſit, vel ut cum virtute amicus fiat.

Alex. ab. Alex l. 3. c. 20.

Plutar. apoph. & Gell. l. 1. c. 3.

Ariſt. eth. l. 8. c. 1.

IRA, ET CONTEMPLATIO. Poſtquam per moralem philoſophiam iræ prominentias, & animi aculeos, velut unguium præſegmina excuſſerimus, mente ſedatâ contemplatio aggredienda. *Rhodig. l. 16. c. 7.*

Hinc percipiamus, à moralitate viam ſpeculationi parandam, ne inter curarum ſaxa, tribulóſque retardetur, & claudicet. Animum perturbationum laqueis detentum Platonicæ quid iuvant alæ? Irâ cæcutiens, aut cupiditatis aculeis infixus, liber nequit ad rerum intuitum ferri. Antequàm ſcientiam de bonis moribus aggrediamur, nos bonis moribus inſtitutos voluit Ariſtotiles: Quid mi-

De pulch. & Rhod l. 7. c. 15.

D. Thom. 2. 2. q. 101. a. 1

Eth. l. 1. c. 4.

Ep. 89. mirum? *Ad virtutem venitur per ipſam*, ajebat Seneca: Quantò magìs ante ſapientiam eorum, quæ ſunt, per moralem diſciplinam nos ipſos componere debemus, ne affectionum tumultus, & diſtractio, contemplationis conſpirationem impediat? Nihil aliud ethica eſt, niſi animorum medicina; Huic ergo prius incumbendum, ne ad grave ſpeculationis pondus mens conferatur ægrotans. At quis, niſi ante ab ethicâ ſedatus, veram contemplationem aſſequi poterit? Nimium habet, quod de hac vitâ contempletur infelix homo, dummodo eum in viciſſitudinibus moralis philoſophia imperturbabilem non fecerit, liberum in vinculis, in tormentis lætum; Dummodo rectè moribus inſtructis non didicerit, in naturâ ſolâ quieſcere, ſolâ virtute gaudere, nihil cupere, nihil odio proſequi, nullius indigere, à nullo vim pati, ab alienis non diſtrahi. Eos pudeat, qui puerorum intellectum erudiunt, Iambl. de Pyth. c. 17. mores negligunt. Sic *in profundum puteum cœno plenum* aquam limpidam infundentes corrumpunt; Sic pratum dumis conſitum imbre ſcientiarum irrigantes prius, quàm expurgent, non fœnum, ſed ſpinas colligunt. Qui pravos habent mores, ut plurimum, velut viperæ, ſcientiarum rores in venena vertunt; Qui bonos, ut apes, in favos. Inter malos habitus raró ſapientia non erumpit in ſtultitiam.

PVR-

PVRGATIO. Non in re divinâ, ſed ante adhibea da: *Plutar. in Iſid. & Oſir. Heſiodi carmina interpretantis.*

De convivio agit Heſiodus, Pythagoras de ſacrificio, quod apud nos convivium eſt, ad quod veſtis requiritur *nuptialis*, præparatio enim ſacris præferenda. Ideo nec ante ablutionem veſtimenta ſacerdotalia induere fas erat: Mánibus illotis ad ſacra non accedendum, pſalmographus vates oſtendit. Ab Hectore idem ſervatum, ab Heſiodo juſſum; Quòd uſque adhuc & apud noſtros viget: Quin immo ad expurgationem, *in aquis viventibus* totius corporis ablutionem reperio; In flumine ſacris eam præpoſuit Æneas, in mari Atrides; Quibus jam ſpretis, Aſterium fulmine percuſſum ferunt. Velut in manûs, vel corporis lavacro, in unguium ſectione mentis expiationem ſacris præponendam, intellige. Suum regem, vel oculo laborantem, vel tibiâ, tum monoculus, tum claudicans indignè aduletur Cliſophus: A nobis puriſſimum Numen depurato animo eſt adeundum, & adorandum. At huic contraria videtur Heracliti ſententia, qui rem ſacram medicamentum dixit, quo à morbis anima defæcatur: Quis noſtrûm autem idem non affirmat? Hoc ſit, ait quidam, ergo ſupervacanea erit ante ſacrificium purgatio, quæ in ipſo, & ab ipſo habetur ſacrificio: Ad hoc, ut me depuret ſacramentum, eſt opus, ut ad ſacra-

In Oper. | Matth. c. 22 n 11. | exod. c. 29 n 4 Levi. c 16. n. 4. | Pſ 25. & 6 & 2 Reg. c. 12 n 20. | Iliad. 6. | In oper. | Levit. c. 15. n 13. | Verg. 8. | Iliad. 1. | Nat Com. myth l. 8. c. 16. | Athen. l. 6. c. 8. | Rhod. l. 10. c. 8.

mentum impurus accedam. Fallitur. Res ſacra medicamen ſit; Purgatio quoad ſacra, ut apud medicos, duplex, altera tendit ad alteram; In præcedenti præparatio eſt, ſubſequenti beneficium;
D. Paul ad Tit. c. 3. n. 5. A nobis, Deo adiuvante, pœnitentibus illa, hæc à ſolâ divinâ munificentiâ. Chirurgus etiam plagam tergit, ac mundat prius, quàm remedium adhibeat.
Pſal. 6 n. 7. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, en unguibus diſſectis, luſtralis ad ſacra præmeditatio;
Pſal. 51 n. 4. *Amplius lava me ab iniquitate meâ*, en in tollendâ ſorde ſacramenti efficacia. Veniæ præponenda petitio, ſanitati expurgatio; Ideo *aſperges me hyſopo*;
n. 9. id pœnitentiæ donum, quod à ſuperis petendum; *Et mundabor*, hæc prima per eam ad præparationem luſtratio: *Lavabis me, & ſuper niuem dealbabor*, hæc ſecunda rei ſacræ utilitas, & effectus: Prima igitur ad ſecundam via ſit; Eam nos paremus, hæc non deficiet.

Meæ Coniect.

DE INITIO AB EXTRANEIS: TENACITATE IN BONO. PROVOCATIS ÆRUMNIS.

INITIUM AB EXTRANEIS. Quid unguium ſectio ad ſacrificium? In divinis, quæ ſenſibus non patent, ſenſus potius præcidendi, quàm ungues, in quibus non eſt ſenſus. In un-
Sat. 1. 36 gue, ais, cogitationes ponuntur, unde illud Perſij

nec

nec demorſos ſapit ungues : Sat. 6.

Cogitationes verò extra templum relinquendæ. Symb. 8. Illæ tamen in quibus mens delirat potius, quàm veritatem inquirat : Saniores profectò in ſacris Richar. ex. D. Thom. 2.2 q 180 ar 3. adducendæ; Nam de quo magìs cogitandum, quàm de ijs, quæ ad Deum ? Si ad præſtantiora te confers, præſtantiorum curam aggredere. Vbi, ſubdis, de maximis agitur, minima etiam curanda: Propterea nec reſecanda, nec abijcienda. Verùm neque ab illis exordium capiendum: *Ridiculum eſt*, ajebat ille, *ex unguibus initium ſumere, ac non potius cum ipſis illorum capitibus collo-qui*. D. Baſil. ep. Euſ. ch. l 4 cen. 7. ed. 42. Sacra non ab unguibus incipienda, ſed à mente: Cura illorum ab hujus ægritudine ut plurimum procedit, nam otioſa in extraneis, ac inanibus occupatio:

Vacuâ tonſoris in umbrâ Horat. l. 1. ep. 7.

purgentur ungues, ad aram mores purgandi. Primò noſtræ, non alienæ labes, eluendæ; Hoc eſt animi, non eorum, quæ vix corporis ſunt.

IN BONO TENACITAS. Vnguibus nos munivit multiplex naturæ providentia, non ſolâ operimenti cauſâ, verùm ut faciliùs capta retineremus: Ne igitur cæſo vngue ad Deum acce-das : Ab eo nedum omne bonum accipiendum, ſed dignâ, & ſagaci tenacitate conſervandum. Plat. in Tim & Aniſt de par. an l. 4. c. 10. In hoc avarus eſto ; Collige, accumula, ſerva meritum, ac theſaurum tibi totum aſciſce, qui to-

tus penes te poteſt eſſe, ac totus penes alios. Tibi cuncta ſic poſſidenti ſenſus, fragilitas, voluptas, vim facient; Vngues habe, ut vim virepellas. Dum ad cælum verteris, quod *vim patitur*, ungues habe, ac *violentus illud rape:* Sed ne Belidum cribro puteum adeas; Virtutem quære, ut exerceas, non ut negligas; Probè age, non ut probitatem attingas, verùm ut in probitate perſeveres: Non tibi comparas, quod ſtatim deponis: Quod cunctis bonum eſt, non eſt tibi, ſi reijcis; Parùm juvat, illud capere, ac illico relinquere: Hoc transferre potius dicerem, quàm acquirere; Non boni poſſeſſionem, ſed tranſitum. Ad polum ſi extolleris, ut à polo delabaris, à majori eminentiâ majus petis præcipitium. Ara prius anſa dicebatur, eam enim gentes, nedum apprehendere, ſeu tangere debent, ſed tenêre. Ità cum Deo age, ut dicere poſſis, *tenui eum, nec dimittam*.

(Matth. c. 11. v. 12.) (Macrob. Sat. l. 3 c. 3.) (Cant. c. 3. v. 4.)

ÆRVMNÆ PROVOCATÆ. In maris tranquillitate, velut tempeſtatis provocandæ omen, antiquis fuit, ſibi ungues præcidere: Sic enim, ut ſacrum quoddam naufragio, ceu Numini, faciebant, illi unguibus oblatis, ne in illo ipſis labaſcerent. Prò dementiam! Si malum naufragium erat, ideo nec Deus, nec ſacris dignum eſſe poterat; Sique ipſi malum vitare cupiebant, cur Deum illud ſibi effecerunt, quod

(P. Arbitr. Sat & ibi Io. Vuor. & Scalig. in Priap. l. 4.)

cò

eò minùs vitari poſſet? Nos interim à ſuperſti-
tione veritatem diſcamus. Vngues ad ſacrificium Geneſ. c. 3. n. 13
præcidere, idem eſt, ac primi parentis, aut Lu- Iſai. c. 14. n. 12.
ciferi exemplo, inter maxima bona maxima ſibi provocare mala. Dic tu, in hoc mundi ſalo tua prora quò tendit? Ad Deum? Perge; Hic verè tranquillitatis portus. At cur cæſis unguibus, pacato pelago vis, ventum iraſci? Cur procellas, & fulmina ſereno ætere tibi ominaris, immo contra te irritas? Id profectò agis, dum in templo ſub adorationis ſpecie Numen lædis, dum ad aram vel indignè accedis, vel ob indigna, dum ad ſacrificium tecum adducis cor inquinatum, inanes cogitationes, impia vota. Quid mirum, ſi à te ipſo in ſyrtes impingeris? Nullus noſtrûm eſt, quem natura erga omnes provida in ſummâ ſerenitate non conſtituerit: Quiſque dum, ſibi, quaſi unguem recidens, animum in diverſis cupiditatibus, & perturbationibus diſſecat, ſibi obnubilat cælum, & contra ſe turbulentiſſimos excitat fluctus. Ità pauper ſuâ ſecuritate neglectâ ſibi curas iniјcit, ſollicitudinibus dives propriam turbat felicitatem, aulicus principis favorem in odium vertit, princeps ad ampliora tendens dignitatis fulgore ſuæ quieti noctes adimit. Quid agendum? In ſacrificio non recidendi ungues; Hoc eſt ſuâ ſorte quiſque contentus, ne in læto mari naufragium quærat.

PRO-

PROPTER AVRVM NE VXOREM DVCAS.

Symb. XLI.

Var. Lect.

Non propter opes ducenda eſt uxor: Gyral. *Aurum habenti, ne hareas in filiorum generatione.* Ficin. *Cum eâ, quæ aurum habet ne congreditor, ad liberos procreandos. Iambl. Arter.*

Int. Var.

DE CONIVGIO: PHILOSOPHIA.

CONIVGIVM. In liberorum generatione divitiæ non inſpiciendæ: *Gyral. de Symb. Pyth.* In quibus momentanea gloria: Verùm ſpectanda perpetuitas. *Nomul. ap. eund.* Vt poſt nos, qui Deum colant, relinquamus. *Ibid. ex Iambl. quod invit. Pyth. c.* 18.

ID literale potius, quàm ſymbolicum. Intelligamus interim, conjugium rarò eſſe felix ob divitias initum. Infelix vulnus, quum

Iuven. ſat. 6. *veniunt à dote ſagittæ.*

In dante ſuperbiam, in accipiente ſervitutem parit aurum. Societatem non componunt opes, dirimunt, filios non faciunt, ſed hoſtes. Aurei nummi oculi ſunt, à quibus *manus*, ac *dies oculatæ*; Abſque oculis verò Plutus eſt divitiarum Deus. Hinc diſcamus, veras divitias in auro non col-

Plaut. in Aſin. act 1 Sc 3. Eraſ. chil 1. cen. 8 ad. 93. Ariſtoph. in Plut.

Iocari?

